B

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
19 — K
6

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

QVINTVPLICES
SACRAE
QVADRAGESIMALES
INVENTIONES

R. P. F. Bernardini BONAVOGLIA Fulginatis, Ord. Min. Obſer. ſacræ Theol. Lecto. generalis, & Concionatoris præclari.

Quibus non ſolùm quintuplex qualibet die varias componendi Conciones modus oſtenditur, verùm etiam quintuplex ſub graui, & eleganti Inuentione Concio in praxi proponitur.

Opus Euangelicis Cõcionatoribus, propter Inuentiones ipſas, ordinem ſingularem, ſacræ Scripturæ inductiones præcipuas, SS. PP. doctrinas, ac tandem motiua, eruditione plena, vel in primis deſiderabile.

CVM PRIVILEGIO.

Coll. Rom. Soc. Jesu ... ex Legato Ill.mi Cocini

ROMAE, Apud Hæredes Aloisij Zannetti.
M. DC. VI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi placet R.P.Magiſt.S.Palatij Apoſt.
B.Gypſius Viceſger.

Imprimatur. Frater Paulus de Franchis de Neapoli, Magiſt. & Socius Reuerendiſſ. P. Magiſt. S.Palatij Apoſtolici.

Digitized by Google

FRANCISCO SFORTIAE S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

Frater Bernardinus Bonauoglia, Fulginas, Min. Obſer. honorum culmen, & Deum.

P*ROPRII ingenij monumenta Principibus dicandi, cùm, ſexcentis de cauſis, inoleuerit conſuetudo; ac propterea has meas Inuentiones & ego ſub cuiuſpiam celebratiſsimi viri nomine in lucē edere deberem, tot in te (Illuſtriſsime Princeps) rationes, conditioneſque animaduerti, vt, præter te vnum, Principum neminem, cui eas offerrem, & cuius inſignitas titulo emitterem, mihi eligendum iudicauerim. Si enim genus, Maiores, Parentes, functiones, dignitates, eruditio, pietas, & erga ſuos beneuolentia, ac beneficentia in perfecto Principe deſiderantur, quis vnquàm his omnibus te condecoratior, ſplendidiorue? Quòd enim ad genus, &*

Digitized by Google

Maiores attinet, FRANCISCVS SFORTIA es tu, de Comitibus Cotignolæ, ac S. Floræ, & Marchio Vartij, Heroum illorum clariſsimo, & antiquiſsimo ſanguine progenitus, qui belli, paciſque tempore ita floruerunt, vt (veluti ad ſceptra, & coronas nati) admirabiles potiùs, quàm imitabiles mundo apparuerint. Vndè Mediolani Ducatum non hæreditario iure, ſed proprijs meritis, inſigni virtute ſibi ipſis olim vendicarunt. Ex quorum largitione, inter alias tuæ iuriſditionis Terras, nonnulla tu (Illuſtriſſ. Princeps) poßides Oppida, vt etiã in Mediolani Ducatu antiquiores conſanguinei tui, prædictorum Ducum agnati; tantorum Pincipum egregia facinora, rerumq. ab eis, præclarè geſtarum, ampliſsima teſtimonia.

Quæ quidem virtus, quia in viris de gente Sfortia nunquàm deſiit, nec deſinet

(Fortes enim creantur fortibus, & bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum virtus,
Nec imbellem progenerant aquilæ columbam)

idcircò, inſignem illum Heroëm, SFORTIAM, progenitorem habuiſti, qui, & Comes S. Floræ, & Pauli, Papæ III. nepos, & à Philippo II. Hiſpaniarum Rege, aureo vel-

lere

lere donatus, & demum, propter res fortiter, fæliciter, prudenterque in bello geſtas (quibus rei militaris, ſuo tempore, facilè princeps extitit) à Pio V. inſigni monumento, & à S.P.Q.R. ſtatua egregiè decoratus fuit. Qui, dum viueret, animaduertens, purum Familiarum nitorem, ac generoſum Maiorũ ſanguinem degenerare, ſi viri mulieres, ſordido loco natas, vilique proſapia ortas, vxores ducant, Catherinã Nobilem, Roberti Card. Nobilis ſororem, & filiam Vincentij, Iulij, Papæ III. ex ſorore nepotis, copijſque pedeſtribus Ethruſcis in bello Senenſi præfecti, ſponsã elegit; præſtantiſſimam quidem, ac religioſiſſimam fœminã, matrem tuam; vt, vel ex fundatione, & dotatione Cœnobij, D. Bernardo, in Vrbe dicati, apparet quàm dilucidiſſimè.

Et qui ergo eſſe poterat (Illuſtriſſ. Princeps) vt tu, à viris tantarum virtutum deſcendens, ex Parentibus tam religioſis, & præſtantibus genitus, qui es, non eſſes, illiſque, ne dum ſimilis, ſed longè glorioſior non exiſteres? Maximè, optima tui, in tenella ætate, educatione his omnibus accedente, & (cùm primùm adoleuiſti) apud Octauium Farneſium, Parmæ, & Placentiæ Ducem, & mox

apud

apud Franciſcum, magnum Ethruriæ Ducē, ac denique apud Gregor. XIII. affines tuos, ſpectata conſuetudine?

Quos tu (vt mihi credere placet) in primæuo illo adoleſcentiæ flore conſiderans, illorumque gloriæ generoſa æmulatione inuidens, animo volutabas, quomodo te de gente Sfortia glorioſis geſtis re vera oriundum comprobares. Quod, vt præſtares, & litteris, & armis excellere decreuiſti; rei euentu conceptū animo propoſitum oſtendente. Alterum namque ego ipſe, non ſine magna mea admiratione expertus ſum, te de ſæcularibus, & ſacris, de poſitiuis, & ſcholaſticis rebus, ac de vniuerſo propoſito problemate fundatè, tutò, ac diſtinctè vnà mecum differentem audiens. Alterum ipſe met in biennali bello apud Belgas, ſub Alexandro Farneſio, conſobrino tuo, & pro Rege Hiſpan. adeò clarè oſtendiſti, vt difficile ſit, ea omnia, & ſingula, quæ ibi fortiter, prudenterque geſſiſti, breui epiſtola recenſere. Vndè non miror, ſi in multis expeditionibus, tum pedeſtribus, tum equeſtribus copijs, Legati officio, non ſine laude, functus es.

Verùm, quia ſapientiſsimus Deus, ad protegendam, iuuandamque Eccleſiam ſuam, nō

armo-

armorum vi, ſed conſilio, & prudentia, non longè, ſed propè, te elegit, idcircò à Gregorio Papa XIII. reuocatus fuiſti, & S.R.E. quartus de gente Sfortia, Card. creatus, ac tertio loco tit. S. Mariæ in via lata (quæ eſt prima Cardinalium Diaconia) à Sixto, Papa V. inſignitus. Quod primi Diaconi officium, inter capita Ordinũ, accuratiſsimè etiam num ſuſtines, & imples.

In qua Cardinalatus dignitate, mirum eſt, quàm familiariter in rebus arduis Eccleſiæ inter dilectos Card. ab omnibus Summis Pontificibus vocatus ſemper fueris; quanti iudicium, conſilium, operamque tuam fecerint; quot denique vigilias, labores, maturas, ſagaceſque deliberationes adhibueris in Summorum Pontificum electionibus. Gregorij namq; xiij. Cardinalibus nepotibus defunctis, opera tua, diligentia tua tres eius creaturæ, Vrban. vij. Greg. xiiij. & Innoc. ix. continuato ordine ad Summi Pontificatus apicem peruenerunt.

Quorum Greg. xiiij. cùm te, & domi, & foris S. R. E. firmiſsimum propugnaculum noſſet, Flaminiæ Legatum, ad perduelles profligandos, qui eam Prouinciam oppreſſerant, & libe-

*& liberè hinc indè diſcurrebant, ac graſſa-
bantur (ita vt penè in ſeditionem res verſa eſ-
ſet) deſtinauit. Quod munus tanta & celerita-
te, & valore obiſti, vt ex octingentis, & am-
pliùs, vix vnus, qui factum nunciare poſſet,
euaſerit. Vndè legatio ab Innoc. ix. proro-
gata fuit, & à Clemente viij. aucta, te ad inſi-
gne baptiſma Coſmæ, magni Principis Ethru-
riæ, & Sororis eius Florentiam mittens, quò
totius ferè Europæ Principum Oratores con-
uenerant. Tandem, elapſo biennio, Prouin-
ciam pacatam, ſuiſque legibus reſtitutam re-
linquens, Romam ad conſueta munia redij-
ſti. Sed (quia ad omnia es idoneus, cunctis
tractandis rebus accomodatus) nec ibi iam diu
manere tibi permiſſum eſt. Nam te idem
Clem. viij. Ferrariã duxit, indiuiduumq; co-
mitẽ in præclarioribus ſuis actionibus habuit.
Quæ merita, quæ virtutes ita Principum, &
Populorum animos tibi conciliarunt, vt, cùm
Clemens in lethalem morbum incidiſſet, à
ſummis Principibus, veluti primus Eccleſiæ
cardo, ſingulare difficultatum, & moleſtia-
rum leuamen, debilium fortitudo, deiectorum
erector, nutantium firmitas, ac tenebricoſæ
negociorum multitudinis fulgentiſſimus ſplen-*

dor,

dor, Romæ (à qua, vt rebus tuis familiari- bus , & ſubditorum tuorum commoditatibus præſentem operam nauares , aliquandiu ab- fueras) deſideratus , ac per litteras vocatus fueris. Et rediens , dum Clem. viij. animam agebat , totius Romani Populi ſumma alacri- tate honorificè exceptus. Qui quidem , nec ſpe, nec deſiderio fraudati remanſerunt; nam tu , inuictiſsime Princeps, difficillimis temporibus occurrens , ſolitaque vigilantia , & ſolertia , vſus, Leonem xi. quartam Greg. xiij. creatu- ram , Roma , Italia , totoque orbe acclaman- te, proprijs manibus coronaſti.

Vides ne quanto iudicio , & matura deli- beratione te vnum elegerim ego, cui has meas Inuentiones *dicarem ? Accedit his tua erga me humanitas , qui ſemel , atque iterum , & quidem benignè, me excepiſti , familiariter re- tinuiſti, & maxima cordis ingenuitate tracta- ſti: Nec non circa has meas* Inuentiones *iu- dicium tuum . Tu enim , humanis, diuiniſq; cognitionibus præpotens, eas probaſti, &, ſi in lucem ederentur , ſtudioſorum vtilitati non parùm proſpectum iri, affirmaſti . Quod tanti viri iudicium, & conſilium cùm ego, vt par eſt, plurimi æſtimarim, laborem meum, quem*

ante floccipendebam, eiuſmodi poſtmodum iudicaui, qui eruditorum manibus euolui mereretur, publica tandem luce dignus, & aura. Edidi ergo illum, & tuo, iam dictis de cauſis, nomine inſigniui. Reliquum eſt, vt tu, & ſanguine, & dignitate, & virtutibus Princeps, illum benignè amplecti ne graueris; ita enim ipſi vitæ ſpiritum infundes, mihique, ad reliqua delineata Opuſcula abſoluenda, animum addes. Vale.

Digitized by Google

Ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſ. D.

D. FRANCISCVM SFORTIAM,

S. R. E. CARDINALEM

AMPLISSIMVM,

De Opere R. P. Fratris Bernardini Bonauoglia,

Fratris Gregorij Petrochæ Mantuani, Lect. Theol. in Collegio Sancti Petri in Monte Aureo,

Epigramma.

INgenij hæc acris vis te, Franciſce, requirit
SFORTIA, quem meritò fortia concelebrant.
Pro Chriſto Inuentor ſcis qua virtute laboret,
Dux hieronycus enim ſemper ab hoſte redit.
Quàm benè promeruit? lapidem non ſuſtulit omnem,
Si facilè inuentis addere quiſq; poteſt?
Excelſæ virtutis honor te Principe partus,
Debitus en quali ſoluitur arte tibi.

EIVSDEM ALIVD ad Lectores.

AEgypto ereptas acies dum ducere Moſes,
Nititur ad patrias conſtitit ante fores.
Non fuit effuſus tantus labor, alter adactis
Hoſtibus, expleuit Dux generoſus iter.
Eripit at ſolus, præit, comitatur, & intrò
Ducit inoffenſo nos Bonauoglia pede.
Auia quis metuet, claris dum legibus Author
Inuenit, inueniens inuenienda docet?

Eiuſdem ad Concionatores Diſtichon.

SIt memor, Inuentis qui talibus vtitur, audax
Orpheus inuenta cur dolet Euridice.

AD P. BERNARDINVM Bonauoleam,

De multiplici ad Conciones dicendi arte, ab eo inuenta, R.P.F. Valerij Setæ Veronen. Theol. & Marchiæ Taruiſinæ Prouincialis Ord. Seru. B. Virginis.

Carmen.

GLORIA conſequitur rerum præclara nouarum
Artifices; vllo non peritura die.
Ars noua te Authorem nouit; ſacra dicere ſenſa
Ordine multiplici Templa ſub alta doces.
Tam pulchrum manet ergo nouum quæ gloria partum?
Millia fama tibi ſæcla ſuperſtes erit.
Sic Patriæ, claræq; tuæ Bonauolea Genti
Tu decus æternum, lauſq; perennis eris.

POM-

POMPEII SERNII Florentini,

DE EODEM

Epigramma.

PRætenui fila vt Zeuſis protracta colore
Conſpicit in tabula, talia voce refert:
Præſtare hoc tantùm diuini quiuit Apellis
Ingenium felix, non ſuperanda manus.
Aſpiciet quicunq; etiam has quino ordine ſacras
Graphidas, ſumma quò micat arte nitor,
Attonitis inhians animis in id ora reſoluet:
Grandia ſola ferens, hæc Bonauoglia dedit.

PAV-

PAVLVS PP. V.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Cùm, ſicut accepimus, dilectus filius, Bernardinus Bonauoglia Fulginaten. Ordinis Minorum Sancti Franciſci de obſeruantia nuncupati, profeſſus, librum quendam: Quintuplices Sacræ Quadrageſimales Inuentiones inſcriptum, ac dilecto filio noſtro Franciſco, Sanctæ Mariæ in Via Lata Diacono Cardinali Sfortiæ nuncupato, dicatum, editurus ſit, ac vereatur, ne, poſtquàm prodierit, ſe inconſulto iterùm typis mandetur, & ob eam cauſam mendis fœdus, & adulteratus diuulgetur. Nos religioſa ſtudia, eorumque monumenta fauoribus proſequi, ac iuſtis eiuſdem Bernardini deſiderijs ſatisfacere volentes, eumque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus, eius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, eidem Bernardino, vt Decennio proximo, à prima dicti libri (dummodo antea à Magiſtro Sacri Palatij approbatus ſit) impreſſione numerando durante, nemo tàm in Vrbe, quàm in vniuerſo Statu noſtro Eccleſiaſtico, immediatè, vel mediatè nobis ſubiecto, librum prædictum ſine ſpeciali dicti Bernardini, vel ab eo cauſam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs ſine huiuſmodi licentia impreſſum vendere, aut venalem habere, ſeu proponere poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuerſis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, præſertim librorum Impreſſoribus, & Bibliopolis dicti Status noſtri Eccleſiaſtici ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ac pro alia ab eodem Bernardino cauſam habentibus huiuſmodi, ac pro reliqua tertijs partibus Accuſatori, & Iudici exequenti irremiſſibiliter

appli-

Digitized by Google

applicandis,& eo ipſo abſque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne durante dicto Decennio librum prædictum, aut quamlibet illius partē, tàm in magno, quàm in paruo folio, etiam prætextu declarationum, ſiue additionum, tàm in Vrbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico prædictis ſine huiuſmodi licentia imprimere, aut ab alijs impreſſum vendere, aut venalem habere, ſeu proponere quoquo modo audeant, ſeu præſumant. Mandantes dilectis filijs noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, aut Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iuſtitiæ Miniſtris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenùs eidem Bernardino, ſeu ab eo cauſam habentibus huiuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocumque ab eodem Bernardino, ſeu alijs prædictis fuerint requiſiti, pœnas prędictas contra quoſcumque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus cōſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſuis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam in dicto libro impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris xvij. Nouembris. M.DC.VI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Scipio Cobellutius.

In

In Sacras Inuentiones Præfatio.

PRAEDICATIONIS Euangelij munus, verbique Dei pias functiones, quamuis Nos, & tyrocinium agentes, & prouecta iam ætate, multis ſemper imperfectionibus præpediti exercuerimus, id tamen in concionibus noſtris inuiolabiliter,& indefeſſè obſeruare ſtuduimus,vt ſingularis in eis ordo, præcipua methodus,perpetuus dicendorum contextus appareret, quibus (nec latum quidem vnguem) à propoſito diſcederemus, vel à Rhetorum inſtitutis, rectoque artis tramite declinaremus. His, quia etiam Inuentionem aliquam grauem,& in ſacræ Scripturæ, ac SS.PP.doctrina fundatam,iungere curauimus,dicendaque ſub illius veſte, & ornamento Auditorum oculis exponere ſategimus,ac denique bonis,ſelectiſque conceptibus ampliare, cœteriſque requiſitis partibus abſoluere operam dedimus,factũ eſt,vt id,quod de noſtro ſubnectebamus (puta diſpoſitio,geſtus, vox,affectus, ac reliqua omnia, quæ in actione conſiſtunt) aut certè Auditoribus, concionis dignitate detentis, imperfectum non videretur, aut tot, tantiſque bonis imperfectio illa (ſi qua eſſet) condonaretur.

Digitized by Google

Hæc Nos, Nobis dumtaxat proſpicientes, obſeruabamus, aut certè obſeruare conabamur. Ab ea cogitatione alieni, vt aliquem noſtrum laborem Sacrarum literarum profeſſoribus impudenter aliquando ingereremus, aut quemquàm imperitiæ noſtræ imitatorem, vllo vnquàm tempore quæreremus. Verùm duo, præter cœtera, mouerunt Nos, aut potiùs impulerunt, mutare ſententiam. Primum quidem, importuna, aſſidua, & cui contradici non potuerit, noſtrorum in diuerſis Religionis Gymnaſijs ſacræ Theologiæ Studentium petitio, quæ à Nobis formam, modumque expoſcebant, ad prædicationis munus ritè obeundum. Alterum, vt etiam Nos cum paupercula Vidua duo minuta, Lecturæ, ſcilicet, & Prædicationis, in ærarium Domini mitteremus. Lecturæ quidem, in Catena Scotica, quam, Deo dante, edemus. Prædicationis verò, in his ſacris Inuentionibus.

Principibus ergo hiſce de cauſis propoſuimus, & Diſcipulorum deſiderio, petitionique ſatis agere, & illorum vtilitati conſulere, qui non ad eam, quæ neceſſaria eſt, formam conciones inſtituunt, inſtitutaſque ad populum habent. Si enim Concionatores, ad quos hæ noſtræ Inuentiones peruenient, tyrones erunt, vel iam diu malè exercitati, hoc noſtro labore proculdubio indigebunt. Si non ita perfecti, vt par eſt, tantumque munus requirit, magis perficientur, nec longè à perfectione ipſa diſtabunt. Si tandem vndèquaque eruditi, has noſtras Inuentiones forſan non deſpicient, videntes, Nos Euangelicum Eccleſiaſten, ea, qua decet, ratione inſtituere, veramque ei concionandi normam, regulamque præſcribere.

Cœterùm; quod ad plenam harum Inuentionum intelligentiam attinet, animaduertendum, Nos non ſolùm concionum Inuentiones, qualibet die quintuplices

propo-

proponere,ſed Inuentiones tales,quæ graphis,modulus, & exemplar totius concionis ſint, nec non tota concio (licèt vmbrata,& delineata dumtaxat) ſub ipſis habeatur. Quod quidem totius negocij ſummam eſſe, nemo non videt. Efformata enim, & omnibus ſuis partibus rectè deſcripta concione, facilè, ad eam ampliandam, exornandamque, conceptus reperiuntur. In ſcenofactoria namque arte exemplaria exquiſitæ perfectionis æſtimantur,magnique ducuntur.Ijs enim habitis,ſerica fila,ad floſculos, & lilia delineata,variè figuranda, vndèquaque habentur. Pictores figuræ rude figmentum, ſecundùm artem elaboratum,tenentes, colorum inopiã non habent, ad figuram abſoluendam, & eleganter colorandam. Vniuerſa (dubium non intercidit) in concionandi munere difficultas eſt, optimam reperire Inuentionem,ſubiectumque, cum dicendorum diuiſione magiſtrali, ſibi comparare.Repertis enim his,tot conceptus hodie in Promptuarijs, Sermonalibus, & materierum Tractatoribus, ad diſpoſitam concionem abſoluendam, inueniuntur, vt nimis excordẽ, & ignauũ eſſe oporteat. Concionatorẽ illũ, qui ſupremam manum rudi (ſed ſecundùm artem effĩcto)exemplari imponere neſciat.

Et eò maximè,quò Nos,tyronum inopiæ,& imbecillitati conſulentes,ne dum Inuentiones proponimus,ſed etiam cuilibet Inuentioni propriam Introductionem adijcimus,quæ eruditè, & ea, qua opus eſt,dignitate, Concionatorem, ad concionis, ipſiuſque Inuentionis principium ducere poſſit. Dicturi enim erant Iuuenes: Ecce, pro inſtituenda concione, Inuentiones tenemus, ſed, quomodo exordiamur, ac noſmetipſos ad eas introducere valeamus, neſcimus; pariſque laboris nobis eſt,elegantem reperire Introductionem, ac ingenioſam excogitare Inuentionem. Et ratio quidem pro eis eſt. Sæpè enim etiam Nobis accidit, perpulchra iam reper-

ta Inuentione,multùm inſudaſſe, vt eam, quæ toti concioni dignitatem afferre poſſet,Introductionem haberemus. Huic ergo querulæ Iuuenum lamentationi, ſimul & imperitiæ, prouidere cupientes, non ſolùm Inuentiones proponimus, ſed earum cuilibet propriam Introductionem ſupponimus, quæ illos vſque ad propoſitæ Inuentionis principium perducat. Quæ quidem Introductio, licèt poſt Inuentionem (vt artis ratio requirebat)poſita ſit,in habenda tamen concione ante Inuentionem pronunciari debet,vt ſatis, ſuperque notum eſt, non enim ſecus fieri poteſt.

Qua Introductione vſque ad iam explicatam Inuentionem protracta, vt Eccleſiaſtes agat, quod reliquum eſt negocij, ampliationis,ſcilicet,ornamenti, ac perfectionis totius concionis, permittimus. Superuacaneum enim iudicauimus, etiam conceptuum farraginem, ſyluamque adiungere;tum,ne nimiùm iuuentuti indulgeremus, cui (habitis Inuentionibus, & Introductionibus) ſi conceptus etiam ſuppeditabantur, nil ampliùs agendum remanebat; tum, ne ſtatim à prouectioribus audiremus: Suum cuique caput, proprius cuilibet genius; non,à te allatis,conceptibus Inuentionem proſequi volumus, ſed alijs, proprio ingenio proprijs; meliores nos tenemus,quàm quos attuliſti.

In afferendis verò Inuentionibus non ſemper eam Inuentionem inducimus, quæ metaphoram, analogiam,aut quid tale (quod propriè Inuentio noſtra dicitur)contineat.Satis namque aliquotiès Nos inueniſſe Nobis perſuaſimus, aliquid noui, è latebris Euangelij excitatum,& noſtri intellectus acumine excogitatum,in medium afferendo. Quamuis,ſi rectè perſpiciatur,quod nudum ſubiectum videtur in ipſa Inuentione,ſub aliqua poſtea eleganti analogia,& metaphora in Introductione nedum reperietur deſcriptum,ſed frequentiſſimè ex ipſa

noua

Digitized by Google

noua Inuentio erumpit. Ita vt Introductio, & pro Introductione, & pro noua Inuentione Concionatori eſſe poſsit.

Cui,ſi aliquando multa diuidentia membra, & plura,quàm concionis vnius anguſtia patitur, annotare contigerit,ne offendatur,conſiderans, id factum eſſe,ne Inuentio manca,imperfectaue proponeretur, ſed omnibus numeris abſoluta conſiſteret.

Vt autem Inuentiones,qualibet die quintuplices, afferremus,non quaſcunque indiſcriminatim, & quæ tantùm numerũ facerent, Nos aſſumpſiſſe credant Concionatores, nam in vnaquaque illarum ſingularem delectũ quæſiuimus, ac talem, qualem ſi vnam illarum ſolùm propoſituri eſſemus. Quemadmodum omnem nauauimus operam, vt eas proderemus, quæ (licèt proprium caput oſtenderent,noſtramque induſtriam ſaperent) cũ ſacra tamen Scriptura, & SS.PP.affinitatem haberent, in illis fundatæ eſſent, eorumque doctrinæ conformes agnoſcerentur.

Quod attinet præterea ad modum, hæc noſtra explicandi,ſciendum,Nos non grandiloquum genus elegiſſe, ampulloſis,comptis, fucatiſque verbis perſtrepens, ſed Eccleſiæ auribus accomodatum, medium,æquale, maturum,pudicum,alienum ab omni incuriæ culpa, pompaque luxuriæ; non ſqualidum quidem, nec tamen floridum; non impolitum, ſed neque nimia ſubtilitate limatum;non aſperitate horridum,nec tamen amœnitate laſciuũ.Hoc enim magis ſimplex lector intelliget & laudabit diſertus. Solæ ab eo forſan curioſorũ minùs blãdè mulcebuntur aures. At iſtis non tã placent ſolida,quàm picta;potiùs pulchra, quàm vtilia ſectantur;nec tã agentia diligunt, quàm ſonantia; magiſque gaudent florum amœnitate conſpergi, quàm frugum vbertate nutriri.

Quia etiam vmbramus, ac delineamus tantùm & Inuentio-

uentiones, & Introductiones, non ea ratione, quà proferri debent, vtraſque proponimus, ſed aliquando longiores, aliquando breuiores, pro vt ſeſe occaſio Nobis obtulit, aut negocium ipſum expoſtulaſſe, cognouimus. Potiùs tamen Laconici, quam Aſiatici ſumus, cùm propoſitum noſtrum ſit, vt diximus, graphicè deſcribere, non completè negocium agere.

Reſpondendum modò, pariterque ſatisfaciendum his, qui noſtrarum Inuentionum editioni aliqua ex parte refragari poſſent. Nos enim non debuiſſe Inuentiones has edere, dicent nonnulli, cùm id, quod peculiare in concione eſt, Inuentio ſiquidem, his noſtris auferatur Concionatoribus. Si enim Inuentio mutuata ſit, nihil magni, nihil conſpicui in Chriſtiano Oratore, tot libris iam materiam, copiamque fandi ſuppeditantibus. Quibus breuiter reſpondemus; multò plus incommoditatis, & detrimenti Concionatoribus attuliſſe eos, qui proprias cóciones vernacula lingua typis mandarunt, quã Nos, qui Latinè Inuentioné tantùm tradimus, reliquas oratoriæ artis partes (quibus præſtitis, non mediocrem ſibi laudem comparare poterunt) eis tractandas, abſoluendaſque relinquentes. Quid? Profuturę ſunt Iuuenibus, qui non parùm abſoluent laudabilis facinoris, ſi Inuentiones has ritè tractare, & perfectè ad calcem vſque perducere ſciuerint. Profuturę ijs, qui ad perfectionem contendunt, ſi ad hanc prǫoſtenſam formam ſuas inſtituerint conciones; putamus enim formatum quid, regulatum quid prodere. Profuturę tandem emeritis viris, qui ad ſimilia, vel certè maiora perquirenda his noſtris excitabuntur. At, verum fateamur, pictoris rude figmentum, & ſolùm primis lineis protactam imaginem artis ratione, certiſque regulis colorare ſcire, & ſpiritũ, vitamque illi magiſtra manu impertiri valere, adeò ne à bono viro alienum, vt ei probro, ac vitio verti poſſit?

Quini-

Digitized by Google

Quinimò,quia magis difficile,alienam tenere mentem, & laborioſiùs aliorum commonſtratum vix propoſitum, iuxta illorum intentionem,concinnè,& adamuſſim perficere,quàm proprium inchoatum opus abſoluere, ideò laudem potiùs, quàm dedecus merebuntur Concionatores,ſi aliquas ex noſtris, tantùm delineatis, Inuentionibus veſtiendas, exornandas, bonæque artis præceptis perficiendas ſuſcipient.

Rogatos tandem velim eos, qui non in ſacræ Scripturæ, aut SS. PP. lectione, ſed ſolùm in manuſcriptis concionibus verſati ſunt, vt,ſi quid, noſtris Inuentionibus ſimile, in ſuis ſcriptis inuenerint, Nos non ex illis, quæ dicimus,protuliſſe affirment,ſed,vel ex genuinis ſacræ Scripturæ,aut SS.PP fontibus deſumpſiſſe,vt citata loca demonſtrant, vel ex proprio ingenio, conformiter tamen ad Scripturam,& PP.prompſiſſe. Accidere autē potuit, egregios verbi Dei declamatores, manuſcriptarum concionum compoſitores,quas illi apud ſe habent, ſimili nobiſcum luſiſſe ingenio,eandem obſeruaſſe Scripturam, eundemque legiſſe Doctorem. DD. enim, & Scripturæ communes, Sapientiæ fons omnibus patens, & ſacrarum mercium nundinæ cuilibet expoſitæ. Hoc autem ſibi perſuadeat vnuſquiſque, & pro comperto habeat,has, quas edimus, lucubrationes, Inuentiones eſſe,& Inuentiones noſtras; ſi enim eas ab alijs mutuaſſemus, nec quidem Inuentiones eſſent noſtræ, nec Inuentionis nomen,niſi falsò,illis conueniret.

Reliquum eſt, vt laborem hunc noſtrum egregij Cōcionatores,eo,quo decet, animo ſuſcipiatis, bonam noſtram fidem,ac diligentiam probantes. Quoniam, ſi huius primi Tomi Inuentiones vobis placuiſſe cognouerimus, alios duos: de Tempore, ſcilicet, &: de Sanctis, edemus; nec non:de Componendis cōcionibus Inſtructiones; & Quadrageſimalium etiam Euangeliorum

Paſſus, quatuordecim vìj s, modiſque explicatos; ſacræ, videlicet, Scripturę Authoritatibus, Figuris, Conceptibus, PP. doctrinis, Scholaſtichorum rationibus, Concilijs, ſacris Canonibus, Legum inductionibus, Philoſophorum placitis, multigenis Exemplis, Aſtrologia myſtica, Poëtarum dictis, antiquis Hieroglyphicis, ac tandem Hiſtorijs varijs, tum ſacris, tum ethnicis.

Opt. Deus (quę ſua eſt bonitas, & pius erga homines affectus) ſpiritum nobis omnibus tribuat ſuum, quo animas lucrari, & Fideles omnes in viam ſalutis dirigere nobis contingat.

FERIA

FERIA QVARTA CINERVM.

Cùm ieiunatis, &c. Matth.6. *Matth.6.*

PRIMA INVENTIO EST,

EVangelicos Concionatores,tamquã milites Chriſti, quorum vnicuique dictum eſt: *Labora, ſicut bonus miles*, aggredi hodie,in toto Orbe,ciuitates, terras,oppida, varia loca, Chriſto benedicto, tot, tantiſque peccatis rebellia, vt ea obſidione ſpirituali capiant,ac legitimo Principi tributaria, ſubditaque faciant. *2.Tim.2.* Et quia pugnatores validi ſunt, *doctique vtraque manu pugnare*, ab eo tales effecti, *qui docet manus ad prælium, & digitos ad bellum*,ijs omnibus modis ea capere,& ad Chriſtum reducere contendunt, quibus, de re militari experti, optimi Duces, in obſidionibus vti ſolent. *Iud.3.* *Pſal.143.*

Conſueuerunt autem illi quinque modis de obſeſſis ciuitatibus victoriam reportare. Primò, Oratoribus, facundia præditis, elocutioneq́ue pollentibus, qui appoſitis, viuis, & efficacibus verbis deditionem perſuadeant. Secundò, honeſtiſſimis,ampliſſimiſque oblatis conditionibus, ſi ſpontè legitimo Principi omnes ſubdantur,eiuſque obedientiæ colla, ceruiceſque ſupponant. Tertiò, mortis comminatione;omnes,ſcilicet,gladio perituros,nullumque viuum remanſurũ, ſi tandem vi ciuitas capietur. Quartò, bellicorum inſtrumentorum applicatione, & vſu. Quintò, & vltimò,cibariorum penuria, famis cruciatu, & comeſtibilium defectu.

Hæc omnia ſimul hodie iungentes, & in vnum redigentes euangelici Duces,& Prædicatores Chriſti, maximo impetu, incredibili valore, inuictiſque animis, ciuitates, & loca chriſtiana,toto terrarum Orbe diſperſa, aggrediuntur, vt

habitantes in eis, Chriſto iam tot, tantiſque peccatis rebelles, ad pœnitentiam reducant, conuertant, eiuſque obedientiæ ſubijciant. Primò enim id præſtant, vel præſtare cõtendunt, Oratore facundo, Ioële, qui, vt ad legitimum Dominum homines conuertantur, duabus validiſſimis rationibus perſuadet. Altera ex Dei benignitate deſumpta:
Ioël. 2. *Conuertimini ad Dominum, Deum veſtrum, quia benignus, & miſericors eſt, &c.* Altera, ex maxima vtilitate, de tali conuerſione eis prouentura: *Ecce ego mittam vobis frumentum, &c.* Secundò, ampliſſimis, honeſtiſſimiſque conditio-
Matth. 6. nibus: *Theſaurizate vobis, &c.* Tertiò, mortis comminatio-
Eccleſia. ne: *Memento, homo, &c.* Quartò, longa obſidione, & inceſſanti, per quadraginta, & plurium dierum ſpatium, con-
Eſa. 58. cuſſione interiori: *Clama, ne ceſſes, &c.* Quintò, & vltimò,
Matth. 6. cibi, alimentique defectu: *Cùm ieiunatis, &c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Ezech. 4. AD præſentem Inuentionẽ mirabiliter introducit, quod legitur Ezech. 4. *Et tu, fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Ieruſalẽ, & ordinabis aduersùs eam obſidionẽ, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam caſtra, & pones arietes in giro.* Id enim myſticè exponentes, dicere poſſumus: Ciuitatem iſtam rebellem eſſe quamlibet chriſtianam ciuitatem, quæ per totum anni circulum, & maximè tempore carnis priuij, peccatis, & diuinæ legis violatione Chriſto rebellauit. Quæ optimè Ieruſalem vocatur (*Idem*) appellata in ſancta lingua; quolibet enim anno vnaquæque chriſtiana ciuitas eſt (*Idem*) in ijſdem peccatis viuens, ijſdem vitijs ſubiecta, &c. Contra quam iubet Deus Ezechieli, in perſona omnium Prædicatorum, vt obſidionẽ ordinet: *Et ordinabis, &c.* Quæ obſidio, quia nõ materialis eſt, nec materialibus inſtrumentis facienda, ideò præceptum accipit, hanc obſidionem in latere, id eſt, in pagina deſcribendi, quæ ad concionem formandam aſſumitur, vel in intellectu, & anima figurandi, quemad-

quemadmodum laterem accipit. Hieron.ſuper hunc locum, & ſuper 3. Nahum, & Greg. Hom.12. ſuper Ezech.26. Mor. 5. & 2. Paſtor. 10. *Hieron.* *Gregor.*

Numerat autem quinque in tali præcepto Scriptura, quæ quinque, iam dictis, reſpondent. *Ordinabis aduersùs eam obſidionem,* primum; *& ædificabis munitiones*, ſecundum; *& comportabis aggerem*, tertiū; *& dabis contra eā caſtra*, quartū; *& pones arietes in giro*, quintum. Primum enim reſpondet obſidioni, per oratorias perſuaſiones, & rhetoricas circuitiones. Secundum, promiſſionibus, iam explicatis; cùm (*Aedificare*) in ſacra Scriptura aliquando accipiatur pro conceſſione bonorum. Quod enim legitur Exo.4. de Obſtetricibus, Deum timentibus: *Et ædificauit eis Dominus domum,* Greg. Hom.10. ſuper Ezech. exponit, de præmiatione Obſtetricum, per augmentum temporalium. Et quòd (*Aedificare*) ſit firmari in terrenis, præter loca Gen. 4. 3.Reg.12.15.& 16.Ezech.27. & Ioſu. 6. eſt & expoſitio Bedæ ſuper Gen.4. & Hieron. ſuper Ezech. 27. Tertium, minitationi mortis: Nam aggerem comportare, idem eſt, ac terram adunare, & congerere, vt eſt videre in arte militari. Quartum, obſidioni, per continuam prædicationem Prædicatorum, quod idem eſt, ac mouere caſtra militum Chriſti, contra arces, & turres inimicas. Quintum, ſacro ieiunio, canonizato, & ſolennizato, vt canonizat, ac ſolennizat Ioël, ſcilicet, *in fletu, & planctu, &c.* Arietes enim, & alia inſtrumenta ſpiritualia ponit in giro, contra carnem, rebellem ſpiritui, qui ſic ieiunat, vt ieiunandum docet, & perſuadet Ioël; ac is circumuallat eam, qui pænitentijs illam edomat, ſeque alijs afflictiuis operibus exercet. Quò ad primum ergo, &c. *Exo.4.* *Gregor.* *Gen.Reg.* *Ezech.* *Ioſu.* *Beda.* *Hieron.* *Ioël.2.*

SECVNDA INVENTIO EST,

SAcris ritibus, & diuina inſtitutione formatā Eccleſiam, in hoc primo quadrageſimali die, ad omnia, quæ in homine ſunt, habere reſpectum, & ſpiritualem intuitum, vt ei proſit, & ad ea, quæ ſunt recta, perducat. Cùm enim, *homo,* iuxta D. Gregor. ſententiam, *habeat* *Hom.29. in Euang.*

eſſe cum lapidibus, vegetare cum plantis, ſentire cum animalibus, & intelligere cum angelis, pro primo, vt, ſcilicet, eum
Eccleſia. de ſuo eſſe doceat, inquit: *Memento, homo, &c.* pro ſecundo, ne, ſcilicet, contra ſpiritum vegetetur, & alimentetur, in-
Matth. 6. quit: *Cùm ieiunatis, &c.* pro tertio, vt, ſcilicet, ſentiat ſpiritualem tactum, & punctionem, eum tangens, ac pungens,
Ioël. 2. vt exercitetur, inquit: *Conuertimini, &c.* pro quarto tandẽ, vt, ſcilicet, intelligat, quæ ſurſum ſunt, & cœleſtes theſauros, in cœlis, vbi angeli ſunt, repoſitos, adhortans, inquit:
Matth. 6. *Theſaurizate, &c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVamuis Deus benedictus varia, & innumera opera
Pſal. 134. operatus ſit (*Omnia enim, quæcunque voluit, fecit in*
Pſal. 105. *cœlo, & in terra; magnalia olim in Aegypto, mirabilia in ter-*
Pſal. 39. *ra Cham, terribilia in mari Rubro;* vndè Dauid: *Multa feciſti, tu Domine, Deus meus, mirabilia tua, &c.*) tamen omniũ operum ſuorum duo compendia, & epilogos fecit, alterum naturæ, alterum gratiæ: Sicut etiam, quæ fecit, opera, in duo diſtinxit genera, naturale, ſcilicet, & gratuitum. Operum gratiæ compendium voluit eſſe Euchariſtiæ Sacramen-
Pſal. 110. tum, de quo idem Dauid: *Memoriam,* id eſt, compendium, *fecit mirabilium ſuorum.* Operum verò naturæ compendium
Greg. vbi fecit hominem; omnis enim creatura eſt homo, teſte Greg.
ſupra. vbi ſupra. Hominem ergo compendium eſſe Sancta Eccleſia intelligens, *& eum habere eſſe cum lapidibus, &c.* vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST.

MVndum vniuerſum in harmonia, & muſica quadam proportione conſtitutum eſſe, quẽadmodum mox aperiemus. Quæ non ſolùm in rebus naturalibus, & materialibus reperitur, ſed etiã in ſpiritualibus, & altiori modo. Vetus enim, ac nouum Teſtamentum in tanta ſympathia, & conſonantia condita ſunt à Spiritu Sancto,

Sanĉto,vt impoſſibile ſit, vnam vnius ſpiritualem chordam tangere, quin ſtatim alterius audiatur ſonus, & correſponſio. *In principio creauit Deus cælum, & terram,* intonat Moſes; *Omnia per ipſum facta ſunt,* reſpondet Ioannes. *Poſt hæc, in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt,* intonat Baruch; *& Verbum caro factum eſt,* reſpondet Ioannes. *In carne mea videbo Deum, Saluatorem meum,* intonat Iob; *Omnes quidem reſurgemus,* reſpondet Paulus. *Derelinquat impius viam ſuam,* intonat Eſaiàs; *Pœnitentiam agite,* reſpondet Matth. Et ita de qualibet propoſitione,& figura, cui figurata reſpondent,diiudicandum eſt. Alterum eſt etiã, quo ſpiritualis muſica rerum corporalium, & naturalium muſicam antecellit, effectus ſiquidem, ab ea prouenientes. Qui licèt multi ſint, inſignis tamen ille legitur Ioſu. 6. in figura, & typo; *muſicam, ſcilicet, ſenſibilem tubarum muros ciuitatis Iericho proſtrauiſſe, & euertiſſe.* Quo facto Spiritus Sanctus innuit, quàm dilucidè, ſpiritualem muſicam muros ciuitatis peccati (per Iericho figuratæ, aſſertoribus Auguſt. 1. qq. in Euang. 28. Epiſt. 118. & cont. Fulgent. Hieron. ſuper Matth. 20. & ſuper Pſal. 86. ac Cyril. 4. ſuper Ioan. 28.) euertere, ac deſtruere.

Gen. 1. Ioan. 1. Baruch. 3. Ioan. 1. Iob. 19. 1. Cor. 15. Eſa. 55. Matth. 4. Ioſu. 6. Auguſtin. Hieron. Cyrillus.

Huius fidem facit Sancta Eccleſia, quæ non alio modo, in hoc quadrageſimali initio, peccati ciuitatem funditùs delere molitur, quàm muſica ſpirituali, quatuor vocibus conſtante; Baſſo, profundæ ſui ipſius cognitionis, mortificq́; meditationis: *Memento, homo, &c.* Tenore, ſtabilis ad Deum conuerſionis: *Conuertimini, &c.* Alto, ieiunij circumſtantionati, ſcilicet, *in fletu, & planctu,* quod naturæ vires ſupereminet: *Cùm ieiunatis, &c.* Et Suprano, in cœlis theſaurizationis: *Theſaurizate, &c.*

Eccleſia. Ioël. 2. Matth. 6.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVòd mundus in harmonia, & conſonantia conſtitutus ſit, concentuq́ue conſtet, patet per ea, quæ, de mundi harmonia, tum Ethnici, tum Catholici ſcriptum reliquere. Aliqui enim tenuerunt, ſenſibilem, & aure

corporis perceptibilem, harmoniam in cœlis, & in Vniuer-
Boëthus. ſo reperiri, vt Boëthus lib. de Muſica; originatam credens,
& cauſatam à velociſſimo corporum cœleſtium motu, non
Ariſt. audiri tamen, ex maxima diſtantia. Ariſtot. refert, aliquos
idem tenuiſſe, ſed harmoniam, à nobis non audiri, ex lon-
ga conſuetudine; vtpotè, quia ab ortu repletæ ſunt aures
eiuſmodi ſono, ita eas occupante, vt non poſſint ipſum
diſcernere, non valentes contrarium eius (ſilentium in-
Pythagor. quam) percipere. Pythagoras, Apollonius Tyaneus (ſiue
Apollonius Tyaneus. ille magus, ſiue Philoſophus) Mercurius, & nonnulli alij aſ-
ſeruerunt, non ſolùm in mundo muſicam eſſe, ſed ipſoſmet
Mercur. proprijs auribus eam audiuiſſe. Vndè Scipio Aphricanus,
Tullius. apud Tullium, de ſomnio Scipionis, dicebat: *Quis hic, quis
eſt, qui complet aures meas tantus, & tam dulcis ſonus?*
Pier. Valer. Pier. Valer. lib. 42. Deum Pan (hieroglyphicè) intelligit
Vniuerſum (Πᾶν enim Græcè, Vniuerſum Latinè dicitur)
Ouidius. quem idcircò fingunt Poëtæ, Nympham Echo, hoc eſt, har-
Lib. 3. Meta. moniam adamaſſe, quia Vniuerſum concentum amat, quo
conſtat, & cui inſeparabiliter coniunctum eſt. Plotinus,
Plotinus. Iamblichus, & alij doctiſſimi Platonici de corporum cœ-
Iamblichus. leſtium concentu multa ſcripſerunt, quæ, breuitatis gratia,
pertranſeo. Veritas tamen eſt, non realem, & corporis ſen-
ſibus audibilem, harmoniam in cœlo, & in Vniuerſo repe-
riri, ſed metaphoricam, intelligibilem, & ſpiritualem, ex
ordinatiſſima creaturarum diſpoſitione, inter ſe, & ad pri-
mum, reſultantem; nec non ex contrariorum (quæ in tan-
ta varietate, atque oppoſitione diſſonantiſſimè conſonant,
& repugnantiſſimè coueniunt) fœdere, ac nexu procedente.

Quæ quidem harmonia, ſi in corporalibus rebus
percipitur, nobiliori, atque altiori modo in ſpi-
ritualibus; ſacra, ſcilicet, Scriptura, & Ec-
cleſiaſticis inſtitutis. Vetus enim, ac
nouum Teſtamentũ in tanta ſym-
pathia, &c. vt ſupra. Quod
intelligens Sancta Ec-
cleſia, &c. vt
ſupra.

QVAR-

QVARTA INVENTIO EST,

PRincipalem Sanctæ Eccleſiæ ſcopum eſſe, in hoc quadrageſimali initio, peccantes à peccatis retrahere, & ad iuſtificationem perducere. Et quia à Spiritu Sancto modum edocta eſt, quo in eis talem poſſit effectum inducere, ea certè ratione id conatur implere, quam
tradit ſac. Trid. Conc. in materia, de Iuſtificatione. Pri- *Seſſ.6.*
mò enim (præſuppoſita fide) *ſine qua impoſſibile eſt, placere* *Heb.11.*
Deo, peccator timore gehennæ concutitur; de quo Eccli.1. *Eccli.1.*
Timor Domini expellit peccatum. Secundò, ſpe veniæ, in
Deum erigitur; de qua Matth. 9. *Confide, fili, remittuntur* *Matth.9.*
tibi peccata tua. Tertiò, mouetur motu charitatis, dum
Deum incipit diligere; de qua Ioan. 14. *Qui diligit me, di-* *Ioan.14.*
ligetur à Patre meo. Quartò, & vltimò, dolet de peccatis ef-
ficaciter, & formaliter iuſtificatur; de quo Matth. 4. *Pæni-* *Matth.4.*
tentiam agite, &c.

Totum tamen hunc proceſſum non ſemper, atque ordinariè in iuſtificatione reperiri, tradit expreſsè, ac definit
prædictum Concil. vbi ſupra, & docet Vega ſuper Concil. *Vega.*
Triden. à cap 23. lib. 6. vſque ad 26. & lib. 13. cap. 14. nec *Pater à*
non Pater à Caſtro, verbo *(Timor)* & verbo *(Contritio)* *Caſtro.*
& patet de Magdalena experimentaliter, ſola dilectione (virtualiter tamen contritionem includente) iuſtificata;
dicente Chriſto: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam di-* *Luc.7.*
lexit multùm.

Sancta ergo Eccleſia in nobis peccatoribus (qui regulariter, ordine, à ſacro Conc. propoſito, iuſtificamur) ſalutarem pænitentiam, & completam iuſtificationem inducere cupiens, præſuppoſita fide, primò quærit Dei timorem
in nobis gignere, mortis meditatione, dicendo: *Memento,* *Eccleſia.*
homo, &c. Secundò, ſpe veniæ, reperiendæ apud Deum,
qui benignus, & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia, *Ioël.2.*
nos erigit, ac ſubleuat, indéque ad conuerſionem hortatur,
dicens: *Conuertimini, &c.* Tertiò, cupiens, vt motu cha-

ritatis in Deum moueamur, qui theſaurus noſter eſt (vt do-
Auguſtin. cet Auguſtinus) dicit: *Theſaurizate, &c.* Quartò, & vltimò,
Matth.6. vt doleamus efficaciter de commiſſis, agamus pœnitentiam,
Ioël. 2. & ſatisfaciamus, inquit: *In ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, &c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

NVllus ferè eſt ſacrorum Doctorum, qui rationes non afferat, & cauſas in medium non adducat huius quæſt.
Cur. 5. Dei filius (*cùm alius modus, hominem redimendi, ei*
3. de Trin. *non defuerit,* vt inquit Aug.) noſtram voluerit aſſumere naturam, & in humana carne opus redemptionis implere.
Anſelmus. Immò Anſelmus integrum Tractatum, & Librum edidit, ſuper iſta quæſtione: *Cur Deus homo?* Et licèt varij varias afferant rationes, & cauſas, præcipua tamen, quãuis non pri-
1. Ioan. 3. ma, illa videtur, quam affert Ioan. 1. ſuæ Can. 3. *In hoc ap-*
Verſ. 5. *paruit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* Et ibidem, paulò ſupra: *Et ſcitis, quia ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret, &c.*

Hanc intentionem, & Chriſti Ieſu ſpiritualem finem in aſſumpta carne, Sancta Eccleſia, eius ſponſa, intelligens, idque, eius ſpiritu afflata, optimè noſcens, cupit in nobis, hoc quadrageſimali tempore, opera diaboli diſſoluere, peccata à nobis remouere, noſque ad iuſtificationem perducere. Et quia non ſolùm in fine cum ſponſo conuenit, verùm etiam modum, ad ipſum perueniendi, eſt edocta, ea quidem ratione, eoque ordine intendit, ad hunc finem nos perducere, quem explicat ſac. Trident. Concil. &c. vt ſupra.

QVIN-

QVINTA INVENTIO EST,

SAnctam matrem Eccleſiam (cùm omnia peccata, in vniuerſùm, ad tria reducantur virulenta capita, & nequiſſima genera, teſte Ioanne. 1. Can. 2. *ad concupiſcentiam*, ſcilicet, *carnis*, *concupiſcentiam oculorum*, *&* *ſuperbiam vitæ*, quæ ſi ab hominibus auferrentur, nulla prorſus culpa, nulla tranſgreſſio, nulla diuinæ legis violatio) filios ſuos, hoc quadrageſimali initio, peccata relinquere, & ad Deum conuerti exoptans, iſta tria capitalia, & radicalia peccata ab eis remouere conari; extinguendo in eis, quantùm in ſe eſt, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Primũ enim quærit tollere ieiunio afflictiuo, quod carnis concupiſcentiam reprimit, dicens: *Cùm ieiunatis*, apud Euangeliſtam; *In ieiunio*, apud Prophetam. Secundum, promiſſione pretioſiſſimorum theſaurorum, omnem oculorum concupiſcentiam ſatiantium, dicens: *Theſaurizate, &c.* Tertium tandem, mortis, & cinerum meditatione, quæ ſuperba capita, ac tumentia corda humiliat, dicens: *Memento, homo, &c.*

1. Ioan. 2. *Matth. 6.* *Ioël. 2.* *Matth. 6.* *Eccleſia.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ad Concionem.

DIuus Paulus Rom. 6. Ieſu Chriſti paſſione, & reſurrectione deſcripta, atque indè illato, Chriſtum ita reſurrexiſſe, vt non ampliùs moriatur (*quòd enim mortuus eſt peccato, &c.*) moralizando, & ad noſtrum profectum iſta applicando, hortatur, ac monet nos, vt Chriſto conformari quæramus, moriendo vitijs, ac peccatis, vt indè ſpiritualiter reſurgere valeamus, & poſt talem reſurrectionem, non ampliùs morte ſpirituali mori, animæque in-

Rom. 6.

teritui

teritui ſubiacere nobis contingat. Ait enim Paulus, loco citato: *Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo, in Chriſto Ieſu, domino noſtro. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius*. Quaſi dicere vellet: Chriſtus mortuus eſt, vt vos moriamini peccato; Chriſtus reſurrexit, vt vos ad nouam ſpiritualem vitam reſurgatis; ac tandem Chriſtus, non amplius moriturus, reſurrexit, vt non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Ergo, ſimili modo, vox exiſtimate, vos mortuos quidē eſſe peccato, &c.

Hoc eodem deſiderio, erga ſuos filios, flagrans Sancta mater Eccleſia, vt, ſcilicet, illi à peccatis reſurgant, & iam non deinceps moriantur, tribus capitalibus vitijs tria contraria adhibet medicamenta. *Nam, ſicut arte medicina calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Eccleſia contraria oppoſuit medicamenta peccatis. Quia enim Dominus, ac Redemptor noſter nouus homo venit in mundum, noua præcepta dedit mundo. Vita etenim noſtra veteri, in vitijs enutrita, contrarietatem oppoſuit nouitatis ſuæ.*

Ex Greg. Hom. 32. in Euang.

Cùm ergo omne peccatum in genere ſit, aut concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ, primo Sancta Eccleſia opponit ieiunium, &c. vt ſupra.

QVIN-

Digitized by Google

QVINTA POST CINERES.

Cùm introiſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, &c. Matth. 8. *Matth.8. cum ſeqq.*

PRIMA INVENTIO EST,

FViſſe ſemper antiquiſſimã quæſtionem: Num litteræ armis præferendæ; & quod nam horum duorum præſtantius. Et licèt pro vtraque parte ſint rationes (vt mox dicemus) efficaciores tamen pro litteris. Vndè, illas nobiliores, ac præſtantiores eſſe, concluſum eſt ſemper. In cuius rei teſtimonium, hodie euangelicus Centurio, à Spiritu Sancto illuſtratus, exuit ſe arma bellica, ſeque, armis renuncians, Doctorem profitetur. Et quia in doctoratu recipit Doctor Birretum, Veſtem, Anulum, & Calciamenta, iſta omnia recipit & Centurio. Primò enim recipit Birretum cognitionis in capite; ſecundò, Veſtem charitatis in perſona; tertiò, Anulum fidei in digito; & quartò, atque vltimò Calciamenta humilitatis in pedibus. Primum oſtendit in mirabili oratione ad Ieſum: *Domine, puer meus, &c.* Secundum, in acceſſu ad eundem: *Acceſſit ad Ieſum Centurio*, in pietate erga puerum ſuum infirmum: *Domine, puer meus, &c.* atque in zelo diuini cultus: *Synagogam ipſe ædificauit nobis.* Tertium, in maxima fide, de qua promiſſum legimus: *Sponſabo te mihi in fide*, recuſando præſentiam, & verbo credendo: *Dic tantùm verbo, &c.* Et quartum in humilitate (quæ per calciamentum figuratur; tum, quia eſt vilior pars veſtimentorum, *Luc.7.* *Oſe. 2.* *Matth.8.*

& operi-

Digitized by Google

& operimentorum; tum, quia ſic accipitur in Scriptura; aſſertore Hieron. ſuper Amos. 2. & 8. Exponens enim, quomodo intelligatur: *Diuitem habere pauperem pro calciamentis*, inquit; tunc diuites pauperes pro calciamentis habere, cùm illos conculcant) *Domine, non ſum dignus, &c.*

Amos. 2. & 8. *Matth. 8.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

NObiliſſimam ſemper fuiſſe armorum profeſſionem, & militare exercitium (præter nonnullorum, tum Fidelium, tum Ethnicorum authoritates, nec non quotidianam experientiam, qua cernimus, armis decoratas, atque illuſtratas familias) id apertè dignoſcitur à perſonis, quæ talem profeſſionem exercuerunt, ab effectibus, indè ſecutis, & ab inueſtituris, indè receptis. Perſonæ enim, quæ talem profeſſionem exercuerunt, ſunt, Deus, angelus, & homo.
Eſa. 40. De primo namque legimus: *Qui educit in numero militiam*
1. Reg. 1. & alibi ſæpè. *eorum*; ac propterea, *Deum exercituum appellatum*. De ſecundis: *Factum eſt prælium magnum in cælo, &c.* Et de tertio: *Labora, ſicut bonus miles*. Effectus etiam, indè ſecuti,
Apoc. 12. ſunt; populi Dei liberatio, captiuorum redemptio, ſuper-
2. Tim. 2. borum humiliatio, tyrannorum expulſio, &, vel in primis, honoris Dei defenſio, &c. Inueſtituræ tandem, indè receptæ, præcipuè duæ ſunt; auxilium Dei ſpeciale, ad pugnan-
Pſal. 143. dum contra inimicos: *Qui docet manus meas ad prælium,*
1. Tim. 6. *&c.* Et æternæ vitæ appræhenſio: *Certa, & apprehende vitam æternam, in qua vocatus es.*

Tamen, his non obſtantibus, nobiliores ſunt litteræ; & ſcientia armis præferenda. Deus enim priùs ſciens, quàm pugnans; pugnare enim conuenit ei ex tempore, & in relatione ad creaturas, eſſe autem ſcientem, & cognoſcentem, conuenit ſibi, ex ſui natura, ab æterno. Angeli etiam priùs cognoſcentes, & pleni omni notitia, quàm pugnare aſſueuerint. Et homines, in ſui creatione, priùs Dei, & creaturarum cognitionem receperunt, vt patet ex con-
Gen. 1. & deinceps. textu principij Geneſeos, quàm bellari cæperint, aut cùm ſerpente, aut inter ſe. Non solùm autem antiquitate, ſed & dignitate ipſa, atque præſtantia nobiliores armis litteræ;

teræ;

teræ; iſtæ enim architectonicæ, illa mæchanica; litteræ namque docent ordinare caſtra, diſponere, numerare, diſtinguere, ſcire bellari, &c. Et, in ſumma, ars militaris, vt ars, ad cognitionem pertinet. A fine etiam idem apparet; finis enim pugnæ eſt pax, ſed tempore pacis deſeruiunt litteræ, vt inquit Iuſtin. principio Inſtitutionū, tempore belli arma, ergo nobilius id, quod cum fine permanet, quàm ea, quæ ad finem ordinantur, & cum fine non ſtant. Et tandem, arma ad hunc finem ordinari, eſt à ſcientia. Ergo, & antiquitate, & dignitate, & fine armis litteræ inſigniores, ac præſtantiores. Quæ cuncta cognoſcens, ſuperno illuſtratus lumine, Centurio, armis ignobilioribus renuncians, litteras nobiliores amplectitur, arma, pro trophæo, arbori ſcientiæ ſuſpendit, atque inſignia doctoratus à Chriſto recipit. Et primò Birretum, &c. vt ſupra. *Iuſtinian. Imperat.*

Aduertas tamen, Inuentionem hanc, ſatis accommodam Euangelio, diuerſimodè tractandam, inducendamque, ſecundùm varias ciuitates, & loca, apud quæ tibi prædicare contigerit. Si enim accidat, te concionaturum in ciuitate, vbi vigent Studia, Gymnaſia, Academiæ, &c. vti iacet, eam proponere, & amplificare poteris. Si autem, in loco, in quo ars militaris præualet, & vbi ciues arma tractant, te verba facturum, occaſio ſeſe ipſa porrexerit, obedientiaque præceperit, ne Inuentio (aliòqui bona) ob exaltatas tamen, & prælatas litteras iniocunda ſit, & Auditores, ne dum beneuolos non reddat, ſed auerſos faciat, dicere debebis: Fuiſſe ſemper agitatiſſimam quæſtionem: Num litteræ armis præferendæ? Et quia validiſſimæ ſunt pro vtraque parte rationes, & adhuc ſub iudice lis eſt, te non ita audacem, ac liberum eſſe, vt tantam audeas, non ſolum componere, ſed & decidere litem; & idcircò ambas apud te præclaras eſſe profeſſiones, ex æquo laudabiles, & honoris, ac dignitatis pari incedere gradu. Vndè Iuſtin. vbi ſupra, ambas iudicauit Reipub. neceſſarias, vnam bellorum, alteram pacis tempore, &c. Quod præintelligens Centurio, armis iungit litteras, & Centurio eſſe non deſinens, Doctor euadit. In quo doctoratu recipit primò Birretum, &c. vt ſupra. *Iuſtinian. vbi ſupra.*

SECVN-

SECVNDA INVENTIO EST,

CHriſti benedicti, & ſponſæ eius Eccleſiæ mentem eſſe hodie, in perſona Euangelici Centurionis,docere nos pugnæ ſpiritualis artem,& de inimicis victoriam reportandi modū nobis tradere præcellentem. Cùm enim omnes inimici, aut ſpirituales, aut corporales ſint; & corporales, vel homines, vel mundus, in quo degunt illi;
Pſal.73. contra ſpirituales, qui dœmones ſunt, *quorum ſuperbia aſcendit ſemper*, docent nos pugnare humilitate,in perſona
Matth.8. Centurionis, qui ſe humiliat Chriſto: *Domine, non ſum dignus, &c.* Contra corporales, qui homines ſunt, nos offendentes,docēt nos pugnare charitate,qua,nobili genere vindictæ, victoriā reportamus; & hoc in perſona eiuſdem Centurionis, qui charitatem, & pietatem erga homines inimicos oſtendit, Synagogam ædificans ſuis ſumptibus Iudæis,
Luc.7. ſuæ legis inimicis. *Diligit enim gentem noſtram,& Synagogam ipſe ædificauit nobis,* inquiūt Seniores Iudæorū Chriſto. Contra mundum tandem, alium corporalem inimicū,docēt
Matth.8. nos pugnare acceſſione illius ad Ieſū: *Acceſſit ad Ieſum Centurio.* Si enim ad Ieſum accedemus, mundi pompis, & vanitatibus non ſubiacebimus,eius illecebras fugiemus,delicias deſpiciemus, & ſolùm ad æterna bona, quæ fide creduntur, aſpirabimus, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SAtis decipiuntur, qui credunt, in reſpectu ad agens, idē eſſe ſcopum, & finem; multùm enim differunt. Scopus namque eſt circa media, & ad finem conducentia, finis verò circa extremum, & circa illud materiale, quod formaliter finis vocatur. Patet id; nam ſcopus Medici eſt ab infirmo auferre febrim; finis (ablata febri) ſanitati illum reſtituere. Scopus ruſtici eſt, præparare ita, atque diligenter adeò

adeò colere terram, vt optatos fructus colligere valeat; finis (culta terra) fructus ipſos ſibi comparare, & in vſum reſeruare. Scopus in ſtadio currentis eſt, alios anteire, omneſque poſt terga relinquere; finis (hoc adepto) brauium accipere, & præmium conſequi. Quod optimè D. Paul. docet 1. Cor. 9. dicens: *Neſcitis, quòd hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? ſic currite, vt comprehendatis.* Ita namque currere, vt comprehendamus, ecce ſcopũ; comprehendere actualiter brauium, ecce finem. Hoc ipſum ibidem docet alio exemplo. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ab omnibus namque ſe abſtinere, quæ agoni contraria ſunt, ecce ſcopum; coronam accipere, ecce finem. 1. Cor. 9. Verſ. 25. eiuſdē cap.

His ſtantibus, dico; benè pugnare, & victoriam reportare differre ad inuicem; nam vnum eſt ſcopus, alterum finis. Benè enim poſſe, & ſcire pugnare, ſcopus eſt pugnantium; victoriam autem reportare poſt pugnam, finis. Vndè Chriſtus benedictus, & ſponſa eius Eccleſia, cupientes, vt nos de inimicis omnibus, tam ſpiritualibus, quàm corporalibus victoriam reportemus, docent nos hodie, in perſona Euangelici Centurionis, pugnandi peritiam, & à ſcopo non aberrare. Cùm enim circa ſcopum omnis conatus, omnis induſtria, tota diligentia, vniuerſa peritia; ſi ſcopum teneamus, eum attingere nobis detur, res noſtra in tuto eſt, de victoria ambigendum non eſt. Benè ergo pugnare docent ſuos fideles. Et primò contra ſpirituales inimicos, dæmones (inquam) humilitate, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

OPtimum medicum, Chriſtum, vt filios ſuos, ſpirituali infirmitate detentos (varijs enim culpis, & exceſſibus, *à planta pedis, vſque ad verticem capitis, non eſt in eis ſanitas.*) perfectè curet, ac priſtinæ ſanitati reſtituat, infirmitates, in perſona infirmi ſerui Centurionis, per oppoſita, in perſona Centurionis, myſticè, & ſymbolicè deſcripta, Eſa. 1.

ſcripta, optimè curandi modum tradere. Cùm enim omnis talis infirmitas ſit,aut ab ignorantia,aut à fragilitate,aut à malitia, omnes perfectè curandi modum in hoc Euangelio oſtendit. Nam infirmitas per ignorantiam, in perſona ſer-
Matth. 8. ui: ***Domine,puer meus, &c.*** (eſſe enim ignorantem puerorũ
cum ſeqq. proprium) curatur per cognitionem in perſona Centurionis: ***Dic tantùm verbo,&c.*** Infirmitas eiuſdem ſerui per fragilitatem: ***Iacet paralyticus***, curatur per acceſſum ipſius Centurionis ad Ieſum, qui fragilitatem noſtram ſubſtentat: ***Acceſſit ad Ieſum Centurio.*** Infirmitas tandem ipſiuſmet ſerui per malitiam: ***Et malè torquetur*** (grauior enim cæteris, cæteris etiam grauiùs torquet) curatur per bonitatẽ Centurionis erga Deum,cui ſe ille humiliat, vtque Deum adorat: ***Domine, non ſum dignus, &c.*** & erga proximum dupli-
Luc. 7. citer: ***Synagogam ædificauit nobis,&c.*** et: ***Domine,puer meus iacet in domo, &c.***

Vel dicas; quatuor mala, quæ in Centurionis ſeruo de-
Matth. 8. ſcribuntur, ſcilicet, eſſe ſeruum: ***Domine puer***, ideſt ſeruus, ***meus***. Vt patet in Sacris litteris, in quibus frequentiſſimè
Gen. 19. hæc vox (*puer*) pro ſeruo accipitur. ***Declinate ad domum***
Gen 22. ***pueri veſtri. Reuerſus Abraham ad pueros ſuos. Faciens***
Heſt. 1. ***grande conuiuium pueris ſuis. Bibe aquas,de quibus,& pueri***
Ruth. 2. ***bibunt. Surgant pueri, & ludant coram nobis***, & centiès in
2. *Reg.* 2. Scriptura. Præterquàm quòd Lucas non hunc puerum, ſed
Luc. 7. ſeruum nominat: ***Centurionis autem cuiuſdam ſeruus, &c.***
Matth. 8. Iacere: ***Iacet in domo.*** Eſſe paralyticum: ***Paralyticus.*** Et ma-
cum ſeqq. lè torqueri: ***Et malè torquetur***; curari, & optimè in Centurionis perſona. Nam, vbi puer ſeruus eſt, ſeruitutem peccati deſignans, Centurio dominatur: ***Dico huic: Vade, & vadit, &c.*** dominium paſſionum, & ſenſualium motuum innuens. Vbi ſeruus iacet, peccato vires animæ eneruante, Centurio accedit firmo greſſu animæ ad Ieſum: ***Acceſſit ad eum Centurio.*** Vbi ſeruus eſt paralyticus, membrorum animæ reſolutione expreſſa, Centurio eſt firmus in metaphori-
Luc. 7. cis animæ membris; in intellectu per fidem: ***Cùm audiſſet de***
Matth. 8. ***Ieſu, &c.*** et: ***Dic tantùm verbo, &c.*** in voluntate per pieta-
Luc. 7. tem erga Deum: ***Synagogam ipſe ædificauit nobis***, & erga
Matth. 8. proximum: ***Domine,puer meus,&c.*** ac tandem in memoria per recordationem, qua confirmat ſe: ***Dico huic: Vade, & vadit,&c.*** Vbi ſeruus tandem malè torquetur, peccati ma-

litia,

litia, Centurio humilitate: *Domine, non ſum dignus, &c.* omnem peccati malitiam extinguit. Nam, cùm peccatum ex malitia à ſuperbia ortum habeat, & à nolle Deo ſubijci, eius perfecta curatio vtique ab humilitate, & propriæ cognitione miſeriæ, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ESaias, primus Propheta, & quintus Euangeliſta, principio ſuæ diuinæ prophetiæ, veluti dolore maximo repletus, & ex intimo diſcruciatus, elegiaco ſtylo cuiuſdam miſerabilis infirmi ægritudinem grauiſſimam deſcribit, eius ſingula mala ſingillatim recenſendo: *Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Quaſi diceret: Graui vtique, nec inficior, infirmitate, infirmus, mihi in viſione oſtenſus, detinetur, propter quod ego diſcrucior, & intimos experior cordis dolores, vt par eſt, & ex charitate deuincor; habet enim vulnus in capite, liuorem in corde, ac tumorem in toto corpore. Sed, quod peius eſt, nec fruſtum panni miſerrimus habet, quo plagas circumliget; nec medicamen aliquod, quo, ſi non curari, vel ſaltem mitigari, infirmitatis acerbitas poſſit; nec tandem parùm olei, quo malè affecta corporis loca delinire, & tantillùm, inungendo, refrigerare valeat: *Vulnus, & liuor, &c.* *Eſa. 1.*

Secundùm ſpiritum, infirmus iſte eſt peccator; & iuxta litteralem ſenſum, à Propheta intentum, vulnus in capite, peccatum Principum eſt, qui per caput in Sacris Scripturis accipiuntur, vt dicit Hieron. ſuper Eſa. 1. & 9. & ſuper Ioël. 2. Greg. 2. Mor. 29. & ſuper Gen. 3. Liuor in corde eſt peccatum Religioſorum, qui per cor in eiſdem Scripturis ſumuntur, vt inquit idem Hieron. ſuper Iere. 4. Orig. 3. Periar. 1. & Hom. 6. ſuper Eſa. Et plaga tumens in toto corpore peccatum totius populi eſt, qui per corpus item in Scripturis ſignantur, vt dicit Paulus: *Multi vnum corpus ſumus in Christo, &c.* & confirmat Hieron. ſuper Eſa. 1. ideſt ſuper hunc locum. Sed vulnus in capite, vt noſtro deſeruit inſtituto, eſt peccatum per ignorantiam, liuor in cor- *Hieron.* *Gregor.* *Hieron.* *Origenes.* *Rom. 12.* *Hieron.*

de, peccatum per malitiam, ac tumor in corpore, pecca-
tum per impotentiam. Cùm enim per caput, mentem intel-
Cle. Alex. ligat Clem. Alex. 1. Pæda. 2. Philo de Somnijs, & Ric. de
Philo. S. Vict. de Stà. inter hom. per cor, prauè affectum, pecca-
Ric. de S. Vict. tum ex malitia, & obſtinatione accipiant idem Ric. de Se-
cur. conſc. 27. Orig. 3. Periar. 1. & ſuper Eſa. Hom. 6.
Origenes. Greg. ſuper 1. Reg. 6. & 10. Mor. 15. ac tandem per cor-
Gregor. pus, *aggrauans animam*, quandam pronitatem ad peccan-
Sap. 9. dum, & fragilitatem ſignificatam velint Paul. Rom. 7.
Rom. 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in mẽbris meis. Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis*
Cle. Alex. *huius?* Clem. Alex. 3. Strom. & Epipha. 2. cont. Hære. To.
Epiphan. 1. profectò vulnus in capite, erit peccatum ex ignorantia; liuor in corde, peccatum ex malitia, ac plaga tumens, peccatum ex impotentia, & fragilitate.

Horum triũ ſtemma, & viuum exemplar proponitur hodie, in perſona ſerui Centurionis, qui habebat vulnus in capite, per ignorantiam, quia puer; liuorem in corde, quia malè torquebatur; atque impotentiam in toto corpore; quia iacebat. Eorum tamen curatio docetur in perſona Centurionis. Si enim ſeruus eſt ignorans, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO
EST,

QVatuor in huius Euangelij ſcena introduci perſonas; Chriſtum, Centurionem, Centurionis ſeruum, & Seniores Iudæorum; qui Seniores, licèt non à Matthæo, à Luca tamen introducuntur, rogantes Ieſum pro Centurione. Quarum perſonarum talis eſt differentia, quòd Chriſtus operatur, & dat alijs operari; Centurio operatur pro ſe, & ſeruo; ſeruus, infirmitate detentus, non operatur; Seniores pro Centurione, non pro ſe operantur.
Luc. 7. Chriſtus operatur, quia trahit Centurionem. *Cùm audiſſet enim de Ieſu*, inquit, Lucas, *acceſſit ad illum*; & quia intrat
Matth. 8. cum ſeq. Capharnaum: *Cùm intraſſet, &c.* & quia ſanat ſeruum Centurionis: *Et ſanatus eſt puer in illa hora.* Dat alijs operari,
quia

quia eſt primum mouens, & vltimus finis; & ſi Centurio accedit, orat, humiliatur, credit, &c. totum Chriſto referendum, qui dedit ei lucem, deſiderium, vires, &c. Centurio operatur pro ſe, quia accedit ad Ieſum, & in eum credit; pro Iudæis, quia Synagogam illis ſuis ſumptibus ædificauit; & pro ſeruo, quia pro eo orat, & ſanitatem ei impetrat. Seruus non operatur, quia iacet paralyticus, & malè torquetur. Seniores tandem operantur pro Centurione, nam pro illo rogant, dicentes Ieſu: *Dignus eſt, vt hoc illi praſtes, diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis*; non autem pro ſe operantur, quia in Chriſtum non credunt, eius præſentiam exigunt, & ab eo ſpiritualem ſanitatem non quærunt. Vndè de eis Chriſtus: *Filij Regni eÿcientur in tenebras exteriores, &c.* *Luc.7.* *Matth.8.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVia fruſtratoria, ac vana fuiſſet creaturarum creatio, ni operando, Creatorem ſuum, quælibet, ſuo modo proteſtaretur, & indicaret, vna voce, pariq́ue profeſſione confitendo: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*; & ni propriam, à Deo datam virtutem, inditamq́ue facultatem, agendo manifeſtaret, idcircò, ſtatim vna quæque creatura, accepto eſſe, cœpit, agendo, & operando, Deum, ſeque prodere. Vndè hac de cauſa ſubitò lux cœpit lucere, aſtra micare, cœli circumagi, terra producere, animalia ſentire, homines intelligere, &c. Adde, quòd, eſto, nulla eſſet operandi ratio extrinſeca, manifeſtationis, ſcilicet, propriæ virtutis, & gloriæ Dei, adhuc operarentur illæ, quia eſt impoſſibile creaturam eſſe, & nihil agere; eſſe actum primum, à quo nullus ſecundus; cùm implicet, mundialem hanc machinam conſiſtere, creaturis nihil operantibus; Licèt enim non ſit repugnantia, auferri à creatura aliquem actum ſecundum, cùm non dependeat primus à ſecundo, implicat tamen, ſine omni actu eſſe; cùm aliqui effectus cauſæ ſint coëui, &, ea poſita, ponantur, ab eaque ſeparari nequeant. Et tandem, dato, ab vna particulari creatura quælibet, per poſſibile, vel impoſſibile, operatio auferretur, impoſſibile eſt tamen, creatu- *Pſal.99.*

ras omnes, totumque mundum exiſtere, illis nihil operantibus; diſſolueretur enim mirabilis hæc compago, & nexus, omniaque interirent, ac ruerent. Vndè meritò Aug. affirmat, quòd, *ſi ignis eſſet æternus, ſplendor, ab eo cauſatus, ſibi eſſet coæternus.*

Libr. 6. de Trin. c. 1.

Claret ergo, creaturas omnes in mundo proprijs functionibus operari, & quamlibet, ſuo modo, illas exercere operationes, quæ ſibi propriæ ſunt, & à Creatore iniunctæ. Vndè non mirùm, ſi hodie, in ſacri Euangelij myſtica ſcena, quatuor introductæ perſonæ, omnes operantes deſcribũtur. Operantur namque, & Seniores Iudæorum, & Centurionis ſeruus, & Centurio, & Chriſtus; ſed diuerſimodè. Nam Chriſtus, & operatur, & dat alijs operari, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

TRria Euangeliſtam de fideli hoc Centurione nobis narrare. Primum, quomodo ad Chriſtum accedat; ſecundum, quomodo coram eo ſtet; tertium, quomodo ab eo diſcedat. Accedit enim cum bonorum operum exercitio, licèt infidelis, & in mortali adhuc exiſtens: *Synagogam ipſe ædificauit nobis*; nec non auditu fidei excitatus: *Cùm audiſſet de Ieſu.* Stat coram eo, orando: *Domine, puer meus, &c.* humiliando ſe: *Domine, non ſum dignus, &c.* & confitendo ipſius diuinitatẽ: *Dic tantùm verbo, &c.* Et diſcedit iuſtificatus; promittens enim illi Chriſtus gloriam: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent, &c.* neceſſariò præſupponitur eius iuſtificatio. Diſcedit etiã exauditus: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi*; & laudatus denique: *Non inueni tantam fidem in Iſraël.*

Luc. 7. cum ſeq. Matth. 8. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DEum, creaturarum omnium finem (*omnia enim propter ſe ipſum creauit Altiſſimus*) diuerſimodè illas ad ſe trahere,

ex 43. Eſa. verſ. 7.

trahere, &, tamquàm ad vltimum finem, perducere, docent Theologicæ veritates, perſuadent diuinæ Scripturæ. Creaturas enim, rationis expertes, conducit potentia, & vi quadam latente, imperioque magis, quàm lenitate; *imperat namque ventis, & mari, & fit tranquillitas magna; imperat febri, & dimittit infirmam; ordinatione ſua perſeuerat dies; dicit, & facta ſunt*; &, in ſumma, *quaecunque vult, facit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*. Creaturas autem rationales, propter arbitrij libertatem, non potentia, aut imperio aliquò ad ſe trahit, &, tamquàm ad finem vltimum, perducit, ſed potiùs mititate, lenitate, ac ſuauitate quadam. Quia licèt eos annihilare poſſit, non tamen eorum libero arbitrio violentiam inferre vult. Immò, vt mentis ſuæ propoſitum aſſequatur in eis, opus eſt, vt quodammodo ſe humiliet, bona verba proferat, precationes adiungat, & dulciſſimè ab illis conſenſum extorqueat. Vt patet Cant. 5. in perſona ſponſi, qui, vt ſibi aperiat ſponſa cordis oſtia, lepidis verbis, & voce prædulci, ac ſuaui vtitur, pièque precatur: *Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, &c.* Vndè Deus ipſe, hominis cor generoſum noſcens (*Ipſe enim ſcit, quidnam ſit in homine*, & quòd non patitur imperioſos tractus) promittit, ſe illos tracturum dulciter: *In funiculis Adæ traham eos, in vinculis charitatis.* Docet id D. Paul. 1. Cor. 7, *Non haben tes neceſſitatem, ſed poteſtatem voluntatis ſuæ*. Et ad Philem. *Vt non ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Deus enim*, ait Hieron. ad Eluid. *æquali cunctos ſorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnuſquiſque, quod vult, ſiue bonum, ſiue malum. Qua libertate habet*, ait Baſil. Quòd Deus non ſit author malorum; *liberam in agendo vitam, & inſitam optandi poteſtatem, aut Deum ſequi, aut ab eo remoueri*. Et idcircò ipſemet Deus *ab initio conſtituit hominem*, & poſtea *reliquit eum in manu conſilij ſui; appoſuit ei ignem, & aquam; antè eum poſuit vitam, & mortem, bonum, & malū, vt, quod placuerit ei, detur illi*. Vndè Iere. 21. *Ego*, inquit Deus, *do coram vobis viam vitæ, & viam mortis, eligite*. Et Matth. 11. dixit Chriſtus Iudæis, hominis libertati magni aliquid tribuens, pluriùmmque deferens: *Si vultis recipere* (loquebatur de Ioanne Baptiſta) *ipſe eſt Elias*.

Matth. 8. *Luc. 4.* *Pſal. 118.* *Pſal. 134.* *Cant. 5.* *Ioan. 2.* *Oſe. 11.* *1. Cor. 7.* *ad Philem. verſ. 14.* *Hieron.* *Baſilius.* *Eccli. 15.* *Iere. 21.* *Matt. 11.*

Quod, veluti in praxi quadam, apparet in perſona Centurionis,

turionis, quem Chriſtus benedictus, non violenter, aut imperio aliquo ad ſe traxit, ſed ſuauiter, & dulciter. Tractus eſt enim ſuaui tractu veritatis intellectus eius, & dulci impulſu ſummi boni voluntas illius, cùm audiſſet de eo. Et id-
Matth. 8. circò ad illum acceſſit: *Acceſſit ad eum Centurio.* In quo acceſſu tria nobis conſideranda proponuntur ab Euangeliſta, ſcilicet, quomodo accedat ad Ieſum, quomodo maneat corā eo, & quomodo ab eo diſcedat. Accedit enim, &c. vt ſupra.

SEXTA
POST CINERES.

Matth. 5. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, &c. Matth. 5.

PRIMA INVENTIO EST,

Hieron. *Auguſt.* *Gregor.* *Orig.* *Cyril.* *Rup.*

CHriſto benedicto, de mõte Euangelij (Hieron. ſuper Eſa. 7. & Iere. 16. Aug. 1. de ſerm. Dom. in mon. Greg. Hom. 9 ſuper Ezech. Orig. in diuer. Hom. 5. & ſup Matth. Hom. 29. Cyril. 3. ſuper Ioan. 3. Rup. ſuper Zach. 6. & ſuper Abd.) deſcendenti, & legem igneam, de inimico diligendo, in dextera ferenti, verbi Dei Concionatorem hodie occurrere, dictamque legem ab eo recipere; hominibus vtique exportandam, exponendamque, vt illi ſpirituali igne verè, ſanctèque igniti reddantur.

Cui diuinæ intentioni omnia fauent. Nam legem ferens
Deut. 4 & ignis eſt: *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Exportantis, ex-
Heb. 12. ponentiſque verba ignita: *Ignitum eloquium tuum.* Subie-
Pſal. 118. ctum illius, ad igneam affectionem, aptum, idoneumque:

Non

Non ne cor noſtrum ardens erat in nobis, &c. Ac tandem effectus, qui à Chriſto intenduntur, igniti: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* *Luc. 24.* *Matth. 5.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MOyſes, homo Dei, de carnis ergaſtulo egreſſurus, & iamiam ſpiritum Creatori ſuo redditurus, omnibus filijs Iſraël, quos vnicè diligebat, benedicere voluit, ſecundùm tribus, & cognationes ſuas. Et quia dulciſſimum, ſuauiſſimumque cantum emiſſurus erat, veluti optimus Citharædus, qui iuſto carmini proludium præcinit, quædam, ante benedictionis initium, de futuro, expectatoque Meſſia præmiſit, ad aures audientium mulcendas, cordaque præparanda. Ait enim ſacer textus Deut. 33. *Hæc eſt benedictio, qua benedixit Moyſes, homo Dei, filijs Iſraël, ante mortem ſuam. Et ait* (antequàm, ſcilicet, ad benedicendum deſcenderet, quaſi proludium canens) *Dominus de Synai venit, & de Seir ortus eſt nobis; apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera eius ignea lex, &c.* Deindè, benedicere incipiens, inquit: *Viuat* Ruben, *&c.* *Deut. 33.*

Sed, quod ad poludium attinet, de Sinai venturum, de Seir oriundum, & de Pharan appariturum, congruè prædicit Moyſes, Chriſtum Dominum. De Sinai namque, qui rubus, & tentatio interpretatur, venire debebat, quia per tentationes varias, & paſſionem ſuam ad ſaluandos nos venit, inquit Auguſt. q. in Deut. 56. & Iſych. ſuper Leu. 7. De Seir quoque oriundus erat, quia naſciturus de Iudæis, propter peccata hirſutis, & aſperis, vt erat Eſau, à quo mons ille, nomen accepit, inquit Rup. 2. ſuper Deut. 9. & ſuper Iud. 8. De Pharan quoque apparere debebat, quia, quò ad æternã generationem, & natiuitatem, de Pharan vmbroſo, hoc eſt, de Deo Patre, mortalibus incognito, genitus apparuit, ait idẽ Rup. ſuper Aba. 3. & quò ad temporariam originem, de Pharan fructifero, hoc eſt, de Eccleſia, & Synagoga apparuit, inquit Aug. vbi ſupra. Quem ſi dixeris, de Pharan, id eſt, de ſeipſo apparuiſſe, rectè ſenties cum Orig. ſuper Num. *Auguſtin.* *Iſychius.* *Gen. 25.* *Rupertus.* *Idem.* *Auguſtin.* *Origenes.*

Hom. 7. inquantùm. ſ. Pharan os viſibile interpretatur, & incarnato Verbo quadrat.

De quibus montibus veniens, oriens, & apparens, conuenientiſſimè igneam legē in dextera portare dicitur, quia diuini amoris ignem, &c. Sed, quod ad rem noſtram attinet, dicendum; de monte Euangelij (qui mons dicitur, vt ſupra ex SS. PP. annotauimus, & mons Pharan, vt annotat Hieron. ſuper Aba. 3. qui dicit, quatenus Pharan os videntis interpretatur, tunc Dominum ad nos de Pharan venire, cùm per ſermonē viri eruditi ad nos venit) hodie Dominū deſcendere, quia per ſermonem Euangeliſtæ, & eius diſcipuli Concionatoris ad cor noſtrum deſcendit. Ille autē cernens, Dominum hodie de prædicto Euangelij monte deſcēdere, igneam legem, de inimico diligendo, in dextera ferentem, ei occurrit, &c. vt ſupra.

Hieron.

SECVNDA INVENTIO EST.

CIrca dilectionis inimicorum mandatum, nouitatem non paruam toti Eccleſiæ, ac mundo penè vniuerſo attuliſſe Chriſtum. Quod & illis verbis ipſe ſignificauit: ***Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, &c.*** Ideòque dicendum; vndèquaque nouum eſſe, nouitatemque maximam in ſe includere hoc præceptum. Eſt enim nouum ex parte præcipientis, nouum ex parte præcepti, & nouum deniquc ex parte præmij. Ex parte quidem præcipientis, qui Deus eſt: Nam, vbi priùs de eo audiebatur: ***Deus vltionum Dominus, viſitans iniquitates, &c.*** Poſt incarnationem factus eſt *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Ex parte præcepti, quia priùs dictum eſt antiquis: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*; hodie autem nobis præcipitur: *Diligite inimicos veſtros, &c.* Ex parte tandem præmij, quia priùs legem obſeruantibus, ad ſummum, promiſſum legimus, pro temporali mercede: ***Bona terræ comedetis***; adimplentibus autem dilectionis inimicorum præceptum Dei filiatio-

Ioan. 13.
Pſal. 93.
Exo. 20.
2. Cor. 1.
Matth. 5. cum ſeqq.
Eſa. 1.

filiationem ſpondet Chriſtus: *Vt ſitis filÿ Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* *Matth.5.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVamuis Deus antiquiſſimus ſit (initij enim eſt expers) nouitate tamen, ac nouis rebus ſemper delectatus eſt. Clareſcet id, ſi ſufficientem obiectorum diuiſionem, ſuper quæ diuini intellectus, & voluntatis actus tranſit, attulerimus. Vel enim tranſit ſuper ſpirituales, vel ſuper corporales creaturas. Si ſuper ſpirituales; aut merè ſpirituales, aut mixtas ex ſpirituali, & corporali. Si ſuper merè ſpirituales, ſic in angelis nouitate gaudet: Nam, cùm per cœlos figurêtur in Scripturis *(Gen. 1. 14. & 28. Deut. 32. Iob 11. 15. 26. & 38. 2. Paral. 2. Pſal. 8. 17. 32. 35. 56. 68. 103. 123. 134. 135. 143. 145. & 148. Prou. 3. Sap. 8. Eccli. 1. & 16. Eſa. 1. 13. 41. 44. 49. & 66. Iere. 2. & 33. Matth. 5. Luc. 2. Hæbr. 3. 4. & 6. & confirment Philo de Somnijs, Orig. ſuper Gen. Hom. 1. & ſuper Iere. Hom. 2. & ſuper Matth. Hom. 30. Ambro. ſuper Pſal. 118. Serm. 12.) *nouos cœlos* & in Eſaia, & in Ioanne legimus. Si ſuper creaturas ſpirituales, & corporales ſimul, ecce nouitatem: *Dabo vobis cor nouum*, Ezech. 36. *Renouabis faciem terræ*, Pſal. 103. &: *Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua*, Pſal. 102. Si ſuper corporales non rationales, ſenſitiua tamen vita viuentes, audimus: *Nouiſſimè autem viderunt nouam creaturam auium, cùm, adducti concupiſcentia, poſtulauerunt eſcas epulationis*, Sap. 19. Si ſuper viuentes vita vegetatiua, ſcriptum extat: *Offeretis nouas fruges Domino*, Leu. 23. Si ſuper mixta perfecta, ſic, *pallium nouum* 3. Reg. 11. *ſtolam nouam*. Iudith. 16. *plauſtrum nouum*. 2. Reg. 6. *nouas funes*. Iud. 16. & ſimilia, reperimus. Si ſuper mixta imperfecta: *Negantes enim, te noſſe impÿ, per fortitudinem brachÿ tui flagellati ſunt, nouis aquis, & grandinibus, & pluuÿs perſecutionem paſſi*, Sap. 16. legimus. Si ſuper elementa: *Elementa verò calore ſoluentur*, inquit Petrus ſuæ Can. 2. 3. cap. Si tandem cuncta noua deſideras, deſiderio tuo ſatiſfacit Deus, proferens: *Ecce, noua facio omnia*, Apoc. 21.

** Gen. Deut. Iob. Paral. Pſal. Prou. Sap. Eccli. Eſa. Iere. Matth. Luc. Hebr. Philo. Origenes. Ambroſ. Eſa. 65. & 66. Apoc. 21. Ezech. 36. Pſal. 103. Pſal. 102. Sap. 19. Leu. 23. 3. Reg. 11. Iudith. 16. 2. Reg. 6. Iud. 16. Sap. 16. 2. Pet. 3. Apoc. 21.*

Non mirum igitur, ſi Chriſtus, qui, vt nouum quid, venit in ter-

in terras, cuius omnia noua, & nihil obſoletum, aut detri-
tum, nouum etiam præceptum dedit, inimicum diligendi:
Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis, &c.* Quod quidem eſt nouum,
tum ex parte præcipientis, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

REpudiatis antiquis, ſenibus, debilibus, legem
ſuam, de inimico diligendo, Chriſtũ dare iu-
uenibus, fortibus, robuſtis, vim adimplendi,
quod præceptũ eſt, habentibus, Olim. n. dic-
Matth. 5. *cum ſeq.* tum eſt antiquis: *Diliges proximum tuum,*
& odio habebis inimicum tuum, nunc autem
dictum eſt iuuenibus: *Diligite inimicos veſtros, &c.* Et quia
omnia myſterio quadrant, qui præcipit iuuenis eſt; figura-
tus *per iuuenem, qui, veſtitus lineis, circuit ciuitatem Ieru-*
Ezech. 10. *ſalem, & eſt in medio rotarum, & carbones ſpargit ſuper ho-*
Gregor. *mines,* Ezech. 10. & confirmat Greg. 22. Mor. 19. *& per*
Eſa. 62. *iuuenem, qui habitat cum Virgine,* ſcilicet, Eccleſia, Eſa. 62.
Hieron. aſſertore Hieron. ſuper eundem locum; *& per iuuenem,*
Pſal. 36. *qui ſeneſcit cum Eccleſia,* vt dicit Aug. ſuper Pſal. 36. Quod
Auguſt. præcipitur iuuenile eſt: *Mandatum nouum do vobis, &c.*
Ioan. 13. figuratum per *noua poma*, Cant. 6. Eſa. 42. & 43. *nouum*
Cant. *canticum,* Pſal. 32. 95. 97. 143. & 149. *nouam conſperſionem,*
Eſai. 1. Cor. 5. *nouum ſacrificium*, Leu. 23. *nouum vinum in*
Pſal. *vtres nouos,* Matth. 9. & affirmant Hieron. ſuper Eſa. 42. &
Cor. ſuper Matth. 9. Baſil. ſup Pſal. 32. Hila. ſuper Pſal. 143. Amb.
Leu. ſuper 1. Cor. 5. Iſych. ſuper Leu. 23. Quibus tandem præci-
Matth. pitur iuuenes ſunt, non quidem ætate, ſed iuuentute, reno-
Hieron. uata aqua regenerationis, & virtute Spiritus Sancti. Chri-
Baſilius. ſtiani enim iuuenes ſunt (inquiunt Clem. Alex. 1. Pœda. 5.
Hilarius. & Hieron. ſuper Eccl. 11. exponens verba illa: *Lætare ergo,*
Ambr. *iuuenis, in adoleſcentia tua, &c.*) quia, ſcilicet, noua bona
Iſychius. didicerunt, ſuntque in ætate, ſenij experte, in qua ſemper
Clem. vigent, ad intelligentiam, & mentis agitationem; ſemper
Alex. recentes, ac noui, quoniam noui verbi ſunt participes.
Hieron. Quod autem fuit æternitatis particeps, ei, quod eſt ab in-
Eccl. 11. teritu, alienum eſt.

Intro-

Digitized by Google

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ad Concionem.

HOminis vitam, & ætatem partientes, licèt diuerſimodè partiantur (aliqui enim in tres, Iuuentutem, Virilitatem, & Senectutem; aliqui in quinque, Pueros, Adoleſcentes, Iuuenes, Seniores, & Senes; aliqui in ſeptem, Infantes, Pueros, Adoleſcentes, Iuuenes, Viros, Senes, & Decrepitos; atque alij aliter) omnes tamen communibus in hanc ſententiam eunt pedibus; Senectutem, ne dicamus Decrepitatem, omnibus imperfectiorem eſſe, plenam ærumnis, miſerijs, & defectibus.

Teſtantur id tum Noſtri, tum Exteri. Noſtri quidem; nã D. Cyp. de 12. abuſ.ſæc. abuſ.2. (ſiue illius ſit, ſiue illi falsò aſcriptus liber) *Quid enim ſtolidiùs*, inquit, *fieri poteſt, ſi mens ad perfectionem feſtinare non contendat, quando totius corporis habitus, ſenectute confectus, ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis areſcit, flatus non ſuauiter olet, pectus ſoffocatur, tuſſis cachinnat, genua trepidant, talos, & pedes tumor inflat, etiã homo interior, qui non ſeneſcit, his omnibus aggrauatur?* Hæc ille. Diuus etiam Hieron. Lib. 2. cont. Iouin. & Chriſ. Serm. 2. de Pænit. Tom. 3. aiunt, tanto olim probo fuiſſe hominibus ſenilem ætatẽ, vt Maſſagetæ, & Derbitæ parentes ſuos, cognatos, & propinquos, cùm ad ſenectam perueniſſent, iugulare ſoliti fuerint. Doctor quoque Subt. 1. q. Prol. ibi: *Tres etiam rationes, &c.* Ariſtotelem reprehendit, qui (licèt maximus Philoſophorum) ad hanc tamen dementiam peruenit, vt, orbatos non debere nutriri, affirmarit. Exteri autem plus mille ſunt, qui in ſenectutem, ſeneſque multa ſcripſerunt. Inter quos Cn. Cornelius Gallus, Foroliuien. quatuor Elegias compoſuit: de Incommodis, & defectibus ſenectutis. Quos etiam eleganter expreſſit Iuuen. Sat. 10.

Cyprian. *Hieron.* *Chryſoſt.* *Scotus.* *Polit. 7. cap. 16.* *Cn. Corn. Gall.* *Iuuen.*

Tunc tamen, re vera intolerabilior, &, ad ſummum, moleſta ſenectus, cùm (vt inquit Cypri.) vitijs oneratur, prauiſque affectibus poſſidetur, vt erant Seniores, tempore Chriſti, qui non ſolùm peccabant, inimicũ odio proſequentes, ve- *vbi ſupra.*

tes, ve-

tes, verùm etiam,illius odium licitum eſſe,docentes. Quos Chriſtus hodie reijciens, nouos Chriſtianos, iuuenes, Spiritu Sancto renouatos, eligit;noua eis dans præcepta.Nam,

Matth. 5. vbi dictum eſt antiquis: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum,* ipſe: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, &c.* Quod quidem præceptum vndequaque iuuenile eſt. Iuuenile ex parte præcipientis,&c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

CHriſtum benedictum, qui hominē inueteratum renouare venerat in terras,ipſum perfectè,quò ad omnes ſui partes, renouaſſe. Quod quidem præcipuè in præcepto,de inimico diligendo,veriſſimum dignoſcitur; in quo totalis, per dilectionem, hominis renouatio elucet. Vbi enim priùs,quò ad

Matth.5. cum ſeq. cor,dictum erat: *Diliges proximum tuū,& odio habebis inimicum tuum,* poſtea, in renouatione: *Diligite inimicos ve-*

Pſal.108. *ſtros.* Vbi priùs, quò ad os: *Locuti ſunt aduersùm me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me,* poſtea: *Orate*

Matth.5. *pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Vbi tandē priùs,

Exo.21. quò ad opus: *Oculum pro oculo, & dentem pro dente,*poſtea:

Matth.5. *Benefacite his, qui oderunt vos.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DEus noſter adeò verax eſt in promiſſis, tamque in ad-

Luc.16. implendo ea, quæ pollicitus eſt, diligens, vt *faciliùs*

Matth.5. *ſit,cœlum, ac terram tranſire, quàm iota vnum, aut vnum*

Pſal.88. *apicem ex verbis eius præterire.* Quod quidem Dauid cōcinnè explicauit, dicens: *Domine, veritas tua in circuitu tuo.* Perindè diceret: Quamuis, tu,Domine mi, omnibus perfectionibus præditus ſis, cunctiſque virtutibus mirabiliter præfulgeas,ſingulariter tamen,ita veritate ſplendeſcis,cum eaque coniunctus es, vt inſeparabiliter tibi adhæreat, ipſaque, veluti regali veſte, indutus ſemper appareas, &c.

Vndè

Vndè idem Propheta de diuina fide fidem Fidelibus faciens, affirmauit alibi: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.* Pſal. 144.
Et Eſa. 25. *Cogitationes antiquas fideles dicit*, & 33. *Aquas* Eſa. 25.
Dei fideles prædicat, & 55. *Miſericordias Dauid fideles* 33. & 55.
enunciat. Quapropter meritò concluditur, veritatem Domini manere in æternum: *Et veritas Domini manet in æternum*, & Dominum, non ſolùm eſſe veracem: *Verax eſt* Pſal. 116. Ioã. 3. 33.
Dominus (quod, & inimici, volentes, nolentes confeſſi ſunt: *Scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces*) ſed Matt. 22.
eſſe ipſammet eandem veritatem, teſtimonio eiuſdem Veritatis: *Ego ſum veritas.* Mar. 12. Ioan. 14.

Et quidem optimo iure hæc perfectio peculiaris eſt Dei, vt ipſe omninò diabolo oppoſitus dignoſcatur, *qui mendax* Ioan. 5.
eſt, & pater mendacij, nec non ſpiritus mendax in alijs (ait enim ille de ſe: *Exibo, & ero ſpiritus mendax in ore omniũ* 3. Reg. 22.
Prophetarum) & vt ab hominum veritate veritatem diuinam in infinitum diſtare, oſtenderetur; non ſolùm, quò ad entitatem, & perfectionem, ſed, quò ad ſtabilitatem, & infallibilitatem. Promiſſa enim Dei ſunt ab illo, *qui non poteſt fallere, nec falli*, hominum verò, ſubdolè, ac fraudolenter ſæpè ſæpiùs mutantur, cùm ſint ab illis, qui poſſunt falli, & poſſunt, voluntque fallere. In cuius teſtimonium eſt Scriptura Gen. 31. de Laban, ſocero Iacob, qui circa pollicitam mercedem multotiès erga generum ſuum ſe inſtabilem, ac verſipellem oſtendit, mercedemque, vt illum deciperet, alterauit, plurièſque mutauit. Vndè conquerebatur miſellus Iacob cum vxoribus ſuis, filiabus eiuſdem Laban: *Pater veſter circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus*. Erat enim ex illis, *qui mendaces ſunt* Pſal. 61.
in ſtateris, & de illa terra, de qua *fides, & Sanctus perijt.* Iere. 7.
DD. communiter, & præcipuè Sco. 2. q. Prol. Gen. 31.

Deus ergo, & diabolo oppoſitus, & ab hominibus diuerſus, *fidelis in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*, cùm promiſiſſet, in temporis plenitudine hominis renouationem, & ſpiritualem regenerationem: *Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua*, hoc per ſufficientiam, & efficaciam paſſionis ſuæ mirabiliter præſtitit, vt omnes Scripturæ teſtificantur, & SS. PP. communis doctrina profitetur. Eam tamen renouationem, ac regenerationem, adhuc viuens, verbis, factiſque inchoauit, quemadmodum in præcepto dilectionis inimicorum mirabiliter cernimus adimpletum. Pſal. 144. Pſal. 102.

Digitized by Google

pletum. In ea enim dilectione, quò ad omnes partes, ſcilicet, cor, os, & opus, hominem Chriſtus ſufficienter, & efficaciter renouauit. Nam, vbi priùs homo, in malo inueteratus, corde inimicum odio proſequebatur,&c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

QVadrantiſſimè, reiectis antiquis, iuuenilem ætatem, iuuenesque eligi à Chriſto, ad præcepti dilectionis inimicorum obſeruantiam. Cùm enim tres ſingulares proprietates in illis ſint, tribusque facultatibus præcipuè polleant iuuenes, promptitudine, ſcilicet, ad diligendum (viget enim tunc in eis naturalis calor, ſanguis in venis ebullit, vigoroſi ſpiritus efferueſcũt; omnia amoris ſedes, fomes, eſca, vires) facundia, & copia verborum (non labat enim intellectus, viuax eſt, humidumque cerebrum, nec non pectus, hilaritate plenum, fandi copiam ſubminiſtrat) ac tandem corporali vigore, propter fortitudinem, & robur, illi ætati propria; tria etiam præcepta, his tribus facultatibus reſpõdentia, dat Chriſtus. Quia enim iuuenes ad amorem ſunt
Matth.5. cum ſeqq. propenſi, inquit: *Diligite inimicos veſtros.* Quia ſunt facundi: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Quia deniq; robuſti ſunt, & fortes: *Benèfacite his, qui oderunt vos.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ELiam Prophetam, licèt, quò ad perſonam, non niſi pro ſemetipſo ſupponere poſſe ſciamus, tamẽ, quò ad ſym-
Hom.7. in Euang. bolum, myſterium, & (vt inquit Greg.) ſpiritum, pro pluribus ſupponere poteſt, pro vt variæ in eo proprietates, &
Matt.11. conuenientiæ cum diuerſis Sanctis reperiuntur. Pro Ioanne
Auguſt. accepit eum Chriſtus, dicens: *Et ſi vultis recipere, ipſe eſt*
Bernar. *Elias.* Pro ipſomet Chriſto accipiunt Aug. 12. cont. Fauſt. 34.
Origenes. & Serm. 201. Bern. Serm. 3. Aſcen. & Orig. Hom. 33. ſuper Luc.

Luc. Pro ſanctis Prophetis idem Orig. Hom. 3. ſuper Matth. & Aug. Epi. 109. Ac tandem pro quolibet iuſto Greg. ſuper 1. Reg. 1. & Bern. ſerm. paruo. 64. Hic ergo Elias, variè acceptus, vt Chriſtum tamen ſignificat (interpretatur enim Deus Dominus, & fortis Dominus, ſoli Deo, & Chriſto proprium) inſigne ſibi vendicat elogium Eccli. 48. Ipſum nimirum, vt ignem quendam ardentem, mundo apparuiſſe, verbaque illius ignita, ac lucem afferentia, fuiſſe. Sic enim de illo, eò loci: *Aſcendit Elias, ſicut ignis, & verba eius, ſicut facula, ardebant.* O verè Eliam Chriſtum, cuius vmbrã ille gerebat. Ecquis nam eſt, qui ignoret, ſicut ignem ardentem, viuum, agilem, purgatiuum, ac transformatiuum, apparuiſſe Ieſum, qui de ſe dicebat, vt verè ignis eſt: *Ignem veni mittere in terras?* Quis non nouit, verba illius ignita fuiſſe, quando, duorum diſcipulorum, ipſa audientium, *corda facta ſunt ardentia?* At, quod nam clarius deſideramus teſtimonium? Ecce, in hodierno Euangelio, verba illius corda noſtra dilectionis inimicorum igne accendunt, dum ita efficaciter ac hanc dilectionem ab eo nos hortari ſentimus: *Ego autem, &c.*

Origenes. Auguſt. Gregor. Bernar. Eccli. 48. Luc. 17. Luc. 24. Matth. 5.

Quia tamen hic dilectionis ignis ſenile pectus, aniles medullas, frigeſcentia membra non inflammat, iure meritò ſenibus, antiquis, & in peccato inueteratis reiectis, iuuenes Dominus eligit, ad hunc diuinum ignem excipiendum, nutriendumque accomodos, & verum, propriumque illius ſubiectum. Cùm enim in illis tres proprietates reperiãtur, tribuſque polleant facultatibus, &c. vt ſupra.

SABBATO POST CINERES.

Mar. 6. cum ſeqq.

Cùm ſerò eſſet factum, erat nauis in medio mari, &c. Mar. 6.

PRIMA INVENTIO EST,

DE Sancta Eccleſia, ſub nauis typo, quatuor hodie Marcum Euangeliſtam nobis myſteria cœlitùs aperire; antiquitatem, formationem, præſſuram, & auxilium. *Erat*, ecce antiquitatem. *Nauis*, ecce formationem. *In medio mari, & ventus contrarius*, ecce præſſuram. *Venit Ieſus ad eos*, ecce auxilium.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ITa myſterijs plenum eſt hodiernum Euangelium, atque adeò ſacramentis ſcatet, vt non mirum, ſi tot, tamque varios ſenſus, ac myſticas expoſitiones à Patribus recipit.
Hieron. Hieron. enim ſuper Ezech. 26. inquit, nauim, ab Euange-
Beda. liſta deſcriptam, hominem iuſtum ſignificare. Beda. Tom. 5.
Auguſt. ſuper Mar. 6. cap. 28. pro corde iuſti accipit. Aug. Tract. 3.
Origenes. in Ioan. pro prædicatione euangelica intelligit. Orig. ſu-
Hieron. per 14. Matth. pro corpore Chriſti interpretatur. Hieron.
Hilarius. rurſus ſuper Mar. 4. pro principio Eccleſiæ ſumit. Hilar. ta-
Hieron. men Can. 7. & 13. in Matth. ac item Hieron. Tom. 9. ſuper Mar. 6. pro ipſa Eccleſia poſitam putant. Cuius hodie quatuor myſteria recenſet Euangeliſta, &c. vt ſupra.

SECVN-

SECVNDA INVENTIO EST,

Eccleſiam catholicam ſemper ventis perſecutionum agitatam fuiſſe, ac propterea meritò dicere hodie Euangeliſtam de nauigantibus in euangelica naui, Eccleſiæ typo: *Et ventus contrarius eis.* Qui quidem contrarij venti, licèt multi ſint, ad quatuor tamen potiſſimùm reducuntur; ad ventum contrarium mundanæ ſapientiæ, quæ ſemper, in Philoſophis, ſapientiæ reuelatæ, & fideli doctrinæ contraria fuit; ad ventum Principum huius ſæculi, qui Crucis probrum, & contumeliam horruerũt; ad ventum Hæreticorum, qui falſis dogmatibus, & malè intellectis Scripturis, contra Eccleſiam concertarunt; & ad ventum Hypocritarum, aliorumque malorum Chriſtianorum, factis fidem negantium. His tamen ventis, licèt agitata, firmiſſimè tamen ſemper reſtitit Eccleſia. Et primò, vento mundanæ ſapientiæ reſtitit, quia nauis: *Erat nauis*, onerata, ſcilicet, mercibus humanæ, ac diuinæ ſapientiæ, omniumque veritatum, quas eſt edocta à Spiritu Sancto, de quo promiſſum legimus: *Docebit vos omnem veritatem*. Secundò, vento Principum ſæculi reſtitit, quia longè, in ſui agitatione, à littore, & à ſcopulis, *eſt in medio mari* diuinæ protectionis, & cuſtodiæ angelorum. Deum enim per mare ſignificari, atque etiam angelos, docent Scripturæ. De primo namque Eccl. 1. *Ad mare, vndè exeunt, flumina reuertuntur.* Et de ſecundis Apoc. 4. *Mare vitreum, ſimile chriſtallo.* Tertiò, vento Hæreticorum reſtitit, quia videtur à Deo; dicitur enim in Euangelio, quòd Chriſtus vidit diſcipulos, vento agitatos: *Vidit eos.* Quia enim ſemper Deus reſpicit Eccleſiam ſuam, & eſt cum illa in Concilijs, aduerſùs Hæreticos coactis, hæreſum ventum, & procellas ſemper illa ſuperauit. Ac tandem quartò, Hypocritarum, & malorum Fidelium vento conſtantiſſimè reſiſtit, dum eſt *laborans in remigando*. Exercitio enim bonorum operum iuſti Fideles Hypocritatum, cæterorumque malorum fucatas, ac prauas actiones confundunt.

Mar. 6. cum ſeq.

Ioan. 16.

Mar. 6.

Eccl. 1.

Apoc. 4.

Mar. 6. cum ſeq.

C *Intro-*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Eccleſiæ, ſponſæ ſuæ, præſſuras, ac tribulationes inſpiciēs Chriſtus Deus, eiuſque in aduerſis conſtantiam, & fortitudinem, ſuos laboras blandè conſolatur illis verbis: *Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni: Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum*. Ac ſi diceret: Magni quidem ſunt labores tui, ſuſtinentia tua in aduerſis, conſtantia tua, Virgo, ſponſa mea; &, re vera, tales, vt, illis ſuperatis, ac de eis victoria iam reuecta, palmam merearis, coronari digna exiſtas. Ideò, vt laborum tuorum optatos fructus, præmium, & condignum honorem reportes, *veni de Libano, &c.*

Cant. 4.

Quia Amana in ſancta lingua fides, veritas, credulitas, & nutrix interpretatur, tunc Eccleſia, propter conſtantiam aduerſus ventum mundanæ ſapientiæ, de Amana coronatur, cùm, fide (*intellectum in obſequium ſui captiuante*) omnes illas veritates, quæ ſenſu non percipiuntur, nec demonſtratiuè concludi poſſunt, firmiſſimè tenet, certiùſque illis adhæret, quàm, ſi per demonſtratiuam ſcientiam eſſent deductæ, & oſtenſæ. Tunc etiam de eodem coronatur, cùm veritatem de humanis, diuiniſque rebus, ab eo ſibi traditam, *qui nec fallere poteſt, nec falli*, indubitanter tenet. Quod quidem humanæ ſapientiæ numquàm tributū eſt, quæ paucis veritatibus multos ſemper admiſcuit errores. Coronatur & tertiò de Amana, credulitate, non vana, & leui, ſed eiuſmodi, quæ potiſſimis rationibus (creditorum poſſibilitatem, nullamque repugnantiam, immò ſummam conuenientiam demonſtrantibus) innititur. Superans in hoc mundanam ſapientiam, quæ ſuperſtitiones, & Sectarum falſos ritus, naturæ repugnantes, ridiculos, & humana fraude confictos, ab omni veritate, immò veriſimilitudine, & poſſibili cōgruentia alienos, ne Legiſlatorum ſuorum decreta, & Maiorum traditiones reſpueret, ſtolidiſſimè eſt amplexa, & venerata. Meritò autem Amana nutrix interpretatur, quia fides, & credulitas omnem veritatem nutriunt:

2. Cor. 10.

DD. communiter, et præcipuè Sco. 1. q. Prol.

Scho-

Scholaſtica enim Theologia, Ariſtotelis, & aliorum Philoſophorum veritates non reſpuit, diuina credit, & humanis non deſtituitur cognitionibus.

De Sanir, & Hermon præterea coronatur Eccleſia; nàm, cùm Sanir, via lucernæ, & dens vigiliarium interpretetur, Hermon autem deſtructio, anathema, rete, dedicatum, & conſecratum, huius ſæculi potentes deſignant, teſte Gregorio in hunc locum. Illi enim via lucernæ dicuntur, quia ad eos ſpectat, latis legibus, populos ad benè, ſaltem moraliter, viuendum, dirigere. Qui dens vigiliarum etiam nuncupantur; nam Principes, quia magni ſunt, id indies comedunt, quod alij, vigilando, compararunt. Deſtructio etiā dicuntur; nam quòcunque ſe vertant, ſiue ad bonum, ſiue ad malum, oppoſita, & contraria omnia deſtruunt. Rurſus anathema vocatur, ſiue per ε, ſiue per η ſcribatur. Per ε enim ſcriptum, ἀνάθεμα, ſeparatum, & execrandum ſignificat. Per η enim verò ἀνάθημα, donarium eſt 2. Macha. 2. & oblatio, deuotio, & conſecratio, Leu. 27. & Act. 23. vt doctiſſimus Pagninus Gramat. ſuæ lib. 2. litera alphabeti. A. tradit. Si enim boni ſint Principes, ſecundam ſortiuntur interpretationem. Si verò mali, primam. Rete tandem vocitantur, quia ipſi ſunt, in quibus (quantùm ad dominium) ſubditi clauduntur. De iſtis ergo, ita intellectis, coronatur Eccleſia, dum bonos Principes ſibi tributarios fecit, & malos Cenſuris, Decretis, Apoſtolicisque Sanctionibus mulctauit, in eosque animaduertit.

Super Cant. 4. *2. Mac. 2.* *Leu. 27.* *Act. 23.* *Sanctes Pagnin.*

De cubilibus præterea Leonum coronatur Eccleſia; quia, cùm Leones Hæretici ſint, eorumque cubilia, ipſorum latibula, & Conciliabula, aſſertoribus Hieron. ſuper Oſe. 7. Aug. ſuper Pſal. 103. & Greg. 17. Mor. 18. ac 27. Mor. 19. de iſtis triumphauit Eccleſia, illorumque vento ſuperior extitit, dum Leonibus Auerni, Cœli Leonem, Chriſtum, obiecit; nec non latibulis Eccleſias, Conciliabulisque vera Concilia oppoſuit.

Hieron. Auguſt. Gregor.

Tandem de montibus Pardorum, qui Hypocritæ ſunt, alijque mali Chriſtiani (teſte Bern. Serm. 54. ſuper Cant. Ric. de S. Vict. de Vitio mutab. 11. & Greg. 3. Mor. 34.) coronam accipit Eccleſia in ſanctis ſuis Cōfeſſoribus, alijsque non fictis chriſtianis, puro, ac ſyncero corde Domino ſeruientibus; ne dicam Martyribus, qui effuſione ſanguinis, profu-

Bernar. Ric. de S. Vict. Gregor.

profuſionæ vitæ catholicæ fidei veros ſe teſtes reddiderunt.

Quæ cuncta myſteria, ſanctæque Eccleſiæ aduerſus quatuor ventos inconcuſſam ſtabilitatem Sanctus Euangeliſta (quatuor de myſtica naui explicatis) exactiſſimè complectitur. Nimirum, *quòd, Eccleſia eſt nauis*, omnibus veritatibus plena, & onuſta, ac propterea perſtrepentibus ventoſis doctrinis ſuperior. *Quòd, eſt in medio mari* diuinæ, atque angelicæ protectionis, & ideò Principum huius ſæculi vento reſiſtens. *Quòd, ſemper à Deo reſpicitur*, & idcircò Hæreticis inſufflantibus validior. Ac tandem, *quòd habet Fideles, fideliter laborantes* in bonorum operum remigio, Hypocritas, fictè laborantes, alioſque malos Chriſtianos, prauè operantes, ijs oſtenſis, confundens, &c. vt ſupra.

Mar. 6. cum ſeqq.

TERTIA INVENTIO EST.

Fidelium labores, in hoc præſenti Euangelio, ad viuum deſcribi. Nauimque iſtam iactari fluctibus, & impeti ventibus, nil aliud eſſe, quàm Fideles vexari. Quod expreſsè habet Beda lib. 2. c. 28. in c. 6. Mar. *Labor diſcipulorum in remigando*, inquit ille, *& contrarius eis ventus labores ſanctæ Eccleſiæ varios deſignat, quæ inter vndas ſæculi aduerſantis, & immundorum flatus ſpirituum, ad quietem patriæ cæleſtis, quaſi ad fidam littoris ſtationem, peruenire conatur*. Hæc Beda. Quæ calamitates licèt innumeræ ſint, placuit tamen Spiritui Sancto, earum ſpecies, & capita in hoc Euangelio enumerare, ſummatimque perſtringere, ſub huius myſticæ nauis deſcriptione. De qua, cùm ſex referantur: Quòd, *erat in medio mari*, primum. Quòd, *erat ei ventus contrarius*, ſecundum. Quòd, *diſcipuli erant laborantes in remigando*, tertium. Quòd, *Ieſus, longè ab eis, erat in terra*, quartum. Quòd, *auxilium dilatum eſt, vſque ad quartam vigiliam noctis*, quintum. Quòd, *volebat præterire eos*, ſextum; hæc omnia Fidelium laboribus, ac tribulationibus quadrantiſſimè conueniunt. Dum enim tribulationibus vexantur, in medio mari ſe eſſe comperiunt. Verè enim mare ſunt tribulationes, vt docent Orig. ſuper Exo.

Beda.

Mar. 6. cum ſeqq.

Origenes.

Hom.

Hom. 5. & ſuper Ioſu. Hom. 15. Hieron. ſuper Eſa. 16. & 50. & ſuper Mich. 7. Ric. de S. Vict. de Exterm. mali. 3. 8. & 10. Et colligitur ex pleriſque Sacræ Scripturæ locis, ac præcipuè Exo. 14. & 36. Ioſu. 15. Eſa. 16. 50. 51. & 63. Iere. 6. Num. 33. Pſal. 16. 68. & 113. Mich. 7. & alibi ſæpè. Et habent ventum contrarium tentationum, vt debeant *ponere in cælum os ſuum*, de Deo conqueri, & ab incæpta patientia deſiſtere. Ventum enim tentationes ſignificare, præter doctrinam PP. Orig. ſuper Iob 1. & in diuerſ. Hom. 6. Hilar. Can. 11. in Matth. Gregor. 18. Mor. 11. Amb. ſuper Luc. 8. Aug. 4. Confeſ. 2. Hieron. ſuper Iere. 4. Chryſ. ſuper Gen. Hom. 2. & 6. Ric. de S. Vict. de Vitio mutab. & Aug. Tract. 25. in Ioan. myſticè innuunt loca Gene. 41. Iob. 1. 21. & 37. Iere. 4. 8. & 13. Ezech. 17. & 19. Oſe. 12. & 13. Amos 4. Ion. 1. & 4. Abac. 1. Agge. 2. Iob 30. Sap. 4. Eccli. 22. & 43. Eſa. 7. 32. & 64. Mar. 4. & 6. Luc. 8. Ioan. 6. Matth. 7. 8. & 14. Iac. 3. & Apoc. 6. Sentiunt tertiò laborem in remigando; nam certare contra viſibiles, ac inuiſibiles inimicos, carnem rebellem in obedientiam ſpiritus redigere, ſeque, ne illicita admittantur, etiam à licitis abſtinere, ſenſui repugnans. Et, quod Fidelium præſſuram miruminmodum auget, pluſque cæteris diſcruciat, eſt, quarto loco, Ieſu abſentia; relinquit enim ille ad tempus quos diligit, *vt palàm fiat, an diligamus eum ex toto corde*, vel, ſolùm propter ſpirituales dulcedines, ſpiritualem teneamus vitam, & potiùs in dono, quàm in donatore ſiſtamus. Auget quintò Fidelium anguſtias nocturnum tempus, &, vſque ad quartam vigiliam, auxilij dilatio. Per noctem enim figurari inſidias, & occultas technas diaboli, quibus, in hoc ſæculo (quod nox eſt, teſte Amb. lib. 3. in Luc. Orig. Hom. 5. ſuper Leu. Hom. 23. ſuper Num. & Hom. 30. ſuper Matth. & ſuper cap. 13. Rom.) circumuenimur, docet Arnol. ſuper Pſal. 90. Quatuor verò vigiliæ, ſunt, tentationis acceſſus, illius pro Dei amore toleratio, eiuſdem aggrauatio, ac tædium, ex tentationis diuturna duratione. Tunc enim, quando, præ nimia afflictione, langueſcit anima, *ita, vt tædeat eam viuere*, ſicut de ſe ipſo refert D. Paulus, venit Ieſus, cælicam conſolationem in animam fidelem immittens. Non tamen priùs, quàm, poſt primam ſui manifeſtationem, ac breuem lucem, fingat, ſe longiùs ire, & animam præterire velle, vt

Hieron. Ric. de S. Vict. Exo. Ioſu. Eſa. Iere. Num. Pſ. Mich. Pſal. 71. Origenes. Hilarius. Gregor. Ambr. Auguſt. Hieron. Chryſoſt. Ric. de S. Vict. Auguſt. Gen. Iob. Iere. Ezec. Oſe. Amos. Ion. Abac. Agge. Iob. Sap. Eccl. Eſa. Mar. Luc. Ioan. Matth. Iac. Apoc. Deut. 13. Ambroſ. Origenes. Arnoldus. 2. Cor. 1.

ab ea precibus, affectibus, humilitate, & amoroſa quadam vi detineatur. Quod eſt ſextum, & vltimum in tribulationibus iuſtorum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Gen. 29. A facie irati fratris Eſau fugiens Iacob, apud Labanum delituit. Cui cùm in paſtorali officio deſeruiret, eiuſdem minoris filiæ, quæ Rachel vocabatur, caſto, ſanctoque amore ſuccenſus eſt. Pro qua ſeptem annos hilari famulatu in paterna illius domo tranſegit. Quibus tranſactis, cùm optatam iamdiù pulcherrimam iuuenem crederet in mercedem recipere, eique per matrimonium iungi (propterea enim illam, elapſo ſtatuto tempore, à patre petijt quàm enixè) votis eius loci conſuetudo non reſpondit, ſed obſtitit plurimùm; nimirum, Minores, ante Maiores, non poſſe in matrimonium tradi. Quarè coactus eſt priùs Liam, quæ maior natu erat, ſed ineleganti aſpectu, & lippis oculis, in vxorem ducere, vt poſtea Rachelem pulchram, & ſpecioſam acciperet.

Quod myſticè exponentes, dicere poſſumus: Deum benedictum (per Laban figuratum, interpretatur enim dealbatio, quæ ſoli Deo ſimpliciter conuenit, puriſſimo, & puros facienti; & confirmat Lyra. ſuper Gen. 29.) habere duas filias, vitam, ſcilicet, actiuam, & contemplatiuam; præſentem, & futuram conuerſationem, vt exponunt Philo de Profugis, & Beda ſuper Gen. 29. Quarum altera in eleganti aſpectu eſt, plena ærumnis, & miſerijs, lippiſque oculis, cùm ambulet per fidem, & in enigmate per ſpeculum videat. Altera verò perpulchra eſt, ac propterea omnes ad ſui deſiderium alliciens; redundat enim omni gaudio, cunctiſque bonis referta eſt. Quibus de cauſis hanc ſecundam vellent omnes aſſequi, eique coniungi; vellent enim omnes in contemplationis dulcedine immorari abſque labore; æternaque beatitudine immediatè, ac ſine præuia pænali exercitatione frui. At obſtat Dei conſuetudo, & decretum, vt non poſſit, ſcilicet, quis contemplatiuæ, ac beatæ in cœlis vitæ ſociari, ni priùs laborioſam actiuam ſibi deſpondeat, eique

Lyranus. *Philo.* *Beda.* *1. Cor. 13.*

per

per ærumnoſas, & pænales exercitationes, coniungatur. Hoc in praxi quadam docet Apoſtolorum laborioſa, & calamitoſa vita, qui, antequàm a *ad gaudium tranſierint angelorum*, b *ac beatam illam, omnisque perturbationis expertem vitam, attigerint*, tempeſtates, contrarios ventos, laborem in remigando, animi perturbationes, pauores, & alias calamitates, vſque ad internecionem, perpeſſi ſunt. In quorum perſona, quia vniuerſum genus admonetur hominum, placuit Spiritui Sanƈto, in præſenti Euangelio, omnes illorum labores ad viuum deſcribere, &c. vt ſupra.

a *Ex Hom. 59. S. Maximi. Epi. quæ eſt 2. de S. Euſeb. Epi. Vercellen.*
b *Ex Chryſo. in Ora. de S. Philog. tom. 3.*

QVARTA INVENTIO EST,

OCcaſione horum verborum: *Erat nauis in medio mari*, de tribus nauium generibus agendum, ad quæ cœteræ omnes reducuntur, ſcilicèt, mercimoniali, luſoria, & bellica. Sub prima comprehenduntur onerariæ, de quibus *Mar. 6.*
Cic. 3. Verr. & Plin. Epi. 173. longæ, de qui- *Cicero.*
bus Lentul. in Ep. Cic. lib. 12. 15. frumentariæ, de quibus *Plinius.*
Cæſ. de bello Gall. lib. 3. vinariæ, de quibus Vlpia. L. vul- *Lentulus.*
garis. ſ. de furtis, piſcatoriæ, de quibus Liu. Deca. 3. lib. 3. *Cæſar.*
ſiue quæcunque aliæ, res, humanis vſibus neceſſarias, vel vti- *Vlpianus.*
les, vehentes. Luſoria eſt illa, quæ huc, & illuc, velut laſciuia *Liuius.*
quadã, diſcurrit. Quas, quòd ad voluptatem, & ludum effectæ eſſent, cubiculatis ſimiles appellat Seneca, dicens: *Cui* *Seneca.*
triremes, & æratas non mitterem, luſorias, & cubiculatas, & alia ludibria Regum, in mari laſciuientium, mittam. De his
Veget. lib. 3. & Turneb. Bellica tandem eſt, qua ad pugnam *Vegetius.*
milites vtuntur. Sub qua & aƈuariæ, de quibus Liu. Deca. *Turneb.*
4. lib. 8. & æratæ, ac roſtratæ, de quibus Hirt. de bello Ale- *Liuius.*
xan. & turritæ, de quibus Appia. de bello Ciuil. & Plin. lib. *Hirt.*
32. c. 1. & armatæ, de quibus Cæſ. lib. 3. de bello Ciuil. & *Appianus.*
Liu. Dec. 4. lib. 7. & prædatoriæ, ſiue piraticæ, de quibus *Plinius.*
Liu. 3. Deca. lib. 9. & Deca. 4. lib. 4. ſiue quæ aliæ ſint, ad *Cæſar.*
bellum deſeruientes, comprehenduntur. *Liuius.*

Quas myſtico, ac ſpirituali ſenſui aptantes, dicemus; mercimonialibus vti ſpirituales, qui illis vehunt *aurum,*

3.Reg. 10. 2.Paral.9. *& argentum, & ebur, & ſimias, & pauos*, de quibus 3.Reg. 10. & 2. Paral.9. aurum, ſcilicet, charitatis, argentum prædicationis, ebur puritatis, ſimias imitationis Sanctorum, & pauos ſpiritualis ornamenti. Luſorijs vti mundanos, *tenentes tympanum, & cytharam, & gaudentes ad ſonum organi*, Sap.2. qui dicunt: *Vmbræ tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri, quoniam conſignata eſt, & nemo reuertitur. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tamquàm in iuuentnte celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, &c.* Bellicis tandem vti ſchiſmaticos, hæreticos, & cæteros Eccleſiæ perſecutores. Cum quibus quamuis bellum gerat ipſa Eccleſia, iuſtiſſimum eſt eiuſmodi bellum, vt fidem faciunt Philo lib. 1. de vita Moſ. in fine, Orig. Hom. 26. in Ioſu. cap.31. Ambr. lib. 1. Offic. cap. 29. Auguſt. Epi. 194. Conc. Later. ſub Alex. III. par. 1. cap. 27. & Gratia. 14. q. 4. cap. Ab illo.

Philo. Origenes. Ambr. Auguſt. Conc. Lat. Gratian.

Nauibus his (reſpectiuè) variam aſſignet Eccleſiaſtes materiam, formam, inſtrumenta, finem, perſonas, actiones, accidentia, &c. & dicat conſequenter, omnia benè applicando.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

TAnta eſt humani intellectus excellentia, & dignitas, vt nec ipſe humanus intellectus ſeipſum, vt par eſt, prædicare valeat. Quandoquidem, ſi Deus benedictus creaturas varias condidit, ſpirituales, corporales; corruptibiles, incorruptibiles; cœleſtes, terrenas; lucidas, opacas; perfectas, & imperfectas, has omnes nedum intelligit homo, verùm inſigni quadam arte illas ſummo ingenio diſtinguit, ordinat, diſponit, regitque. Hinc enim manarunt, diuino accedente lumine, angelicæ Hierarchiæ, infimæ, mediæ, & ſupremæ notitia. Hinc aſſiſtentia, miſſio, illuminatio, locutio, gradus, officia, diſtinctiones cœleſtium ſpirituum. Hinc cœlorum motus, influxus, proprietas, natura. Hinc aſtrorum fixio, error, lux, coniunctio, ſitus, effectus varij. Hinc ſigna, tempora, dies, anni, & annorum partes, & dierum

rum ſectiones, & temporum varietates. Hinc materiales Sphœræ, Gnomones, Aſtrolabia, & his ſimilia inſtrumenta. Hinc in ſublunaribus hiſce, circa ædificia, agrorum culturam, hominum victum, & amictum, inſpectum,& proſpectum, tot mirabiles inuentiones, gratiſſimæ varietates, ad huius ſæculi ornatum, & oblectamentum.

Vndè, non mirum, ſi illum animal ſanctum, liberum, ſtabile, prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, præclaraque conditione generatum à ſupremo Deo,cum quo illi prima eſt rationis ſocietas,creaturarum internuncium, Superis familiarem, regem inferiorum, indaginem rationis, lumen intelligentiæ,interpretem naturæ, fluxi æui interſtitium, mundi copulam, & Hymenæum Sapientes dixerunt: Atque ideò in mundi medio poſitum, vt, commodiùs omnia circumſpiciens, omnium item rerum diſquireret cauſas, cuncta rimaretur, vniuerſis dominaretur creaturis. *Cic. 1. de leg. Perſa.*

Sed quid dicam de nauigandi arte, regulis, peritia, diſciplina? Quid de nauium varia forma, vſu, inſtrumentis, miniſtris, & his ſimilibus? Certè deficit hic ingenium, labat intellectus, vires impares viribus ſuccumbunt. Ecce, cùm occaſione horum verborum: *Erat nauis in medio mari*, de naui aliquid vobis hodie, ad ſpiritualem profectum, dicere debeam. N. videte, quomodo inopē me copia facit. Reperio enim, &c. Sed,vt modicum quid ex tot, tantiſque conſiderationibus promere poſſimus, annotandum, tria in vniuerſum nauium genera reperiri, &c. vt ſupra. *Mar. 6.*

QVINTA INVENTIO EST,

HOdiernam nauim typum eſſe Conceptionis B. Virginis. Quod enim de tota Virgine dicimus,& de quolibet eius myſterio, ſi non adſit repugnantia, dicere poſſumus; multa ſi quidē prædicantur de capite, quæ & de membris;vt in iſta: *Nolite tangere Chriſtos meos;*& in hac: *Ex vobis vnus diabolus eſt.* De qua naui tria nobis conſideranda ſunt,ſitus, impugnatio, & cœleſte auxilium. *Erat nauis in* *Pſal. 104. Ioan. 6. Mar. 6. cum ſeqq.*

uis in medio mari, ecce ſitum. *Et ventus contrarius*, ecce impugnationem. *Venit ad eos Ieſus*, ecce auxilium. Fuit ergo Maria, vt concepta, veluti in metaphorico ſitu, in medio mari diuinæ mentis, cum alijs obiectis, quæ, poſt diuinarum perſonarum productionem, eſſe vtrumque, & intellectum, & volitum à diuino intellectu, & voluntate acceperunt. Deum
Eccl. 1. enim per mare intelligit Eccleſiaſtes cap. 1. *Ad mare, vndè exeunt flumina, &c.*

Fuit etiam in medio mari mentis angelorum, qui mare
Apoc. 4. dicuntur à Ioã. Apoc. 4. *Mare vitreum, ſimile chriſtallo, &c.* Cùm enim angeli omnium rerum cognitionem infuſam acceperũt, præſertim formationis nauis Mariæ, atque eiuſdem à peccato originali liberationis notitiam habuerunt. Vndè, hoc intelligens Eccleſia, læta exclamat, Mariam allo-
Eccleſia quens: *Vbi eras, ò Maria, cùm te laudarent aſtra matuti-*
ex Iob. 38. *na*, quòd, ſcilicet, à peccato originali immunis eſſe debebas, *& iubilarent omnes filij Dei?*

Fuit etiam in medio mari ſacræ Scripturæ (quæ per ma-
Pſal. 71. re intelligitur: *Et dominabitur à mari vſque ad mare, &c.*) multis enim figuris, multis authoritatibus, multis Scripturæ locis, Mariam ſine peccato conceptam fuiſſe, probant Scotiſtæ.

Ventum tamen contrarium habet hæc benedicta nauis immaculatæ Conceptionis, Lutheri, ſcilicet, & ſequacium
Lutherus, dicta. Ait enim ille: *Nullum feſtum adeò odi, ſicut feſtum*
referente *Corporis Chriſti, & Conceptionis B. Virginis.*
Maur. Hi- Auxilium denique erga Virginem in ſui Conceptione tũc
lar. Serm. patuit, quando venit ad eam benedictus Deus circa quartã
Concept. vigiliam noctis. Prima. n. vigilia fuit ſeminum cõmixtio; ſe-
B. Virg. cunda, corporis organizatio; tertia, animæ infuſio; & quarta, gratiæ collatio in illo inſtanti, in quo (de lege communi) ſub peccato eſſe debebat. Et tunc, in hac, ſcilicet, quarta vigilia, præſeruata fuit.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DE Deo ſermonem habere, arduum vtique negocium, maxima difficultas; tum ratione ſuæ incomprehenſi-
bilis

bilis naturæ, & excellentiſſimæ dignitatis; tum ratione noſtri cognitiui, ſed caligantis oculi; tum tãdem ratione modi cognoſcendi, pro ſtatu viæ, in quo *per ſpeculũ, & in enigmate* tantùm videmus, à *ſenſibilibus mundi, & ab his, quæ facta ſunt*, manuducti. *1.Cor. 13. Rom. 1.*

Difficiliùs tamen eſt loqui de Maria, inquit Baſilius, in quodam Tractatu, de excellentijs Mariæ. *Difficiliùs eſt* (inquit ille) *loqui de Maria matre Dei, quàm de Deo filio eius.* Et ratio quidem in promptu eſt; nam, in ſermone de Deo, vnam tantùm difficultatem experimur, Dei ſiquidem infinitam naturam, & magnitudinem, eiuſque perfectiones, functioneſque explicandi. Sed in oratione, habita de Maria, duabus vtique defatigamur; prima, qua Virginis dignitatem, & præcellentem magnitudinem edicere cogimur; altera, qua Deum ipſum, hæc in Maria operantem, explicamus. In Maria enim, & Mariam, & Deum in Maria, conſiderare neceſſùm. *Baſilius.*

Sed, ſi tam difficilis negociatio, de Maria, vel tantillùm, dicere, quid nam de eius Conceptione, tot ambagibus præpedita, tantiſque obſcuritatibus inuoluta? Certè, ſi Ioan. Baptiſta liberè confitetur: *Non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calciamenti*, & calciamentum, Chriſti pedem tegens, eſt caro Virginis, huiuſque calciamenti corrigiæ, B. Virginis myſteria, quomodo, non audens Ioannes, Virginis myſteria, propter eorum difficultates, ſoluere, ego homuncio ſoluere, ac reſerare audebo? Quia ergo tantùm mihi tribuere non poſſum, de B. Mariæ Conceptione ſermonem habens, nihil determinatè aſſeram, neutram opinionem confutabo, nihil reijciam, ſed ſolùm (cùm detur libera, pro vtraque parte loquendi, facultas) Subtilium doctrinam ſecutus, pro immunitate Mariæ, & præſeruatione eius à peccato originali linguam ſoluam, & concionem habebo; non quæcunque, qnæ, ad propoſitum confirmandum, adduci poſſent, in medium proferens, ſed me, ex induſtria, ad hanc nauis metaphoram, & ſymbolum reſtringens. De qua, cùm tria ab Euangeliſta aſſerantur; quòd, *erat in medio mari*; quòd, *erat ei ventus contrarius*, & quòd, tandem *venit ad eam Ieſus*, dicam exponendo; in medio mari fuiſſe Mariam, &c. vt ſupra. *Ioan. 1.* *Mar. 6. cum ſeqq.*

DOMI-

DOMINICA PRIMA.

Matth. 4. cum ſeqq.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, &c. Matth. 4.

PRIMA INVENTIO EST,

VErbum diuinum humanatũ, quia ſpiritus,& caro,& conſtans ex vtroque, puta homo, nec non ſuppoſitum diuinum ſubſiſtens in duabus naturis, humana, ſcilicet, & diuina; ideò, vt ſpiritus eſt,à Sancto Spiritu duci in deſertum: *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu.* Vt caro, affligi: *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus,et quadraginta noctibus,poſtea eſuryt.* Vt homo, tentari: *Et accedens tentator, &c.* Vt Deus denique, ab angelis adorari, & ei ab illis miniſtrari: *Acceſſerunt angeli, & miniſtrabant ei.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Plotinus. PLotinus, doctiſſimus Platonicus, pleriſque in locis ſuarum Enneadum, Platonis doctrinam reſonans, vbi de homine ſermonem inſtituit, tria in illo maximè contemplatur, corpus, animam, & ſpiritum, ſiue mentem. De quibus perpulchra quædam,lectu,& ſcitu digna,luculenter tradit. Tantòque digniùs, quantò conformis eſt in hac doctrina D.Paulo,B.Virg.& Chriſto Saluatori, D.Paulo,quidẽ,nã in ſuis Epiſtolis de parte infima, media,& ſuprema mentionem facit. Infima, in qua ſcripta eſt lex membrorum; ſuprema, in qua ſcripta eſt lex mentis; media, quæ modò huic, modò illi adhæret, modò ſpiritus, modò caro efficitur. B. Virgini; nam: *Magnificat anima mea Dominum*, ecce infimam.

Rom. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 8. & alibi ſæpè.

Luc. 1.

mam. *Et exultauit ſpiritus meus*, ecce ſupremam. *Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, &c.* ecce infimam. Chriſto deniq̃ue; nam: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, en ſecundam. *Spiritus quidem promptus eſt*, en tertiam. *Caro autem infirma*, en primam. Dignas partes, pretioſas partes, caro, anima, & ſpiritus. Quibus vellem. N. à vobis mihi hodie intendi. Corpore quidem, beneuolum præſtando auditum; anima (verbo Dei intellecto) brutalem ſenſum ablegando, & rationi adhærendo. Spiritu deniq̃ue, altè intelligendo, quæ propoſuero, myſteria, & ſacramenta. *Matt. 26. Ibidem verſ. 41.*

Et eò magis, quia de rebus, his affinibus, dicturus ſum. Nimirum, quòd Chriſtus dominus cõſiderari poteſt, vt ſpiritus, vt caro, vt conſtans ex vtroque, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO

EST,

EVndem dæmonem, qui ſe in varijs occaſionibus, & tenebram, & ſerpentem, & tyrannum eſſe oſtendit, tentando Chriſtum in deſerto, triplicem hanc rationem induere; ſimulq̃ue tenebram, & ſerpentem, & tyrannum ſe oſtendere. Tenebram in prima, ſerpentem in ſecunda, tyrannum in tertia tentatione. Tenebram, inquam, in prima; nam obſcuritatem præ ſe fert, ingerens per hæc verba: *Dic, vt lapides iſti panes fiant*, non eſſe alium modum, famem expellendi, quàm per conuerſionem lapidum in panes. Quod quidem falſiſſimum. Serpentem, & certè callidum, ſe demonſtrat, ſuggerens præcipitiũ in ſecunda tentatione, hac ſpe obiecta, vt meliùs decipiat: *Quia Angelis ſuis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. Tyrannum tandem, alienorum raptorem, & alienorum diuinorum, ſcilicet, honoris, gloriæ, latriæ, & ſupremi cultus, Deo tantùm debiti, ſe prodit, cùm petit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi, cadens, adoraueris me.* *Matth. 4. Matth. 4. ex Pſal. 90. Ibidem cum ſeqq.*

Sed Chriſtus, dæmoni per omnia oppoſitus, tenebræ opponit lucem, calliditati prudentem ſimplicitatem, & tyrannidi iuſtam, ac Deo debitam humilem adorationem. *Non*

in ſolo

in ſolo pane viuit homo, ecce lucem, oppoſitam tenebræ: *Dic, vt lapides iſti panes fiant*. *Non tentabis Dominum, Deum tuum*, ecce prudentem ſimplicitatem; oppoſitam ſerpentinæ calliditati: *Mitte te deorſum, &c. Dominum, Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, ecce adorationem, Deo debitã, oppoſitam tyrannidi: *Si, cadens, adoraueris me.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Scot. d. 22. 1. q. vnica. LIcèt varia ſint nomina, quibus à viatoribus Deus nominatur (omittendo pro nunc quæſtionem: Vtrum Deus ſit nominabilis aliquo nomine à nobis viatoribus, quod quidem ſignificet eſſentiam diuinam, vt hæc:) omnia tamen nomina, quibus in Scripturis, aut à Patribus nominatur, vel enunciant aliquid dictum de illo ad intra (vt Pater, Filius, Spiritus Sanctus, producens, productum, &c.) vel ad extra; & hoc bifariam, aut verè, aut metaphoricè; Verè enim dicitur Creator, Gubernator, Gratificator, Glorificator, &c. Methaphoricè autem, Leo, Agnus, Petra, Lapis angularis, Sol, &c. *Auguſt.* *Vera enim iſta ſunt* (inquit Auguſtinus Tract. 80. in Ioan.) *ex quibus ducuntur ſimilitudines, non proprietates.*

Inter illa ad extra, quæ verè de Deo enunciant, *Deus* etiam [a] *exercituum* & [b] *pugnator* dicitur; tractare etenim [c] arma, [d] gladium, [e] haſtam, [f] ſagittas, [g] ſcutum [h] vaſa mortis, &c. Dominum legimus. Verùm, vt nunquàm ad creaturas Deus relatus fuiſſet, demptis creaturis, cùm reſpectus tales ei ex tempore conueniant, ita nec bellatoris, vel pugnatoris nomen ei conueniſſet aliquando, ſi rationales creaturæ *(cætera enim ordinatione eius perſeuerant)* Deo reſiſtere, immò ei bellum indicere auſæ non fuiſſent.

Patet hoc in primo angelo peccante, qui, poſt primam pugnam, qua Dei coronam ſuo capiti imponere, eaque illud redimire tentauit, licèt victus, in ſuperbia tamen perſiſtens, rurſus eum ad pugnam prouocauit in terreſtri Paradiſo, adhuc ibi primis Parentibus commorantibus, & in temporis plenitudine, vt nullum ſuperbiæ ſuæ limitem poneret, Dei Verbum, ſub humana forma in deſerto diliteſcens,

[a] 1. Reg. 1. & alibi ſæpè. [b] Exo. 15. [c] Pſal. 34. [d] Pſal. 7. [e] Nahũ. 3. [f] Pſal. 7. [g] Pſal. 34. [h] Pſal. 7. Pſal. 118. Gen. 3.

ſcens;tentare auſus eſt. Eòque fortiùs, quò omnes illos tentandi modos, quibus diuerſis vicibus tentauit, ac Deo, eiuſque rationali creaturæ ſe oppoſuit, in vnum congeſſit. Pugnans cum angelis in cœlo, fuit tenebra; cum homine in terreſtri paradiſo, ſerpens; & cum mundo, in mundo tyrannus. Legimus enim in prima pugna: *Diuiſit lucem à tenebris.* In ſecunda: *Serpens decepit me.* In tertia: *Venit princeps mundi huius, &c.* At, cum Domino decertans in deſerto, fuit & tenebra, & ſerpens, & tyrannus, &c. vt ſupra. *Gen. 1.* *Gen. 3.* *Ioan. 14.*

TERTIA INVENTIO EST.

CHriſtum Dominum, vt virgam conſideratum (eſt enim virga, vt mox probabitur) tres in ſe continere proprietates; ſcilicet, directionis, defenſionis, & regiminis. Dirigit enim virga, vt videre eſt in paſtoribus, gregem virga dirigentibus. Ait enim Michæas: *Paſce populum tuum in virga tua.* Defendit, & percutit aduerſariũ. Vndè Num. 2. *Conſurget virga de Iſraël, & percutiet Duces Moab.* Regit tandem, & principatum oſtendit, vt Pſal. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* *Mich. 5.* *Num. 2.* *Pſal. 109.*

Vt ergo virga dirigit, direxit ſe ſapientiſſimè Chriſtus in deſertum per Spiritum Sanctum, quo plenus erat. Ait enim Euangeliſta: *Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu.* Vt defendit, & percutit aduerſarium, defendit ſuam humanitatẽ à tentationibus diaboli, & percuſſit illum verbo Dei: *Scriptum eſt, &c.* Vt tandem regit, ac principatum exercet, dæmonem adorare recuſauit, illum à ſe expulit, de eoque victoriam reportauit: *Dominum, Deum tuum adorabis, &c.* *Matth. 4. cum ſeq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

PRopter miſericordiam ſuam, & charitatem, cuiuſcunque merita excedentẽ, pollicitus eſt Deus, miſſurum ſe Fi-

ſe Filium Saluatorem, qui homines, & à peccato mundaret, & à diaboli tyrannide liberaret. De qua re Paul. *Deus, qui*
Ephеſ. 2. *diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuifica-uit nos Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos, in Chriſto Ieſu. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt, ne quis glorietur.* Eſt autẽ hæc promiſſio fac-
Gen. 3. ta, ſimulatque peccauit Adam. Dicitur enim Gen. 3. *Inimicitias ponam* (loquitur autem Deus ad ſerpentem) *inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius.* Eſtque ſæpiùs repetita hæc promiſſio tempore legis naturæ, & legis
Gen. 21. ſcriptæ. Nam, vt ſcribitur in eadem Geneſi cap. 21. *Dixit Deus ad Abraham: In te benedicentur vniuerſæ cognationes*
Gen. 22. *terræ.* Et infra, 22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*
Gen. 26. *terræ.* Et rurſus, 26. loquens Deus ad Iſaac, ait: *Benedicen-*
Gen. 28. *tur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Et ad Iacob: *Benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ Tribus terræ.* Quas quidem promiſſiones, de Chriſto intelligendas eſſe, vel ex illo
Luc. 1. Zachariæ probari poteſt, quod habetur apud Luc. 1. cap. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Pro-*
verſ. 73. *phetarum eius.* Et infra: *Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham, patrem noſtrum, daturum ſe nobis.* Hoc ipſum indicat,
Verſ. 54. & virgo Maria in Cantico, dicens: *Suſcepit Iſraël, puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini eius in ſæcula.* Quod &
Gal. 3. Paul. ad Galatas ſcribens, confirmat.

Tempore etiam legis ſcriptæ hanc promiſſionem repeti-
Deut. 18. tam inuenies. Nam in Deuteronomio leges: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me* (ait Moſes) *ſuſcitabit tibi Dominus, Deus tuus; ipſum audies.* Cuius quidem
Ioan. 1. prophetiæ mentionem facit Philippus apud Ioannem, &
Act. 7. Stephanus in Actibus Apoſtolorum. Dauidi autem hanc promiſſionem factam eſſe, manifeſtiſſimum eſt ex 2. Reg. 7.
2. Reg. 7. vbi, loquens Deus de Dauid, ait: *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius, vſque in ſempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium.*
Heb. 1. Cuius promiſſionis meminit Paulus ad Hebræos: Quam

etiam

etiam videtur confirmaſſe Deus Salomoni, cùm diceret: *Tu quoque, ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit pater tuus, in ſimplicitate cordis, & æquitate, & feceris omnia, quæ præcepi tibi, & iudicia mea, iuſtitiaſque ſeruaueris, ponam thronum regni tui ſuper Iſraël, in ſempiternum, ſicut locutus ſum patri tuo, Dauid, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de ſolio Iſaël.* *2.Para. 7.*

Quas, & ſimiles promiſſiones, pro Chriſto docuiſſe exponere videtur Gabriël, cùm Mariæ dixit: *Dabit illi Dominus ſedem Dauid, patris eius, &c.* Explicauit enim his verbis, per Chriſtum, filium Dauid, perpetuum futurum regnum eius ſuper Iſraël: Nam, ſolùm Chriſti regnum perpetuum futurum, prædixere Prophetæ. Proindè, & Matthæus Euangeliſta generationem Chriſti deſcribens, vocat illum filium Dauid, & Abraham, quòd, ſcilicet, ſit de eorum ſemine oriundus, & hoc, ſecundùm promiſſionem Dei. Quod quidem probat, cathalogum generationis eius texens. Confirmant tandem propoſitum Petrus, & Paulus; quorum primus aſſerit, *Chriſto omnes Prophetas teſtimonium perhibere;* & ſecundus, *Euangelium*, dicit, *promiſſum à Deo per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis;* nec non, *Chriſtum, miniſtrũ fuiſſe Circumciſionis, ad confirmandas promiſſiones Patrum.* *Luc. 1.* *Act. 10.* *Rom. 1.* *Rom. 15.*

Quæ promiſſio multifariè, multiſque modis facta eſt, ac varijs ſymbolis, & velaminibus expoſita. Promiſſus enim fuit Chriſtus ſub diuerſis ſimilitudinibus, Ducis, Paſtoris, Agni, Leonis, Petræ, &c. ac etiam Virgæ, vt noſtro deſeruit inſtituto, &c. Et cùm Virga tres in ſe habeat proprietates, &c. vt ſupra. *Conſule pro his nomin. Conc. Bibl. et Syluã Alleg.*

QVARTA INVENTIO

EST,

TRia loca, tres tentationes, tres vincendi modos recenſeri in hoc Euangelio. Deſertum, templum, mons, tria loca ſunt. *Dic, vt lapides iſti, &c. Mitte te deorſum, &c. Hæc omnia tibi dabo, ſi, cadens, &c.* tres tentationes ſunt. *Non in ſolo pane, &c. Non tentabis, &c. Dominum, Deum tuũ adorabis, &c.* tres modi vincendi ſunt. *Matth. 4. cum ſeqq.*

D Tria

Tria loca, tres tentationes, tresque vincendi modi tribus correſpondent perſonis, pœnitentibus, religioſis, peccatoribus. Deſertum pœnitentibus, templum religioſis, mons peccatoribus reſpondet. Tentantur pœnitentes, vt exoptēt, rogentque, lapides in panes conuerti, & vincendi modum recipiunt: *Non in ſolo pane, &c.* Tentantur religioſi, vt mittant ſe deorſum, & vincendi modum edocentur: *Non tentabis, &c.* Tentantur tandem mundani, in monte ſuperbiæ conſtituti, oſtenſione mundi regnorum, & gloriæ eorum, & vincendi modum audiunt: ***Dominum, Deum tuum adorabis, &c.***

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

OPtatum olim, poſtulatumque Meſſiam, ac tandem, pro mundi redemptione conceſſum, homines tripliciter docuiſſe, tradunt SS. PP. exemplo, ſimplici doctrina, & myſterijs ſymbolicis. Tria enim ad nos volumina transmiſit; vnum, quo factis; aliud, quo verbis; tertium, quo ſymbolis myſticè loquitur. Claret enim, eundem conceptum, verbis, figuris, & factis exprimi poſſe, vt varijs in locis docent SS. PP. *Ea, quæ fecit Dominus noſter Ieſus Chriſtus* (inquit Aug. Tract. 44. in Ioan.) *ſtupenda, atque admiranda, & opera, & verba ſunt; opera, quia facta ſunt; verba, quia ſigna ſunt. Miracula* Domini, *& Saluatoris noſtri* (inquit Greg. Hom. 2. in Euang.) *ſic accipienda ſunt, fratres mei, vt, & in veritate credantur facta, & tamen per ſignificationem nobis aliud innuant. Opera quippe eius, & per potentiam aliud oſtendunt, & per myſterium aliud loquuntur. Interrogemus* (ait rurſus Aug. Tract. 24. in Ioan.) *ipſa miracula, quid nobis loquantur de Chriſto, habent enim, ſi intelligantur, linguam ſuam; Nam, quia ipſe Chriſtus Verbum Dei eſt, etiam factum Verbi verbum nobis eſt. Saluator humani generis, Ieſus Chriſtus* (ait Leo Papa Hom. de Transfig. Domini) *condens eam fidem, quæ, & impios ad iuſtitiam, & mortuos reuocat ad vitam, diſcipulos ſuos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat. Quòd maledicendo ficum infructuoſam* (inquit Beda Hom. 7. in Quadrag.) *per figuram fecit Dominus,*

Auguſt. *Gregor.* *Auguſt.* *Leo.* *Beda.*

minus, hoc mox apertiùs oſtendit, eijciendo improbos de tem-
plo. Gentiles (inquit rurſus Greg. Hom. 10. in Euang.) *Gregor.*
quia vti ratione neſciebant,ad cognoſcendum Dominum,non
per vocem,ſed per ſigna perducuntur.

Quod in præſenti Euangelio, quaſi in viuo ſtemmate,
apertiſſimè conſpicimus, dum, temporalium contemptum,
quem verbis Chriſtus docuerat: *Si quis non renunciauerit,* *Luc.14.*
&c. Si vis perfectus eſſe, &c. Vendite, quæ poſſidetis, &c. *Matt.19.*
firmauerat exemplo: *Vulpes foueas habent,&c.* hodie,om- *Luc.12.*
nium mundi regnorum, & gloriæ eorum deſpectu myſticè
docet. Pœnitentiam etiam, quam docuerat verbis: *Pœni-* *Matt.8.*
tentiam agite, &c. firmauerat exemplo: *Baiulans ſibi Cru-* *Matt.3.*
cem, &c. ſymbolo etiam hodie præſignat, dum, in deſerto
materiali manens, nobis in pœnitentiæ deſerto manendum
eſſe, demonſtrat. Manſionem tandem templi,quam religio-
ſos decere verbis docuerat, dum leproſos ad Sacerdotes,in
templo habitantes, miſit: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus;* *Ioan.19.*
firmauerat exemplo: *Diluculò iterum venit in templum;* *Luc.17.*
hodie figurat myſterio: *Aſſumpſit eum Diabolus iu ſanctam* *Ioan.8.*
ciuitatem, & ſtatuit eum, &c. *Matth.4.*

Ex quibus colligitur(exempli,& verborum doctrina præ- *eum ſeqq.*
ſuppoſita) etiam ſymboli, ac myſterij eruditione nos Chriſtum perfectè docuiſſe. Vndè exiſtimo, quia in Euangelio trium fit mentio, deſerti, templi, & montis, myſticè nobis innui, deſertum conuenire pœnitentibus, templum religioſis, & montem mundanæ gloriæ, peccatoribus. Et quia tres in Euangelio tentationes, his tribus in locis leguntur,ſcilicet: *Dic,vt lapides,&c. Mitte te,&c. Hæc omnia tibi dabo,&c.* prima tentari pœnitẽtes,ſecunda &c.Quia etiam tres victoriæ recenſentur, pœnitentes vincere, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO

EST,

DOemonem, illiuſque tentationes omnes ſuperandi, abſolutiſſimum modum, ex Euangelio propoſito nobis tradi. Cùm enim omnis tentatio, vel ad peccatum cogitationis, vel ſermonis, vel operis incitet: Et rurſus; vel ad concupiſcentiam

carnis, vel concupiſcentiam oculorum, vel ſuperbiam vitæ: Atque iterum; vel ad ſequendum mundum, vel carnem, vel diabolum: Et ampliùs; vel ad auerſionem à Deo, vel ad conuerſionem ad creaturas: Ac tandem; vel ad peccandum apparenti ratione, vel malè intellecta authoritate, vel ſine ratione, & ſine authoritate; deque his omnibus tentetur Chriſtus, & ſuperet, modum, eaſdem ſuperandi, nobis tradere, regulamque monſtrare.

Tentatur autem primò Chriſtus peccato verbi, cogitationis, & operis; id eſt, ad hæc tria ſpectanti. Nam diabolus, tentando Chriſtum nunquàm ad interiores eius ſenſus, & potentias aditum habuit. Verbi quidem: *Dic; vt lapides iſti, &c.* Cogitationis, ſcilicet, vanæ gloriæ: *Scriptum eſt enim, quia: Angelis ſuis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te, &c.* Et operis: *Hæc omnia tibi dabo, ſi, cadens, &c.* Tentatur ſecundò, concupiſcentia carnis, vt, ſcilicet, caro eius eſuriens, cibum, modò vetito, requirat; concupiſcentia oculorum, vt deſideret, angelicis vectus alis, à populis in aëre videri; ac ſuperbia vitæ, mundi regnis, & gloria eorum oſtenſis. Tentatur tertiò, tentatione carnis, ratione, iam dicta; tentatione mundi, dum illi diabolus quærit ſuggerere, vt à mundo cupiat videri, per aëra, angelis vehentibus, diſcurrere; tentatione etiam diabolica propriè, per idolatriam. Tentatur quartò, conuerſione ad creaturas in prima, & ſecunda tentatione; auerſione à Deo in tertia. Sollicitatur quintò, ad peccandum, ratione apparenti; ratio enim perſuadet, cibum in eſurie quærere; authoritate, licèt deprauata: *Scriptum eſt, quia: Angelis ſuis, &c.* abſque ratione, & authoritate tandem; cùm nulla, vel ratio, vel authoritas dæmonis adorationem perſuadeat.

Matt. 4. cum ſeqq. Pſal. 90.

Ibidem.

Verùm, vt Chriſtus omnes has tentationes ſuperat, ita illas ſuperandi, in ſeipſo nobis modum, regulamque tradit; ſolitudine nimirum, ieiunio, & ſacræ Scripturæ meditatione. Nam, tentatio, cogitationis peccatum ſuadens, ſacræ Scripturæ pia meditatione repellitur; ſermonis delicta ſolitudine deuitantur; operis turpia ieiunio excluduntur; cùm, vt ſit perfectum, à vitijs etiam abſtinentiam complectatur. Peccatum concupiſcentiæ carnis, ieiunio; concupiſcentiæ oculorum, ſolitudine; ſuperbiæ vitæ, ſacræ Scripturæ meditatione fugatur. Peccatum ex mundo, ſolitudine; ex carne, ieiunio;

ieiunio; ex diabolo, ſacra Scriptura ſuperatur. Peccatum conuerſionis ad creaturas, abſtinentia, & ſolitudine; auerſionis à Deo, ſacræ Scripturæ lectione deuitatur. Peccatum tandem apparenti ratione, non admittitur, dum dœmoni (fictis rationibus, diſcretionem præſeferentibus, ieiunandum non eſſe, perſuadenti) ieiunio reſiſtitur; peccatum ex falſa authoritate non fit, dum ſacra, benèloquens auditur Scriptura; nec deniq́ue ſine ratione, & ſine authoritate peccatur, ex peruerſa, ſcilicet, voluntate, dum anima, ducta in ſolitudinem, ad cor ſibi loquentem audit Dominum; promiſit enim: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ibi ad cor eius.* *Oſea 2.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SAnctæ Eccleſiæ Patres varias afferunt rationes, ad propoſitam quæſtionem: Cur, ſcilicet, Dei filius, Chriſtus benedictus, à dœmone tentari voluerit. Aliqui enim dicunt; tentari voluiſſe, vt huius tentationis prophetia Abac. 3. adimpleretur: *Egredietur diabolus ante pedes* (humanitatis) *eius*; & Zach. item 3. *Oſtendit mihi Dominus Ieſum, Sacerdotem magnum, ſtantem coram angelo Domini, & Sathan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei*. Alij, vt Aug. 4. de Trin. cap. 13. vt, ſe populi chriſtiani verum Ducem oſtenderet, cui, in rebus difficillimis, vadum tentare; viamq́ue periculo ſuo tutam reddere, conuenit. Vt ergo tentationes poſtmodum Fideles non perhorreſcerent, eas animo intrepido ſufferrent, eiſq́ue, ſi opus eſſet, occurrerent, Chriſtus illas ſuſtinere, ac ſuperare voluit. Alij, vt Chryſ. Hom. 5. in ope. imper. vt, ſe verum Deum, & hominẽ comprobaret; hominem, qui tentari; Deum, qui vincere poſſet. Alij, vt Dam. lib. 3. c. 20. & Greg. Hom. 16. in Euang. vt, ſicut morte ſua mortem noſtram victurus erat; ita tentationes noſtras ſuis tentationibus ſuperaret, nobiſq́ue vim, eas vincendi, & ſuperandi, relinqueret. Alij, vt Athan. de Cruce, & Paſſ. Dom. vt omnes malis chriſtianis excuſationes præriperet, qui, in ſceleris ſui futilem defenſionem, dœmonis potentiam, tentationis magnitudinem, & alia id genus adducunt, atque

Abac. 3. *Zach. 3.* *Auguſt.* *Chryſ.* *Damaſc.* *Athana.*

confingunt. Sicut enim Chriſtus dæmonem virtute propria ſuperauit, ita & nos (eius adiuti gratia) illum ſuperare valemus. Alij, vt Chryſ. Hom. 13. in Matth. vt tentati, ac tribulati tantiſper conſolarentur, inſpicientes, caput omnium, Chriſtum, tentationibus impeti, tribulationibus præmi. Si enim malum eſſet tentari, ac tribulari, ſe tentari, tribulariue non permitteret Chriſtus. Alij, vt Thom. 3. p. q. 41. art. 1. vt tentationibus vexati, vel maximè recrearentur, reſpirarentue, ſcientes, ac pro certo habentes, Chriſtum, omnium vexatorum primum, eis ex corde compati, eorumque piè miſereri. *Non enim* (inquit Paulus) *habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia, ac probatum* Alij, vt Tert. de Bapt. cap. vlt. Amb. lib. 4. in Luc. Hilar. Can. 3. in Matth. & Chryſ. Hom. 13. in Matth. vt ſpirituales, ac ſanctos viros inſtrueret, nunquam, etiam in perfectionis ſtatu, homines à diaboli tentationibus eſſe ſecuros; immo, tunc magis in periculum, ac diſcrimen eorum ſalutem verſari, cùm illi ſe Chriſti amicos, ac diaboli inimicos, operibus, ſanctiſque exercitijs declararunt. Tunc enim tentatus eſt Chriſtus, cùm, voce æterni Patris, in Iordane Dei filius declaratus fuit: *Hic eſt filius meus dilectus, &c. Illos enim magis diabolus tentat* (3. q. 1. cap. Nulli) *qui ſunt Deo familiariores, atque in eius ſeruitio feruentiores.*

Chryſ. *D. Thom.* *Heb. 4.* *Tert. cum ſeqq.* *Matth. 3. & 17. & Luc. 9.* *3. q. 1. cap. Nulli.* *Aug.*

Sed ad propoſitum, ac rem noſtram, idcircò Dominus tentari voluit, inquit Aug. loco, ſupra cit. vt nos verum modum, potentiſſimaque arma, ad illum ſuperandum, doceret; ſolitudinem, inquam, ieiunium, ac ſacræ Scripturæ meditationem. Cùm enim omnis tentatio, vel ad peccatum cogitationis, vel operis incitet, &c. vt ſupra.

*

SE-

SECVNDA PRIMAE.

Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua,&c. Matth. 25.

Matth. 25 cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

OMnia, ad perfectum,completumque iudicium requiſita, in finali iudicio reperiēda;nimirum,Iudicem,Reos, Proceſſum,Defenſiones,Sententiam, & Sententiæ executionem. *Cùm venerit filius hominis*; en Iudicem. *Tunc congregabuntur ante eum omnes gentes*; en Reos. *Eſuriui,& non dediſtis mihi manducare,etc.* en Proceſſum. *Domine,quando te vidimus,&c.* en Defenſiones. *Venite, benedicti*: *Ite,maledicti*; en Sententiam. *Ibunt hi in ſupplicium æternum,iuſti autem in vitam æternam*; en Sententiæ executionem.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

CVm infœlix homo,varijs ſubiectus miſerijs, innumeris obnoxius malis,& ærumnis (ſi accidat,illum inimicitijs vexari, perſecutiones pati, cum vitæ periculo pauidè domi degere, foris, vel clanculùm, vel armatis, armiſque circumſeptum,egredi) ad duo maximè expaueſcere ſoleat; ad inimici, nimirum, improuiſum occurſum,& ad illius vocem, aliàs notam, & formidatam; ex hoc fit, vt faciliores, promptioreſque reddamur,ad indicibilem terrorem impiorum hominum, Dei inimicorum, percipiendum,dum,iudicij

 die,

die,fulgentiſſimam,maieſtatis plenã,tremendamq; Chriſti faciem aſpicient,atque eiuſdem vocem, tamquàm tonitruũ, totum concutientem orbem terrarum,audient.

Quod, à minori ad maius arguendo, perſuadere intendit doctiſſimus Iob, quadam Eliphaz Themanite relata viſione, illi incredibilis terroris cauſa, in qua tamen nil aliud audiuit,quàm vocem auræ lenis, & nil, præter hominis imaginẽ, *Iob.4.* vidit: *Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum*(ait ille) *& quaſi furtiuè, ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt. Et, cùm ſpiritus, me præſente, tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem, quaſi auræ lenis, audiui.* Hæc ille. Si ergo vox, quam non perfectè Eliphaz audiuit, ſed ſolùm furtiuè; Et vox, vt ſuſurrus, qui gratus eſſe ſolet, vtque auræ lenis, quæ delectare conſueuit, tantum in corde eius genuit terrorem: Et imago, quæ non perfectè ab eo fuit cognita, & hoc in viſione nocturna, quando ſopor ſolet occupare homines, integraque ſenſuum, & potentiarum functione deſtituuntur, talem, ac tantam in viſceribus, oſſibus, carne, cute illius cauſauit alterationem, atque commotionem, quid fiet, quidnam gignetur in anima, & corde pecca- *Eſa. 2.* torum, *cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus?* cùm non vocem lenem, vtque ſuſurrum, audient, verùm, &c.

Tremendum quidem iudicium, duriſſimum, diſtrictiſſimumque; & eò maximè, quò, veluti vltimum, generaliſſimũ, & in conſpectu omnium angelorum, & hominum celebrãdum, omnia etiam ad perfectum iudicium requiſita habebit; nimirum, Iudicem, Reos, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO

E S T.

Matth. 25 cum ſeqq. DE finali iudicio omnia, quæ dici poſſunt, ad hæc verba reduci: *Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua.* Cùm enim circa ipſum quæri poſſit: An ſit verum, quòd veniet filius hominis? Quando veniet? Quomodo veniet? iſtæ omnes difficultates

tali propoſitione clauduntur, eaque rectè intellecta, explicantur. Quia enim dicit: *Cùm venerit*, ergo certum eſt, quòd veniet. Quia etiam dicit: *Cùm venerit*, deſiderium in noſtra mente gignit; quando veniet, inquirendi. Quia tertiò dicit: *In maieſtate ſua*, modũ talis aduentus apertè deſcribit.

Super primo ergo quæſito, ipſius aduentus certitudo demonſtretur. Super ſecundo, tempus. Super tertio, modus. Tractando primum, omnes authoritates, tum Ethnicorum, tum ſacræ Scripturæ, tum DD. afferantur; nec non rationes, iudicium vniuerſale fieri debere, probantes. Tractando ſecundum, ſi non placet in medium proferre coniecturas PP. de tẽpore iudicij; vt quæ paſſim ab omnibus inducantur, dicatur; tunc Chriſtum ad iudicium venturum, cùm ſigna promiſſa completa fuerint: Quæ triplicis generis ſunt. Quædam enim præcedent Antichriſtum, & hæc quinque apud Euangeliſtas leguntur: *Surgent pſeudo Chriſti, & pſeudo Prophetæ*, ideſt, pluralitas opinionum hæreticarum circa Euangelium, primum: *Prœlia, & opiniones prœliorum*, ſecundum. *Peſtilentiæ, & fames*, tertium. *Terræmotus*, quartum. *Cùm prædicatũ fuerit Euangelium in toto mundo*, quintum. Quibus etiam duo neceſſariò addenda, generalis, ſcilicet, defectio charitatis in Chriſtianis; de qua Chriſtus Matth. 24. *Quoniã abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum*; & diſceſſio itẽ generalis ab obedientia Romani Pontif. & per conſequens à fide; de qua Paul. 2. Theſ. 2. *Rogamus autem vos, fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tamquàm per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo: Quoniam, niſi venerit diſceſſio primum, &c.* Quædam erunt cũ Antichriſto, & ſunt, carnis libertas, bonorum temporalium largitio, honorum collatio, ſignorum falſitas, tormentorum acerbitas, &c. Quædam tandem poſt Antichriſtum, *ſigna, ſcilicet, in ſole, luna, & ſtellis*. Tractando tandem tertium, differentiã afferas inter primum, & ſecundum aduentum; & præcipuè, quòd in primo venit mitis, & manſuetus, in ſecundo, terribilis, & implacabilis, &c. Pro quo perpulchros, atque ſelectos ſacræ Scripturæ locos, ac SS. PP. doctrinas reperies.

Matt. 24. Mar. 13. & Luc. 21. Matt. 26.

Matt. 24.

2. Theſ. 2.

Luc. 21.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

VT pugnaturum contra Amalec populum Dei Moſes
precibus adiuuaret, ſuper verticem collis aſcendit;
vbi manus ad Dominum tetendit, eum ex intimo cordis
affectu rogans, vt populum ſuum, ne dum ex inimicorum
manibus eriperet, ſed etiam victoriam ei concedere digna-
Exo. 17. retur. Et res mira quidem: *Cùm leuaret Moyſes manus, vin-
cebat Iſraël, ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Ama-
lec. Moſes verò manus adeò graues erant, vt illas in altum
erectas diù ſuſtinere non poſſet. Vndè neceſſe fuit, vt Aaron,
Rom. 15. & Hur eas ſuſtentarent ex vtraque parte. Quæcunque
ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Moſes Chri-
Exo. 2. ſtus eſt; nam, vti ille fuit filius mulieris Hebrææ, & adopta-
tus à filia Pharaonis, ita ipſe filius fuit Synagogæ, aſſum-
Luc. 2. ptus ab Eccleſia. Qui etiam (vti ille) euaſit à cede infan-
Luc. 11. tium; & occidit Ægyptium, hoc eſt, diabolum; & appellatur
Pſal. 1. aſſumptus de aquis, peccatorum, quæ nunquàm illum teti-
Baſilius. gerunt, &c. Et confirmant Baſil. de Spir. San. 14. Greg. Nyſſe.
Gre. Niſſ. de vita Moſ. Tert. adu. Marc. 2. Cyr. 1. de Trin. Aug. 22. contr.
Tertull. Fauſt. 90. & Serm. 86. Beda ſuper Exo. 2. Bernar. Serm. 1.
Cyrillus. Octa. Paſch. & ſuper Cant. Serm. 86. & Greg. ſuper 1. Reg. 7.
Auguſt. Quem myſticum Moſen [a] *aduocatum habemus* ſuper collem
Beda. cœli *apud Patrem, eſtque propitiatio pro peccatis noſtris.*
Bernar. Cuius tamen manus punientes adeò graues ſunt, vt non
Gregor. vtraque, ſed altera tantùm, ante ſui incarnationem, tangens
21. Ioan. 2. dumtaxat, non percutiens Iob (ait enim ille: *Manus Domini
Iob. 19. tetigit me)* & ſubſtantiam, & filios, & ſanitatem, & bona
Iob. 1. & 2. cuncta ei abſtulerit. Hæ, ne maximo impetu, & pondere ſu-
per peccatores cadant, eoſque conterant, Aaron, & Hur ſu-
ſtentant, id eſt, miſericordia diuina, & ſpatium penitentiæ,
hominibus conceſſum. Aaron enim arca interpretatus, &
Hur libertas; per arcam, in qua manna materiale, dulciſſimũ
miſerationum diuinarum manna intelligimus; & per liber-
tatem, hominibus, in ſtatu viæ, facultatem pœnitendi con-
ceſſam, dignoſcimus. Quæ duo, Chriſti manus ſuſtentantia,
cùm ablata fuerint; cùm, inquam, miſericordia verſa fuerit
in furo-

in furorem, & hominibus pænitentiæ ſpatium fuerit adem-ptum,tanto pondere,& fragore ſuper peccatores cadent,vt illos pœnitùs contrituræ ſint. Veluti per Eſaiam prophetatum: *Ecce,dies Domini veniet,crudelis,& indignationis plenus,& iræ,furorisque,ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos de ea.* *Eſa. 13.*

Hæc myſteria,quæ *olim in figura contigerunt*, ac ſub vmbra in veteri Scriptura Spiritus ſanctus clauſit, claris verbis,nudis ſermonibus in hodierno Euangelio Chriſtus enarrat,dicens: *Cùm venerit filius hominis,&c.* Circa quem aduentum,licèt multa conſiderari poſſint,omnia tamen ad hæc reducuntur: An veniet, & graues eius manus ſuper peccatores cadent? Quando veniet? &c. vt ſupra. *1. Cor. 10.* *Matt. 25.*

TERTIA INVENTIO EST.

EX viſione Danielis, ab eo 7. cap. deſcripta, totius finalis iudicij ordinem, ac ſeriem haberi. Narrat enim ille,quinque in tali viſione, ſe,& audiſſe,& vidiſſe. Primò,cornu, quod ingentia loquebatur; ſecundò, thronos, ad iudicium præparatos; tertiò, antiquum dierum; quartò,filium hominis, cui committitur ab Antiquo iudicium; quintò, & vltimò, libros apertos. Quæ omnia in finali iudicio reperientur, tuba, ſcilicet, Michaëlis, per cornu ſignificata, quæ loquetur ingentia, ideſt,mortuorum reſurrectionem,ſupra naturæ potentiam. Sedes, ac throni, ſuper quibus Apoſtoli ſedebunt, ad iudicandum ſimul cum Chriſto. Antiquus dierum,Deus omnium iudicantium primus. Filius hominis, Chriſtus, qui à Deo poteſtatem accipiet,faciendi iudicium. Et libri conſcientiarum aperti; *aderit enim tunc dies illa* (inquit Hieron.) *in qua facta noſtra, quaſi in quadam tabula depicta, monſtranda erunt.* Si enim ſemper *omnia nuda,& aperta ſunt oculis eius*, tunc,etiam angelis, & hominibus nuda, & *aperta erunt abſcondita cordis noſtri*. *Dan. 7.* *1. Cor. 15. & 1. Theſſ. 4.* *Hieron. ad Palmach. & Occea.* *Heb. 4.* *1. Cor. 4.*

Pertractando primum, dicas, quid ſpectet ad angelos facere, tempore iudicij. Pertractando ſecundum, quomodo

Apo-

Apoſtolis, & alijs Sanctis competat iudicare. Pertractando tertium, quomodo Trinitas iudicabit. Pertractando quartum, quomodo Chriſtus iudicium faciet; nec non, quare Chriſto iudicare conueniat. Pertractando tandem quintum, quid in conſcientiarum libris videbitur. Et præcipuè, quòd, Matt. 25. exprobrante Chriſto, videbitur: *Eſuriui, & non dediſtis, &c.*

1. Theſ. 4. *In voce Archangeli, in nouiſſima tuba*; ecce primum. Matt. 19. & Luc. 22. *Sedebitis, & vos ſuper ſedes, iudicantes duodecim Tribus Iſraël*; ecce ſecundum. [a] *Iudicabit Dominus populum ſuum*; ecce tertium. [b] *Deus Pater omne iudicium dedit filio*; & rurſus: [c] *Dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt*; ecce quartum. [d] *Tunc manifeſta erunt abſcondita cordis noſtri*; ecce quintum.

a Deut. 32
b Ioan. 5.
c Ibidem verſ. 27.
d 1. Cor. 4.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVando peccata grauia, ſceleraque turpiſſima Ioachim, filij degeneris ſancti Reges Ioſiæ, ad illud prauitatis, & nequitiæ ſignum peruenerunt, vt iuremeritò Dei patientia, ac benignitas, ad iracundiam prouocata, & in furorem verſa referatur, tunc, obſeſſa à Nabuchodonoſor Dan. 1. 4. Reg. 24 Ieroſolyma, capta, & deſtructa, inquit ſacra 4. Reg. Hiſtoria, crudeliſſimum tyrannum (poſt vaſtatam ciuitatem, poſt immanem ciuium cladem, generalemque totius populi cædem) in reditu ſuo in Babyloniam, imbelli populo, & ad ſeruitutem inhabili relicto, omnes Hebræos, vel præſtantes corpore, vel pollentes ingenio, ſecum dixiſſe captiuos.

Dan. 1. Inter quos, etiam Daniel in captiuitatem ductus eſt, Regis tamen puer, & in pretio habitus. Nam, cùm eſſet nobili genere ortus, pulcher aſpectu, optimæ indolis, & in Logices argutijs inſtructus, magiæque naturalis cognitione præditus, ita Regi carus fuit, vt (quamuis barbarus, & inhumanus) ei proprium indiderit nomen, Baltaſſar eum appellans (quod regium erat apud Chaldæos nomen, vt Pharao apud Aegyptios, & Cæſar apud Romanos) in delitijs eum nutriri iuſſerit, &, vti filium, educari mandauerit.

Verùm, quia Daniel propter hæc legem Dei ſui non deſeruit, prohibitis cibis commaculari noluit, magis Deo placere, quàm homini, elegit, carior Regum Regi fuit, quàm terræ Babylonicæ Principi. Vndè cumulatus fuit cœleſtibus benedictionibus, repletus gratia, ditatus ſupernaturalibus donis, & præcipuè prophetiæ ſpiritu, ac lumine illuſtratus, quo principaliora Chriſti, & Eccleſiæ myſteria præuidit, futuroſque ſucceſſus aſpexit. Inter quæ (iudicio meo) ſingulariſſima eſt illa viſio, quam ipſe 7. cap. recenſet, &c.

Rara, & completa quidem, pro ſecundo ad iudicium aduentu explicando, viſio, & prophetia. Nam, quòd ſedes, ad iudicandum præparari debeant, affirmat ipſemet Chriſtus: *Matt.19.*
Sedebitis & vos, &c. vt ſupra. *Luc.22.*

QVARTA INVENTIO EST,

TRia tantùm (à Daniele iamdiu prophetata) facturum Chriſtum in finali futuro iudicio; iudicare, ſcilicet, præmiare, & punire. *Iudicabit in nationibus*, vnum; *implebit ruinas* *Pſal.109.*
(angelorum) duo; *conquaſſabit capita in terra multorum*, tria. *Eſuriui, & non dediſtis,* *Matt.25.*
&c. ecce primum. *Venite, benedicti, &c.* ecce ſecundum. *cum ſeqq.*
Ite, maledicti, &c. ecce tertium.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

INter quatuor prophetiæ gradus, quos enumerat Lyranus in prologo Pſal. ſcilicet, edoceri de futuris per ſigna ſenſibilia (vt contigit Ezechieli, Danieli, &c.) per voces, ſine perſonæ viſione (vt Samueli) per voces, & perſonam ſimul (vt Moſi, Ezechieli, Danieli, Zachariæ, &c.) & per ſecretum illapſum, puriſſimamque illuminationem (vt Dauid) quia perfectior, dignior, puriorue eſt iſte vltimus, ad quem, inquam, euectus eſt Dauid, vt probat idem Lyranus ibidem, non mirum, ſi ita ad liquidum vniuerſa Chriſti, & Eccleſiæ myſteria cecinit, atque ad viuum, proprijs, ac ſignificantibus verbis omnia fidei ſacramenta nobis expreſſit. *Lyranus.*

preſſit. Et, vt cœtera miſſa faciamus, quis vmquàm apertiùs, magiſque ad euangelicum ſenſum, illa, quæ Chriſtus in futuro finali iudicio facturus eſt, exprimere potuiſſet? cùm, vbi Chriſtus iudicare habet, præmiare, ac punire, ille pro-
Pſal. 109. nnnciet, & dicat: ***Iudicabit in nationibus, &c.***

Tria ergo facturus eſt, triaque abſoluturus in iudicio Chriſtus, iudicare omnes, bonos præmiare, ac malos punire. Primo competunt omnia, quæ à principio, vſque ad ſententiam (excluſiuè) in Euangelio narrantur. Secundo, Chriſti cum bonis locutio, ad regnum eorumdem vocatio, & rationes, quare ad tantum bonum inuitentur. Tertio, cum reprobis eiuſdem Chriſti ſermo, ad æternum ignem eorumdem condemnatio, & rationes, quibus perpetuis pœnis addicantur. Quò ad primum, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

Dan. 5. IN parietaria Danielis ſcriptura, omnia, quæ principaliter ad finale iudiciũ ſpectant, perfectè deſcribi. Cùm enim Scriptura illa tribus tantùm verbis conſtiterit: *Mane, Thecel, Phares*, quæ vertuntur: *Numeratum, Ponderatum, Diuiſum*; & Daniel expoſuit: *Numerauit Deus regnum tuum* (loquitur ad Baltaſſar) *& compleuit illud. Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minùs habens. Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis*; primum examini correſpondet, ſecundum approbationi, vel reprobationi operum, tertium, ad gloriam, vel ad
Matt. 25. cum ſeqq. gehennam deſtinationi: *Eſuriui, & dediſtis, vel non dediſtis*, reſpectiuè, &c. ecce primum. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, vel non feciſtis*, &c. ecce ſecundum. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem*, &c. ecce tertium.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DAniel Propheta, inter diuinos ſcriptores, & Rabbinos Hebræorum tam rarus, ac ſingularis, vt eius ſcripta teſtan-

teſtantur, 5. cap. ſuæ propheticæ hiſtoriæ refert, impium Regem Baltaſſar, filium Nabuch, & illius in regno ſucceſſorem, non minùs diuitiarum Patris, quàm ſcelerum hæredem, cùm, quadam vice, conuiuium feciſſet Principibus ſuis, & iam in fine conuiuij temulentus eſſet, iuſſiſſe, vt afferrentur vaſa aurea, miniſterio diuini tẽpli olim dicata, vndè, ea, capta Ieroſolyma, contemptor Dei, pater eius Nabuch, aſportauerat, vt biberent in eis, non ſolùm Rex, & Principes conuiuæ, ſed (ad maiorem contemptum) etiam mulieres, & concubinæ. Dan. 5.

At; ò Dei æquiſſimam iuſtitiam: *Apparuerunt, ipſa hora, digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ; & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur. Exclamauit itaque Rex fortiter, vt introducerent Magos, Chaldæos, & Aruſpices.* Et proloquens Rex ait Sapientibus Babylonis: *Quicunque legerit ſcripturam hanc, & interpretationẽ eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit. Tunc ingreſſi omnes Sapientes* Regis *non potuerunt, nec ſcripturam legere, nec interpretationem eius indicare Regi. Vndè* Rex *Baltaſſar ſatis conturbatus eſt, & vultus illius immutatus eſt; ſed & Optimates eius turbabantur. Vocatus eſt ergo*, Sapientibus interpretationem afferre non valentibus, *Daniel, de filijs captiuitatis Iudæ, qui* (exprobrata priùs Regi patris ſui nequitia, nec non proprio eius ſcelere, in ſacrorum vaſorum violatione, atque ad prophanos vſus tranſlatione) *& ſcripturam legit, & interpretationem illius indicauit*; eam nimirum, quam paulò ſuperiùs attulimus. In cuius declarationis veritatem, *eadẽ nocte interfectus eſt Baltaſſar, Rex Chaldæus, et* Darius *Medus ſucceſſit in regnum, loco eius.*

Quæ quidem viſio terrorem, etiam quantùm ad litteralem ſucceſſum, incutit proculdubio; at maiorem, ſecundùm ſpiritualem intelligentiam, gignet, ſi rectè intelligemus, Pſal. 5.
Baltaſſarem iſtum eſſe hominem, Regem in regno huius Luc. 21.
mundi (*omnia enim ſubiecit* Deus *ſub pedibus eius.*) Qui, dũ Rom. 13.
ebrietatibus, et crapulæ, cubilibus, et impudicitijs ſeruit, ac 1. Cor. 3.
vaſa potentiarum templi Spiritus ſancti (*templum enim Dei* 2. Cor. 6.

ſanctum

ſanctum ſumus nos) peccatis, & varijs exceſſibus commaculat, videt tandem in pariete diuinæ iuſtitiæ ſcriptum: Dan. 5. *Mane, Thecel, Phares*. Numeratur enim regnum ſuum, Hilarius. ideſt, ſua peccata, per regnum ſignificata (vt teſtantur Hila. Ambr. ſuper Pſal. 134. Amb. ſuper Pſal. 118. ſerm. 20. Hieron. Hieron. ſuper Eſa. 17. Aug. de Conti. 3. Orig. ſuper Ierem. Hom. 1. & Auguſt. ſuper Luc. Hom. 30.) dicitur enim in examine: *Eſuriuit, &c.* Origenes. Appenduntur in ſtatera ponderis charitatis, vel Michaëlis Matt. 25. Archangeli, qui, propter tale officium, cum lancibus, animas Origenes. ponderans, depingitur. Ait enim Orig. Tract. 10. ſuper Matt. 20. Matth. 20. expendens verba illa: *Cùm ſerò autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo, &c. Procuratori ſuo, ideſt alicui Angelorum, qui ſuper mercedes retribuendas eſt poſitus*. Et inueniuntur minùs habentes; *quamdiu enim* Matt. 25. *vni ex minoribus non fecerunt, &c.* Diuiditur tandem regnum Dei, & datur Medis, & Perſis. Mædi enim, quia in ſancta lingua (quæ Madai illos appellat) interpretantur menſura, vel abundans, ſiue indumentum, ſeu à potente, vel forti; angeli, & prædicatores, omneſque Dei miniſtri, Hieron. & adiutores fidelium contra dæmones (aſſertore Hieron. ſuper Eſa. 13.) per eos intelliguntur. Perſæ autem (quia frangens, ſeu diuidens, aut vngula dicuntur) reliquos Chriſti fideles, in charitate mortuos, ſignificare poſſunt. Iſti enim frangentes propriam voluntatem fuerunt, vt diuinam adimplerent; diuidentes purum ab impuro, diuidenteſque Leu. 11. vngulam, vt, *animalia munda*, ex declaratione diuina. Quapropter, etiam iſtorum numeratis operibus à Chriſto: *Eſu-* Matt. 25. *riui, & dediſtis, &c.* appenſis in ſtatera, iam dicta, & inuentis boni ponderis, inter ipſos regnum Dei diſtribuitur: Ioan. 14. *In domo enim Patris cœleſtis manſiones multæ ſunt.*

In propoſita ergo Inuentione manendo, tres tantùm Chriſti, circa omnes gentes, ante eum congregatas, actiones conſiderãdæ; numerare, ſcilicet, Matt. 25. cum ſeqq. appendere, ac diuidere. *Eſuriui, &c.* ecce primum. *Quod vni, &c.* ecce ſecundum. *Venite, benedicti; Ite, maledicti, &c.* ecce tertium, vt ſupra.

TER-

TERTIA PRIMAE.

Cùm intraſſet Ieſus Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? &c. Matth. 21.

Matth. 21. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

IN hodierno Euangelio principaliter conſiderandam interrogationem, & reſponſionem. Interrogationem: *Quis eſt hic?* Reſponſionem: *Hic eſt Ieſus, &c.* Sed quia iſtæ, interrogatio, & reſponſio, non ſunt nudæ, ideo illarum conſideretur locus: *Cùm intraſſet Ieſus Ieroſolymam.* Occaſio: *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via, &c.* Perſonæ interrogantes: *Vniuerſa ciuitas.* Perſonæ reſpondentes: *Populi autem dicebant, &c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SIcut noua in cælo apparente ſtella inſoliti ſplendoris, formæ, ac figuræ, omnium, tum ſapientum, tum inſipientum oculi in illam conuertuntur, vt eius, quod tam inſolitum præmonſtratur, ratio, cauſa, & plena cognitio, inueſtigatione, & ſciſcitatione habeatur: Admirantur enim inſcij, cauſam ignorantes, obſtupeſcunt ſapientes, non quòd cauſas ignorent, ſed quòd effectus incertos præſagiat illa, & prætendat; ſic, noua ſtella, Chriſto (de qua Spiritus ſanctus: *Orietur ſtella ex Iacob*) nouo ſplendore, noua forma, noua *Num. 24.*

figura in tertis apparente, mundus totus commouetur, &
admiratur. Quemadmodum & ipſemet per Prophetam
Agga. 2. pollicitus fuerat, ac prædixerat: *Adhuc vnum modicum, & commouebo cælum, & terram*. Fuit enim admirabilis in
ſplendore diuinitatis eſſentialis, & beatitudinis animaſti-
cæ (cùm fuerit ſimul viator, & comprehenſor, beatus, &
& paſſibilis, Deo fruens, & pœnas admittens. Admirabi-
Philipp. 2. lis in forma; nam, *cùm in forma Dei eſſet, & æqualis Deo,*
Serm. 7. de *formam ſerui accepit, & ſerui forma* (vt inquit Leo Papa)
Nat. Dom. *Dei formam non violauit*. Admirabilis tandem in figura;
nam inauditum terris, Dei figuram rurſus figurari, & fi-
Pſal. 109. guratum Verbum in vtero Patris: *Ex vtero ante Luciferum
genui te*, rurſus in ventre Matris carnem figurari: *Et in*
Sap. 7. *ventre Matris figuratus ſum caro*. In myſtico cælo nouæ
Eccleſiæ hac ſtella nouiter apparente, non mirum, ſi totus
commouetur Orbis, &, ſi, ad eius nouum aſpectum, tota
commouetur hodie Ieruſalem, atque ad huius ſtellæ nouum
Matth. 21. contuitum, in admirationis verba prorumpit, dicens: *Quis
eſt hic?* Admirantur ſynagogæ Pontifices, & Primates, hu-
Matth. 11. ius nouæ ſtellæ cognitione priuati; *abſcondit enim ſe Deus à
ſapientibus, & prudentibus, & reuelat ſe paruulis*. Admi-
rantur populi, & paruuli, nouos inde effectus, nouos inde
exitus, & quidem magnos, Sancto Spiritu illis reuelante,
expectantes. Non mirum etiam, ſi omnes commoti, de hac
noua ſtella omnes inquirunt, & loquuntur, de eiuſq. ma-
gnis effectibus, quos protendit, ac præſignat, verba faciunt,
interrogant iſti, reſpondent illi. Sed quia, non nuda, & ſim-
plex eſt interrogatio, & reſponſio, vtriuſque deſcribitur lo-
cus, occaſio, & c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO
EST,

Implices turbas, ac populos ſanctè indoctos
omnibus numeris abſolutam laudem Chri-
Matt. 21. cum ſeqq. ſto tribuere his verbis: *Hic eſt Ieſus, Propheta, à Nazareth Galilææ*. Cùm enim quis
laudari poſſit, vel abeſſe ſuo, vel ab officio,
vel à doctrina, vel ab innocentia vitæ, vel à
rebus, præclarè geſtis; pro primo dicunt (*Hic eſt*) Chriſti
nimi-

nimirum, diuinum, ac præſtantiſſimum eſſe explicantes. Pro ſecundo *(Ieſus)* cuius officium, ac proprium munus eſt, opem, & ſalutem conferre. Pro tertio *(Propheta)* Prophetarum enim adeò magna eſt cognitio, vt omninò humanas vires, humanumq. captum ſuperare dignoſcatur. Pro quarto *(A Nazareth)* Nazaræus enim, idem, quod ſanctus, teſte Hieronymo. Pro quinto tandem *(Galilaea)* Galilæus enim fuit Dominus, tranſmigrare faciens legem in Euangelium, Moſen in ſeipſum, Prophetas in Apoſtolos, typos in prototypum, figuras in figuratum, vmbras in veritatem, ac velamina in claritatem. Quæ quidem omnia res mirè geſtas eſſe, nemo it inficias, nemo ambigit. *Hiero. lib. 1. Cōment. in cap. 2. Matth.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MVlta licèt ſint, ac penè infinita, quæ de Deo conſiderari poſſunt; ait enim Dauid, ipſum Deum alloquens: *Multa feciſti tu, Domine, Deus meus, mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt quis ſimilis ſit tibi*, tamen ad tria potiſſimùm rediguntur; ad ea, quæ excogitauit, quæ per angelos effatus eſt, & quæ ſenſibiliter operari dignatus eſt. De primis enim dicitur: *Ego cogito cogitationes pacis, &c.* De ſecundis: *Locutus eſt Dominus: Hæc dicit Dominus, &c.* De tertijs tandem: *Mirabilia opera tua, &c.* *Pſal. 39.* *Ierem. 29.* *Pluries in ſcriptura.* *Pſal. 138.*

Quæ cuncta nobis manifeſtari voluit, vt, quibus mentem exerceamus, nobis compararemus; in quæ linguam ſoluamus, haberemus; quibuſve exerceamur, nobis non deeſſent. Sed præcipuè, vt hoc, vel maximè, notaremus: Deum (licèt ſemper, & verbis, & operibus mirabilis ſit) cogitationibus tamen longè mirabiliorem eſſe, vt propterea meritò dicat Dauid, quòd, quamuis multa fecerit Deus mirabilia, in cogitationibus tamen non ſit quis ſimilis ei: *Multa feciſti, &c. Sed cogitationibus tuis, &c.* *Pſal. 39.*

Cuius Theologica ratio ea eſſe poteſt; quia, dum loquitur Deus, per angelos loquitur, à ſuaq. natura extranea eſt locutio illa, dumq. ſimiliter operatur, terminatione ipſa, ac ſubiecto, operatio illa paſſiua, non Deus, ſed aliud à Deo omninò reperitur. Sed cogitatio Dei, eius natura, eius eſ-

ſentia, ipſemet Deus eſt; non enim intelligere eius accidens eſt, vt in nobis, & in angelis. Mirabilis eſt ergo Deus in operibus, mirabilis in verbis, at mirabilior in cogitationibus, ratione hac dicta. Sed quid nam, ſi ſimul & opera, & verba, & cogitationes Dei iungantur? ſi factum detur, in quo hæc omnia concurrant, hisque omnibus Deus ſe prodere velit? Tunc certè longè mirabilior, & plus quàm dici poſſit, admirabilis. Talis fuit in ingreſſu Ieruſalem, die humillimi triumphi ſui. Nam tunc, & in cogitationibus, & in operibus, & in ſermone ſimul mirabilis fuit. In
Luc.19. cogitationibus quidem, nam propter illas, *videns ciuitatem fleuit*. In operibus; tantæ humilitatis, & altitudinis actus exercendo, humilitatis, inſidendo Aſinæ, &c. altitudinis, eijciendo vendentes, & ementes, ac ſanãdo in templo cœcos, & claudos, &c. In verbis, tum illis, quæ ore proprio effatus eſt in tali ingreſſu, tum, quæ per populorũ linguam
Matth.21. exprimi voluit: *Hic eſt Ieſus, &c.* ſingula hæc myſteria quia vnica concione perſtringere impoſſibile, ideò, & operibus, & cogitationibus, & proprijs Domini verbis prętermiſſis, populorum tantùm verba, quibus Chriſto laudem tribuunt, obſeruabimus, eamque abſolutiſſimam eſſe, oſtendemus. Nam, cùm quis laudari poſſit, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO

EST,

BReui compendio commõſtrare populos, eorum linguas Spiritu Sancto dirigente, quæ iam Eſaias vaticinatus fuerat de Chriſto, in illo impleta eſſe. Ea, inquam, quæ 61. c. refert Propheta de expectato Meſſia, eundem
Eſa.61. loquentem introducens: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Hoc totum vaticinium, inquam, ac ſingula, quæ in eo referuntur, populi breui compendio, Chriſtum laudantes, hodie perſtringunt, & complectuntur. Cùm enim quinque dicat

Eſaias

Eſaias in propoſito oraculo; Spiritum, ſcilicet, Dei futurum ſuper Chriſtum, primum; vnctum à Deo, ſecundum; euangelizatorem pauperum, tertium; ſanaturum contritos corde, quartum; ac prædicaturum hominibus Dei beneficia, miſeriæ, & calamitati priſtinæ oppoſita, quintum; vniuerſa hæc, & ſingula prædicant, explicant populi. Spiritum enim Dei ſuper Chriſtum eſſe, fatentur, dicentes (*Hic eſt*) ille nimirum, ſuper quem requieſcit Spiritus Dei. Vnctum eſſe, à Deo affirmant, dum aiunt (*Ieſus*) qui cùm idem ſit, quòd Chriſtus, ſpiritualem Spiritus ſancti vnctionem exprimunt. Euangelizatorem pauperum, aſſerunt, dum inquiunt (*Propheta*) cuius recondita annunciare, ac manifeſtare proprium. Sanaturum contritos corde, dicunt, proferentes (*A Nazareth*) quæ cùm ſanctificata interpretetur, nil magis contritis corde debetur, quàm ſanctificatio, vniuſque, per ſanctificationem, ſanandi modus. Et tandem prædicaturum Dei beneficia, benè explicant per vltimum verbum (*Galilææ*) quæ, cùm transmigratio interpretetur, clarè apparet, per Chriſtum captiuitatem tranſmigraſſe in remiſſionem, cæcitatem in viſum, confractionem in remiſſionem, annum odibilem in acceptum, & diem punitionis in diem retributionis. Quæ, beneficia ſunt (ab Eſaia, ſecundùm Lucæ tranſlationem, enarrata) per Chriſtum hominibus conferenda.

Matt. 21. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVemadmodum inter Euangeliſtas Ioanni primum locum tribuunt Hieron. Prol. ſuper Matth. & Aug. 1. de Conſ. Euang. 6. ac ſuper Apoc. Hom. 1. necnon inter ſacrarum Scriptores Epiſtolarũ Paulo primas concedit Chryſoſt. Præf. in Epi. eius, ita inter Prophetas Eſaiam primam ſibi prouinciam vindicare, Hieron. aſſerere videtur. Ait enim ſcribens ad Paulinum: *Quorum primus* (ideſt Eſaias) *non Prophetiam mihi videtur texere, ſed Euangelium.* Et ad Paulam, & Euſtochiũ in tranſlationẽ Eſaiæ: *Ac primùm de Eſaia ſciendum, quòd, in ſermone ſuo diſertus ſit; quippe, vt vir nobilis, & vrbanæ eloquentiæ, nec habens quicquàm eloquio*

Hieron. Aug. Chryſoſt.

 ruſti-

ruſticitatis admixtum. Vndè accidit, vt, præ cæteris, florem ſermonis eius tranſlatio non potuerit conſeruare. Deindè etiam hoc adÿciendum, quòd, non tam Propheta dicendus ſit, quàm Euangeliſta. Ita enim vniuerſa Chriſti, Eccleſiæque myſteria ad liquidum proſecutus eſt, vt, non putes, eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere. Hæc ille. Vndè non mirum, ſi ita eleganter 61. cap. paucis verbis concluſit ea omnia, quæ de Chriſto ſparſim
Eſa.61. alij, & etiam ipſe prophetauit: *Spiritus Domini ſuper me*, &c. Quæ quidem tanti fecit Deus, vt ea in ingreſſu triumphali filij ſui in Ieruſalem, per os ſimplicium populorũ decantari voluerit ijs verbis, quæ Eſaiæ vaticinium virtualiter includunt. Aiunt enim, interrogante ciuitate:
Matt.21. *Quis eſt hic? Hic eſt Ieſus, Propheta, à Nazareth Galilææ.*
Eſai.61. Quod idem eſt dictu, ac: *Spiritus Domini ſuper me*, &c. Spiritum enim Domini futurum ſuper Chriſtum, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO

EST,

QVATVOR principales actiones hodie in hoc Euangelio recenſeri. Quoddam enim agit Chriſtus, quoddam Ieruſalem, quoddam populi, quoddam paruuli. Chriſtus intrat ciuitatem, & commouet illam, intrat templum, eÿcit vendentes, & ementes, ac ſanat cæcos, & claudos. Ieruſalem commouetur. populi confitentur, & paruuli identidem Domini laudes ſimplici corde, puriſque labij s, plena
Matt.21. cum ſeqq. voce decantant. *Cùm intraſſet Ieſus Ieroſolymam*, et: *Intrauit Ieſus in templũ Dei, & eÿciebat omnes vendentes*; &c. et: *Acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo, & ſanauit eos*, ecce primum. *Commota eſt vniuerſa Ciuitas, dicẽs: Quis eſt hic?* ecce ſecundum. *Hic eſt Ieſus Propheta*, &c. ecce tertium. *Hoſanna filio Dauid*, &c. ecce quartum.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SI Eſaias propheta, qui, interiori lumine illuſtratus, mirabilia illa vidit, quæ in aſſumpta carne operaturus erat Dei filius, poſt innumera, quæ de illo in ſuis propheticis ſermonibus mundo prædixit, veniens tandem ad explicandum, quomodo in Academia Chriſtiana, cuius ille futurus erat Princeps, ac Protector, nuncupandus eſſet, inquit, nomen ſuum fore *(Admirabilis) Et vocabitur nomen eius : Admirabilis*, quis vnquàm mirari debuerit, ſi hodie, Ieroſolymorum ingrediens ciuitatem, admiratione eam replet, ac in ſui contemplationem oculos omnium intuentium trahit, vt propterea admirati, in admirationis vocem prorumpãt, dicentes: *Quis eſt hic?* Et quid mirũ, ſi ſtatim, nullo doctore medio, nulla doctrice eruditione præuia, incũctanter eruditiſſimi fiunt populi, diſertiſſimi infantes, & mirabilia illa ſuccedunt, quæ ab Euangeliſta narrantur? Mirum eſſet, ſi cælum non influeret, ſol non luceret, ignis non calefaceret, medicus non iuuaret, *Saluator, vt lampas, non accenderetur, & ciuitas, ſupra montem poſita, non conſpicua fieret.* Quia vero, & cælum influit, & ſol ſplendeſcit, & ignis calefacit, & medicus iuuat, & Saluator, vt lampas, accenditur, & ciuitas è longinquo conſpicitur, nulli mirum, nulli ſtuporis argumentum.

Eſa. 9. *Matt. 21.* *Eſa. 62.* *Matth. 5.*

Admirabilis ergo Deus, in ingreſſu ciuitatis Ieroſolymæ, admirabilem ſe præbet, ciuitas admirabiliter commouetur, populi mirabiliter Chriſtum confitentur, & paruuli, omnium cum admiratione, Dauidicos verſiculos, pro ipſo conſcriptos, gratioſè decantant. Quæ quidem, quatuor principales actiones ſunt, quas hodie Euangeliſta recenſet. Chriſtus enim intrat, commouet, eijcit, & ſanat. Ciuitas commouetur, & in admirationis verba prorumpit. Populi, verum Meſſiam Chriſtum, profitentur. Et paruuli panegyrim in eius laudem concinunt. *Cùm intraſſet Ieſus Ieroſolymam*, &c. ecce primum, &c. vt ſupra.

Matt. 21.

QVINTA INVENTIO EST,

CHRISTVM benedictum non hodie incœpiſſe in ingreſſu ciuitatum commotiones excitare, admirationem gignere, & ſtuporis verba ex admirantium ore excipere. Nam, ſiue ille in Trinitate, ſiue in angelis, ſiue in hominibus conſideretur, nunquàm ad aliquos ingreſſum habuit, quin commouerit, quin admirationem pepererit, quin ſtuporis verba admirati illi depromſerint.

Sed, pro huius Inuentionis ſtabili, ac ſolido fundamento, notetur: Quamlibet bonam ciuitatem, Sapientum conſilio ædificatam, quinque in ſe debere conditiones amplecti. Primam, quòd in bono ſitu collocata ſit. Secundam, quòd in bona aëris temperie. Tertiam, quòd abundans. Quartam, quòd fortis. Quintam, quòd bonis legibus gubernata. Ingrediente Domino in primam diuinitatis ciuitatem (quæ has omnes habet conditiones. Eſt enim ſurſum: *Surſum eſt Dominus*. In ea perſonæ diuinæ gloriæ beatificæ ſaluberrimo aëre perfruuntur. Abundans: *Bonorū noſtrorū non indiget* Deus. Fortis: *Sapiens eſt, & fortis robore, quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Ac tandem bonis legibus gubernata, vt .ſ. Pater ingenitus ſit, non generatus, nec ſpiratus. Filius generatus, ac ſpirans, ſed non ingenitus, aut ſpiratus. Et Spiritus ſanctus nec ingenitus, nec generans, nec ſpirans, ſed ſolùm ſpiratus) commota eſt iſta ciuitas, non in ſe ipſa, & quantùm ad ſe, cùm incommouibilis ſit, ſed commota, dum, tractu temporis, in Scholis, & Gymnaſijs circa indiuiduam Trinitatem motę ſunt quęſtiones, & præcipuè circa Verbi perſonam, Deique filium, dicendo: *Quis eſt hic?* &c. Quam interrogationem etiam reſponſum ſecutum eſt, ſecundùm varia principia doctrinarum, & varias Theologicas Scholas.

Aug. et habetur: De cōſ. diſt.2. Prima hereſis. *Pſal. 15.* *Iob. 9.* *Matt. 21.*

Ingrediente eodem Domino ſecundam ciuitatem, angelicæ, ſcilicet, naturæ (quæ ciuitas eſt cum his omnibus prætactis conditionibus. Eſt enim ſurſum, cùm omnium creaturarum eminentiſſima ſit: *Duo enim fecit Deus*, inquit

Aug.

Aug. *vnum propè ſe,aliud propè nihil*,propè ſe angelos,quos nomine cœli intelligit, propè nihil materiam primā. Bona aëris temperie perfruitur.*Vident enim ſemper angeli faciem Patris, qui in cœlis eſt.* Abundans eſt:*Et abundantia in turribus tuis.* Per turres enim angelos ſignificari, docet Lyranus hic. Fortis eſt, cùm ſtrenuiſſimi milites ſint, iuſſa Dei implentes, diuino ſemper conſpectui aſſiſtentes : *Millia millium,&c.* Ac tandem optimis gubernata legibus,vt,eorum aliqui loquentes ſint, aliqui audientes, aliqui illuminantes, aliqui illuminati) commota eſt ciuitas,dum diuini Verbi abſtractiuam cognitionem,tum boni angeli,tum mali receperunt, illius magnitudinem, ac perfectionem infinitam demirantes, & dicentes: *Quis eſt hic*, qui noſtri intellectus acumen traſcendit, & intellectiuam noſtram facultatem ſuperat? qui, vti Pater, perfectus eſt, in ſubſtantia æqualis,&in omni diuina perfectione ei ſimilis?Et reſponsū acceperunt à Patre: Hoc eſt Verbum cordis mei, *eructauit enim cor meum Verbum bonum*. Reſponſum acceperunt à Filio: *Ego ſapientia ex ore Altiſſimi prodiui primogenita,ante omnem creaturam.* Reſponſum tandem acceperunt à Spiritu Sancto: *Ipſe eſt ſplēdor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.*

12.Conf. c.7. Matt.18. Pſal.121. Lyr.ſuper Matt.18. Dan.7. Matt.21. Pſal.44. Eccli.24. Hab.1.

Ingrediente tertiò eodem Domino ciuitatem terreſtris Paradiſi (quæ ciuitas eſt iiſdem ditata conditionibus. Eſt enim in optimo ſitu, licèt non ea ratione, vt ſui altitudine vſque ad Lunæ ſphæram pertingat, vt opinati ſunt Beda, Albertus magnus, ac ſententiarum Magiſter. Neque ea de cauſa, vt ſub æquinoctiali ſitus ſit, vt videntur tenere Thomas 2. ſent. d. 17. q.3.art.2. Dur.q.3.eiuſd.diſt.& D.Bona. ſuper litteram Magiſtri.Sed in optimo ſitu, vt inquit Doct. ſubt.ead.d q. 2. Iſid. 14. Ethim. c. 13. Dam. lib. 2. c. 11. & Lact. Firm.2. Diuin. inſtit. quia ſituatus eſt in Oriente, in climate temperatiſſimo, ſcilicet, in quarto. Legitur enim, ſecundùm Septuaginta: *Eiecit Deus Adam de Paradiſo, & ſtare fecit ante Paradiſum*, in quarto, ſcilicet, climate; cùm loca,ab Adam inhabitata poſt eiectionem ſuam è Paradiſo, in quarto climate eſſe deprehendantur. Eſt præterea ſecunda conditione conſtans : Nam à Deo benedicto primus hominum, perfectiſſimus hominum in loco perfectiſſimo collocatus fuit, in quo, vt inquit Iſid. lib. 15. c. 5. non ſunt nebulæ, neque frigus, neque æſtus, ſed perpetua aëris temperies.

Beda. Alb. Mag. Magiſter. D.Thom. Duran. D.Bonau. Scotus. Iſidorus. Damaſc. Lact.Fir. Septuag. Interp. Iſidorus.

periies. Nec deficit tertia conditione, cùm, ſecundùm Auguſt. 13. de ciuit. Dei c. 20. tria lignorum genera in Paradiſo fuerint, arbor vitæ, arbor ſcientiæ boni, & mali, & reliquum promiſcuum genus cæterorum lignorum Paradiſi. Aliam etiam habuit conditionem, fortitudinis, inquam, cùm fortiſſimus ſit ille, qui non vincitur, niſi volens, vt fuit Adam in Paradiſo exiſtens, eumq́. defendens. Fuit tandem bonis gubernata legibus: *Ex omni ligno Paradiſi comede, &c.)* poſt peccatum Adæ, *poſt deambulationem Dei ad auram*, commota eſt vniuerſa illa ciuitas, dicens: *Quis eſt hic?* Et ſtatim auditum fuit: *Deus vltionum Dominus, &c.*

Auguſt. · *Gen. 2.* · *Gen. 3.* · *Matt. 21.* · *Pſal. 93.*

Generi vt ſalutem ferret humano, ingreſſo rurſus Domino mundi ciuitatem (quæ in malo ſitu eſt: *Lachrymarum vallis*. Peſtifero circumdata aëre: *Ventus ab Aquilone, & ab Aquilone pandetur omne malum*. Omnium rerum penuria laborans: *Infirmata eſt in paupertate virtus mea*. Omni fortitudine deſtituta: *Lepuſculus plebs inualida*. Ac malis gubernata legibus: *Vtamur creatura, tamquàm in iuuentute celeriter, &c.)* commota eſt vniuerſa hæc etiam ciuitas, ſicut fuerat prophetatum: *Adhuc vnum modicum, & commouebo cælum, & terram*, & interrogatum fuit: *Quis eſt hic? Quis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei? Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? &c.* Et reſponſum fuit: *Deſideratus cunctis Gentibus, &c.*

Ecclesiaſt. · *Prou. 25.* · *Ierem. 1.* · *Pſal. 30.* · *Prou. 30.* · *Sap. 2.* · *Agge. 2.* · *Matt. 21.* · *Mar. 4. &* · *Luc. 8.* · *Matt. 8.* · *Agg. 2.*

Sed quia non priùs mundi ciuitatem ingreſſus eſt Dominus, quàm ciuitatem pulcherrimam B. Virginis ingreſſus eſſet, ideo illa etiam eſt conſideranda. Hæc ciuitas in optimo ſitu eſt: *Fundamenta eius in montibus ſanctis*. Optimo aëre gaudens: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c.* Abundans: *Gratia plena*. Fontis: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Ac tandem optimis gubernata legibus, vt eſſet mater, & virgo; neſcia viri, & fœcunda, &c. Ad cuius ciuitatis ingreſſum commota eſt illa, cùm commoueri incœperit ad angeli ſalutationem: *Turbata eſt in ſermone eius, &c.* & dixit: *Quis eſt hic*, qui vteri mei anguſtias non abhorret, & viliſſimam ancillam non dedignatur? & audiuit: *Filius Altiſſimi, mundi Saluator, Chriſtus Ieſus*, [a] *in ſe reconcilians ima ſummis, &c.*

Pſal. 86. · *Luc. 1.* · *Cant. 4.* · *Luc. 1. cum ſeq.* · a Ex *Leo. Papa ſer. 1. & 2. de Nat. Dom.*

Tandem hanc ciuitatem, de qua nobis hodie ſermo, ingreſſus eſt Dominus, quæ in bono ſitu eſt, cùm in colle ſituata

tuata ſit; ſalubri aëre gaudet, ex cæli benignitate, ſecundùm Coſmographos; abundans fuerit, atque adeò, vt propterea *promiſſionis terra* appellata ſit; fortis, cùm ex vna parte montem Sion haberet, & arcem Iebuſæorum, & ex alia montem Moria, vbi ædificatum fuit fortiſſimum templum; ac tandem Moſaica gubernata lege, omnium ante Euangelium, præſtantiſſima, & à qua omnes Legislatores, omnes Sapientes præcepta, & doctrinam mutuarunt. Hanc ciuitatem ingreſſo Domino, commota eſt vniuerſa, dicens: *Quis eſt hic?* & reſponſum accepit à populis: *Hic eſt Ieſus Propheta, &c.*

Exo. 13. 33. & alibi ſæpè.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

AMbidexter Aod, præter typum Sanctorum, quem gerit (vt aſſerit Orig. Hom. 3. ſuper Iud.) & eorum, qui fortiter agunt, tam in proſperis, quàm in aduerſis (quemadmodum exponit Chryſ. in Iob, & Abraha) Concionatoris, & Eccleſiaſtæ ſymbolum, & figuram eſſe, Rhetorum catholicorum inſtructiones, & præcepta declarant. Aiunt enim illi, pro audientium captu, & loci conditione, verbum Dei variè eſſe proponendum. Puta, ſi humilis ſit locus, rudes Auditores; iuxta Ariſt. doctrinam, à notioribus exordiri debet; iuxta Plat. præcepta in Conuiuio, à creaturarum pulchritudine ad Dei ſpecioſiſſimam formam conſurgere ei opus eſt, iuxta Dion. Areop. animaduerſionem, ex creaturarum attributis (remoto quod eſt imperfectionis) Dei attributa inueſtigare habet; iuxta D. Pauli ſent. *à creatura mundi, & per ea, quæ facta ſunt* manuducet Auditores; ac tandem ſequetur Chriſtum, qui, loquens ad turbas, *ſine parabolis non loquebatur*. Si vero ſublimis ſit locus, eruditi, ac ſapientes ſint Auditores, imitabitur Chriſtum Eccleſiaſtes, qui cum Phariſæis argumentatur, vt logicus, & legiſperitis legis difficultates proponit. Imitabitur Paulum, *qui iubet, paruulis lac potum dari, non eſcam, & ſapientiam nos loqui debere inter perfectos*. Imitabitur Dion. qui in cæleſti Hierarchia, ac myſtica Theologia humilia dedignatur, altaq. petit. Imitabitur [a] Platonem, qui cum doctis viris ab intelligibili-

Origenes. *Chryſoſt.* *1. Phyſ. t.c. 2.* *Plato.* *De Diuin. nomin.* *Rom. 1.* *Matt. 24. & Mar. 4.* *Matt. 22.* *1. Cor. 3.* *1. Cor. 2.* *Dionyſ.* *[a] Multis in locis ſuorũ librorum.*

gibilibus ad ſenſibilia proficiſcitur. Ac tandem imitabitur *Ariſtot.* Ariſt. qui in diuina philoſophia abſtrahit à ſenſibilibus, & non niſi à materia ſeiuncta, ac ſeparata contemplatur. Quemadmodum,mihi hodie faciendum eſſe,agnoſco. Nam, cùm apud te N. concionem habeam,quæ,&c. non primum, ſed ſecundum ſequar modum. Atque ab iſta materiali Ieruſalem, & nudo,ac ſimplici Chriſti Domini in eam ingreſſu, ad ſpirituales Ieroſolymas conſurgam, & multò excellentiores ingreſſus contemplabor, &c. vt ſupra.

QVARTA PRIMAE.

Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ, & Phariſæi,dicentes: Magiſter,volumus à te ſignum videre,&c. Matth. 12.

Matth. 12. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

QVONIAM hac de cauſa hodie Phariſæi ſignum à Domino quærunt, vt .ſ. explorent: An Chriſtus ſit Chriſtus,in lege promiſſus (petunt enim: ***Magiſter, volumus à te ſignum videre***) idcircò, per hæc eadem verba, quibus ſigna petunt, probari,Chriſtum noſtrum verè eſſe Meſſiam, in lege promiſſum. Et per(*Magiſter*)primò hoc probetur. Nam,cùm Chriſtus ſit Magiſter,ſecundùm eos, ***& viam Dei in veritate doceat***, vt Magiſter, docere eos poteſt, à tempore, à loco, & à circumſtantijs, ſe verum eſſe Meſſiam. A tempore, inter alias ſcripturas, ſeptuaginta Danielis hebdomadas ſapienter propo-

Matth. 12. Mar. 12. & Luc. 20.

propo-

proponendo. A loco, per Prophetam Michæam, quòd Chriſtus in Bethlehem naſci debebat, oſtendendo. A circumſtantijs denique, puta, à ſumma pace promiſſa, & tempore Chriſti exiſtente in mundo, ab amiſſione ſceptri, & ſacerdotij, & ab huiuſmodi propoſitum confirmando. Per verbum *(volumus)* idem probetur, vt à voluntate Dei probat Scot. in Prol. ſent. Cùm enim diceret Chriſtus, ſe Dei eſſe filium naturalem (vt multoties dixit Hebræis, qui id ei poſtea exprobrarunt: *Tu homo cùm ſis, facis te ipſum Deum)* &, ad hanc propoſitionem confirmandam, miracula fecerit, ad quæ Dei voluntas cõcucurrit, euidens eſt *(cùm Deus non ſit aſſertor mendacij)* eum, non ad falſitatem, ſed ad veritatem confirmandam, concurrere voluiſſe. Per verbum *(A te)* idem oſtendatur. Alij enim Sancti, licèt miracula fecerint, ea tamen non à ſe, ſed ab alio fecerunt; non propria, ſed aliena virtute freti; non imperando, ſed ſimpliciter deprecando; cùm ſolus Chriſtus propria virtute, & imperando miracula fecerit. Per verba *(ſignum videre)* propoſitum tandem confirmetur. Signa enim non ſolùm fecit Chriſtus, ſed ſigna talia, quæ illum re vera Dei filium humanatum, ac verum Meſſiam oſtenderunt.

Scot. q. 2. Prol. ibi. De octauo, &c. *Ioan. 10.* *Scot. vbi ſupra.* *Tho. 3. p. q. 43. art. 4. & 3. ſent. d. 15. q. 1. art. 1. ac d. 16. q. 1. art. 3.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Philoſophos illos, qui cunctarum rerum elementa, & principia, litem, atque amicitiam conſtituerunt, licèt, iuxta Ariſtotelis doctrinam, malè ſenſiſſe dicendum ſit, tamen, ſi eorum intentio habeatur, & ad verum intellectum illorum verba reducantur, planè conſtat, mundum totum in lite, atque contrarietate conſtitutum eſſe, media amicitia, quæ res oppoſitas, ad inuicemque contrarias, fœdere bono iungit, atque connectit. Vndè doctiſſimè Franc. Petrar. *Sine lite, atque offenſione nihil genuit natura parens*. Quod ab exemplis probans, inquit: *Sic eſt enim, & ſic propèmodum vniuerſa teſtantur. Rapido ſtella obuiant firmamento, contraria inuicem elementa confligunt, terra tremunt, maria fluctuant, aër quatitur, crepitant flammæ, bellum immortale venti gerunt, tempora temporibus concertant; ſecum ſingula, nobiſcum*

1. Phyſ. t. c. 47. *Franc. Petrar.*

Heracl. *nobiſcum omnia*. Benè ergo Heracl. *Omnia ſecundùm litem fiunt*. Quod, & in moralibus etiam apertiſſimè introſpicimus. Ait enim Eccli.33. *Contra malum bonum, contra vitam mors, & contra virum iuſtum peccator*. Fauent huic per tot ſæcula, & longa temporum curricula prænotatæ in ſacris litteris, inter bonos, & malos controuerſiæ, ac inter iuſtos, & peccatores contentiones. Verùm, quando vndèquaque deeſſet propoſiti probandi argumentum, inſidiæ, vafricies, retiacula, decipulæ, dolive Phariſaici contra Dominum, ſatis, ſuperq. ſufficere poſſunt, ad ſpiritualem hanc litem, atque controuerſiam arguendam. Ecce, innumera penè miracula operatus fuerat inter Hebræos Dominus, &, quaſi nihil horum vnquàm effeciſſet, veluti nullum vnquàm miraculum, aut ſignum vidiſſent, accedunt ad eum, & ſigna ab illo petunt, quæ Meſſiam ipſum eſſe demonſtrent, verumque mundi expectatum Saluatorem. Quæ quidem omnia ſicut diuina diſpenſatione inter homines accidunt, ita, atque altiori myſterio, inter Chriſtum, & Hebræos. Ex hoc enim habemus, &c. Et, ad rem noſtram, ex hodierna Scribarum, & Phariſæorum tentatione, (tentantes enim Chriſtum, ſigna ab eo petunt) per verba ipſorummet, qui ſigna petunt, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, colligimus, &c. vt ſupra.

Eccli.33.

SECVNDA INVENTIO
E S T,

IVdæis, ſigna petentibus, tria Chriſtum ſigna concedere, licèt non niſi vnū apertè concedere videatur. Signum, ſcilicet, Reginæ Sabæ, Salomonis, & Ionæ. Idque maxima cum ſapientia. Cùm enim omnia ſigna in vniuerſum, aut rememoratiua ſint, aut demonſtratiua, aut prognoſtica, pro rememoratiuis dat ſignum Reginæ Sabæ; nam rememoratur, *veniſſe quondàm illam à finibus terræ, audire ſapientiam Salomonis*. Pro demonſtratiuis dat ſignum Salomonis: *Ecce, pluſquàm Salomon hic*; hìc, enim, nota eſt demonſtrationis, vt patet. Pro prognoſticis tandem (prognoſticis, inquam, ſuæ mortis, & reſurrectionis) ſignum Ionæ concedit, inquiens:

3.Reg.4. Matt.12. Luc.11. Matt.12. cum ſeq.

Digitized by Google

inquiens: *Sicut fuit Ionas tribus diebus, & tribus noctibus in ventre cœti, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quæ exempla inducens, ac ſigna hæc tria in medium afferens Chriſtianus Eccleſiaſtes, ex hiſtoria Reginæ Sabæ, Salomonis, & Ionæ, ac ſingularibus eorum actionibus, in Scriptura narratis, probet intentum, de veritate Meſſiatus Chriſti, & ſuorum miraculorum, applicando, ſi non ſingula, ſingularia tamen, atque illuſtriora, quæ de illis ſcripta reperiet, dicendo conſequenter. *Ion. 2.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DVobus cum diſcipulis, quos erudiendos ſuſcepit Dominus, diuerſimodè ſe gerere, nec vno, eodemq. modo, in illis inſtituendis, vti. Erudiens enim angelum, qui ingenij acumine pollet, & ad nutum abſtractiſſima, & ſpiritualiſſima percipit, per nudas propoſitiones, per ſimplices locutiones, per proprios terminos ſuum illi manifeſtat, ac præpandit conceptum. Cum homine verò, *qui coniunctus eſt corpori, aggrauanti animam*, atque intellectum remoranti, vt plurimùm, per exempla, per ſenſibilia, ac per ſigna, magis nota, agit. Sapienter ſeſe, & eatenus gerendo, vti peritus, ac prudens Mathematicus, qui diſcipulorum captui, & capacitati ſe conformans, cum perſpicacibus, & bonitate ingenij præditis, doctrinam, per ſuos terminos, abſque exemplis communicat; cum hebetibus verò, ac rudibus, vixque primoribus labijs ſcientiam delibantibus, cuicunque ſpeculatiuæ propoſitioni exempla ſubnectit. Patebit intentum, ſi totius eruditionis humanæ progreſſus notetur in Scripturis, & quomodò Deus benedictus Prophetas inſtruxerit, ac Patriarchas docuerit. Videbitur enim, per ſenſibilia ad ſpiritualem intelligentiam illos manuduxiſſe. Quem ritum etiam in aſſumpta carne regulariter obſeruans Dominus, *aperuit in parabolis os ſuum*, atque in hunc modum *eructauit abſcondita à conſtitutione mundi.* Quid plura? Adſunt hodie Scribæ, & Phariſæi, quærentes ab eo: An verus ſit Meſſias, atque, ad hanc veritatem probandam, ſigna petentes; & Dominus, illorum occa-

Sap. 9. *Pſal. 77.* *Matt. 13.*

occaſione, totam Eccleſiam ſuam per exempla, per ſigna, & per ſenſibilia ad ſacramentorum intelligentiam perducere deſiderans, affert in medium Reginæ Sabæ, Salomonis, atque Ionæ exempla, ſignaq. triplicia, vt veritas hæc, & per rememoratiuum, & per demonſtratiuum, & per prognoſticum ſignum comprobetur. Signum enim, atque exemplum Reginæ Sabinæ eſt rememoratiuum, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

OMnibus omnium hominum ſtatibus in hoc Euangelio, pro ſanandis animarum morbis, generalia, ſed quibuſuis propria, diuina remedia proponi, & congruentes ſingulis aptari cœleſtes medicinas. Cùm enim omnis homo, aut infidelis ſit, aut fidelis; & infidelium, aut ſimpliciter
Sco. 23. 3. infidelis, vt ille, qui nunquàm fidem recepit, aut ſecundùm
q. vni. ad 2. quid, vt Hæretici, qui à fide exciderunt. Fidelium verò;
arg. princ. aliqui boni, aliqui ſemel peccatores, aliqui recidiuantes in
ibi: Sed cũ peccatum: Pro primis, ſcilicet, ſimpliciter infidelibus, pro-
dicitur, etc. ponitur ſignum Ionæ (*ſigna enim non fidelibus, ſed infideli-*
1. Cor. 14. *bus, data ſunt*, teſte Paulo, & aſſertore Greg. Homli. 10. in
Gregorius. Euang.) Pro ſecundis, ſcilicet, infidelibus ſecundùm quid, adducitur ſapientia Salomonis; non enim aliter curari poſſunt Hæretici, quàm humiliter audiendo ſapientiam Salomonis Chriſti in Scripturis, & in Concilijs. Pro fidelibus
Matt. 12, bonis proponitur, *eſſe matrem, fratrem, & ſororem Chriſti,*
cum ſeqq. *eius faciendo voluntatem*. Pro eiſdem, ſed peccatoribus, exemplum, adducitur Niuitarum, *qui pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*. Ac tandem pro ipſiſmet, ſed recidiuantibus in peccatum, comminatoria doctrina explicatur, *de immundo ſpiritu, exeunte ab homine, & reuertente cum alijs ſeptem ſpiritibus, ſe nequioribus, reddentibus nouiſſima hominis illius, peiora prioribus.*

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVamuis innumera ſint officia, quæ exercuit Chriſtus
in terris, & infinita penè munera, ad quæ obeunda
miſſus eſt à Patre in mundum, duo tamen præcipua
narrantur ab Eſaia, æterni Patris verba referente, ſcilicet, *Eſa.55.*
Ducatus, ac Magiſterij. Ait enim: *Ducem, ac Præceptorem
Gentibus dedi eum*. Quæ quidem reſtrictio arcano ſacramento, ac diuina ſapientia facta eſt à Spiritu Sancto, cùm
Chriſtus duo præcipuè præſtare deberet in mundo; exemplis nimirum homines in viam ſalutis dirigere, & eorum
illuſtrare mentes; verbo, inquam, & exemplo firmare. Præſtitit primum, cùm *exemplum dedit nobis, vt, quemadmodum* *Ioan.14.*
ipſe fecit, ita & nos faciamus, præbens ſe Fidelibus ſuis verã
viuendi normam, humanarum actionum exemplar, &
cunctarum virtutum formam. Præſtitit & ſecundum, cùm
erat docens quotidiè in templo, & prædicans in Synagogis *Luc.19.*
Galilææ, ac diſcipulos ſuos, in perſona totius Eccleſiæ in- *Luc.4.*
formans. Harum duarum functionum primam de induſtria
omittentes, quæ noſtro inſtituto non deſeruit, ſecundam
optimè Chriſtum adimpleuiſſe, quando non aliundè pateret, ex hodierno Euangelio apertiſſimè patet, in quo pro
omnibus hominibus, & pro quocunq; hominũ ſtatu abſolutiſſimam doctrinam ille tradit, ad ſpiritualem profectum
omnium perſonarum, earumque ſaluberrimam medelam, ac
celeſte antidotum. Cùm enim omnis homo, aut fidelis ſit,
aut infidelis, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

TRia præcipuè incongrua, & abſurda in hac petitione Phariſaica: *Magiſter, volumus à te ſi-* *Matt.12.*
gnum videre, reperiri. Vnum in modo petendi, alterum in re petita, tertium in tempore
petendi. In modo quidem; nam incongruit,
Magiſtro, Patri, & Domino dicere: *Volumus*.

In re petita deindè; nam perſcrutans Scripturas, ac SS. Patres, repugnantiſſimum eſſe reperiet ſtatui viæ, *& ambulantibus per fidem*, videre. In tempore petendi tandem, cùm tunc temporis acceſſerint, vt ſigna à Domino peterent, quando iam, & immediatè antè hanc petitionem, quatuor miracula ab illo fieri viderant; eiectum, ſcilicet, eſſe dæmonem ab obſeſſo, & ſanatum mutum, ſurdũ, ac cæcum in ſynagoga. Et tunc tandem acceſſerint, quando, hoc viſo miraculo, turbæ, glorificantes Deum, acclamabant, & Dominum noſtrum, verum Chriſtum, verumque Meſſiam fatebantur.

2.Cor.5.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Deut.32. QVia *Dei perfecta ſunt opera*, & à perfectiſſimo omnium rerum artifice non niſi perfectiſſima expectare conuenit, idcircò, optimo iure, & abſolutiſſima ratione

Sap.11. *omnia Deum in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſſe*, teſtatur Salomon. In numero quidem, quoniam, licèt infinitos creare potuiſſet mundos, vnum tamen condidit, vt ex illius vnitate Creatoris vnitatem colligeremus; & licèt infinitas creaturarum ſpecies condere valuiſſet, tres tantùm condere ei complacuit, vt ex triplicata creaturarum ſpecie Trinitatis myſterium intelligeremus. In pondere verò, quia vnicuique creaturæ propriam dedit eſſentiæ rationem, proprios perfectionales gradus, proprias tandem affectiones; amor enim, ſiue naturalis, ſiue liber, & reliquæ paſſiones

Auguſt.11. Ciu.c.28. pondus ſunt: *Amor meus, pondus meum*, dicebat Auguſt. In menſura denique omnia condidit; quoniam quædam æuo menſurãtur, vt angeli, ceteraque æuiterna; quædam tẽpore, vt homines, ac reliqua corruptibilia, interituique obnoxia.

Pſal.141. Sed, vt noſtro deſeruit inſtituto, omnia Deus fecit in numero, quantùm ad res factas; quia, ſicut *numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, ſic & omnium aliarum ſpecierum indiuiduorum numerum nouit. Omnia fecit in pondere, quantùm ad modum faciendi, fe-

Sap.8. cit enim omnia potenter, ac ſuauiter; *attingit enim à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*. Ac tandem

dem omnia fecit in menſura, quia omnia creauit in tempore, & non in æternitate.

Quas diuinas perfectiones, ſi creatura imitari vellet, deberet omnes ſuas actiones (primæ regulæ ſe conformãdo) in numero, pondere, & menſura facere, prout viribus ſuis conceſſum. In numero quidem, illa ſolùm præſtando, quæ bona ſunt, & mala reijciendo. In pondere verò, debitum modum in rebus agendis obſeruando. Ac tandem in menſura, congruum tempus, pro his agendis, eligendo.

Felices Scribas, & Phariſæos, ſi hæc tria, cum Chriſto agentes obſeruaſſent. Si enim iſta non præterijſſent, non erraſſent. Patet quod dicimus in multis illorum actionibus, ſed præcipuè, dum ad Dominum accedunt, vt ab eo ſigna petant. Errant enim in modo petendi, in re petita, & in tempore petendi, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

QVinque perſonas, in Euangelio introductas .ſ. Ionam, Niniuitas, Salomonem, Reginam Auſtri, & ipſummet Chriſtum, veritatem de eiuſdem Chriſti diuinitate perfectè demonſtrare, omnesque adinuicem coniunctas, illum eſſe verum Meſſiã, in lege promiſſum, examuſſim oſtendere.

Ionas. n. cùm Chriſtum ſignet, ſecundùm Amb. ſuper Luc. 11. Hieron. ſuper Ion. 1. Aug. 2. de ſym. ad Cathe. 6. & Rup. ſuper Ion. 1. quatuor de Chriſto teſtimonium perhibet, merſione in profundum maris, manſione, trium dierum, ac noctium ſpatio in ventre Coeti, egreſſione ad littus, & prædicatione. *Ambr.* *Hieron.* *Auguſt.* *Ruper.*

Niniuitæ eidem teſtimonium perhibent, cùm pulchri interpretentur. Signant enim illum, qui *pulcher eſt & decorus.* Et ſponſus eſt Niuiuæ, quæ pulchra dicitur, hoc eſt, Eccleſiæ, quæ pulchra eſt, *non habens maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi,* vt inquit Paul. Niniuitas autem Gentilium, ad fidem conuerſorum, typum eſſe, teſtimonium perhibent Hila. ſuper Matth. Can. 12. Hieron. ſuper Ion. 1. & 3. *Cant. 1.* *Ephes. 5.* *Hilar.* *Hieron.*

ſuper Nahum. 1. ſuper Sophon. 2.& ſuper Zach. 9.

Salomon præterea idem aſtruit de Chriſto, cùm tribus nominibus nominetur in Scripturis, ſcilicet, Salomon, Idida, & Coëleth. Vt Salomon, interpretatur pacificus, & competit Chriſto, in cuius aduentu pax vniuerſalis fuit in
Eſa.2. toto orbe, iuxta Eſaiæ vaticinium, *& pacificauit per ſangui-*
Col.1. *nem crucis ſuæ, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris ſunt*. Vt Idida, etiam congruit Chriſto; nam, cùm Idida, dilectus in Scripturis interpretetur, dilectus Deo Patri fuit Chriſtus,
Matth.3. vt ipſemet Pater confitetur: *Hic eſt filius meus dilectus, &c.*
Mar.9.& Dilectus etiã Eccleſiæ fuit, vt ipſamet Eccleſia affirmat:
Luc.3. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Tandem, vt Coëleth, etiã
Cant.2. Chriſto quadrat; nam, cùm Coëleth, Eccleſiaſtes, ſeu Concionator dicatur, altiſsimus Eccleſiaſtes, eruditiſsimus Cõ-
Eccli.50. cionator fuit Chriſtus, *qui renouauit ſapientiam de corde ſuo*, quod nulli vnquàm, aut hominum, aut angelorum tributum; & ſanctiſſimæ Trinitatis myſteria, quæ vſque ad ipſum latuerant, proprijs terminis, & clariſſimis vocibus reſeruit.

Regina Auſtri eidem propoſito etiã deſeruit: Nam, cùm Saba conuerſio, captiuitas, canicies, & ſeſſio interpretetur in Scripturis, Dei benedicti conuerſionem ad mundum, per Filij ſui vnigeniti miſſionem intelligimus. Captiuitatem illius tyranni, qui debellabat populum Dei, animaduerti-
2.Cor.10. mus, *& intellectus in obſequium Chriſti*. Caniciem illam venerandam Patriarcharum, & Prophetarum, ſolùm Chri-
Eſa.32. ſto referante nouimus. Et ſeſſionem illam, de qua Eſaias: *Sedebit populus in pulchritudine pacis*, ſeſſionem, inquam, in cœlis inter ordines angelorum, ſolum poſt Chriſtum meruit genus humanum; per ipſum ad tantam gloriam idoneum redditum.

Chriſtus tandem, qui vltima perſona introducta eſt, ex
Matt.12. eo, quòd *pluſquàm Ionas hic, & pluſquàm Salomon hic*, nobis dicendi copiã ſubminiſtrat, quomodo, ex maiori in infinitum perfectione, & excellentia ſuper Ionam, & ſuper Salomonem, illum verum Deum, verumque Meſſiam probare, atque oſtendere poſſimus.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVi diuinas Scripturas perluſtrat, in eiſque verſatus eſt, facilè animaduertiſſe potuerit, Deum benedictum Iudæorum populum, adeò carum, & prædilectum habuiſſe, vt non ſolùm, in ipſius gratiam, *magnalia fecerit olim in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro,* verùm etiam tot, tantiſque fauoribus illum cumulauerit, vt (quaſi cæterarum nationum oblitus) tunc ſuis diuinis votis ſatis omnia reſpondiſſe, ac voluntati ſuæ diuinæ ſatisfeciſſe videretur, ſi populum illum ſuorum deſideriorum compotem, atque ex omni parte donis, & gratijs cumulatum reddidiſſet. *Pſal. 105.*

Ex quo factum eſt, vt populus ille, *dura ceruice, & incircumciſo corde,* Dei benignitate abutens, ita inſoleſcere cœperit, vt (quaſi Deus alium populum non haberet, quaſi Iudaica prauitate indigeret, quaſi ſine illo perfecta beatitudine frui non poſſet, pacatoque corde viuere) cum Deo paritate contenderit, in nouis ſemper deſiderijs effrenatior euaſerit, hæreditario iure, & per obligationem gratias ab eo petierit; ac tandem (quaſi regius filius, luxu, ac mollitie delicatior effectus, & patris blanditias, ac tenellas dilicias faſtidiens) vt Deus ſibi morem gereret, vtque ſuæ ſe voluntati conformaret, impudenter, faſtidioſè, peruicaciter, & voluerit, & petierit ſemper. Ac, ni, vt petebat, fieret, in verba murmurationis, blaſphemiæ, & obſcœnæ impudentiæ prorupuerit. Vndè, non mirum, ſi (ex Dei benignitate, in delicijs, & delicatiùs, quàm merebatur, educatus) eò deuenit, vt nunquàm ſimplici diuino promiſſo acquieſceret, verbiſque Dei adhiberet fidem; ni ſigna videret, quæ, promiſſa, à Deo facta, certa eſſe, atteſtarentur. *Hiere. 6. et 9. Ezec. 44. & Act. 7.*

Patet propoſitum eò magis, quò etiam principales Synagogæ Patriarchæ, & Prophetæ, poſt diuinas promiſsiones, ad planè credulitatem confirmandam, ſigna à Deo petijſſe, legimus; non vtique ea intentione, vt reliquus incredulus, & rebellis populus, ſed, quia, inquam, vt delicatuli filij, enutriti in delicijs, ita aſſueuerant. Moſes enim, ad populum

F 3 edu-

Exo.4. educendum de Ægypto, Dux deſtinatus, ſigna petijt, & abſque ſignis populum ſibi non crediturum, aſſeruit; quippè qui ſigna in ſui gratiam fieri, videre aſſuetus erat. Et Abraham, ac ſi Deo non crederet, ſibi eodem terram, fluentem
Gen. 15. lac, & mel, promittenti, dixit: *Vndè ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam*? Et ſtatim ſignum à Deo accepit: *Sume tibi vaccam triennem, &c.* Qua propter Spiritus Sancti altiſſimo conſilio factum eſt, vt Petrus Iudæis prædicator deſtinaretur, qui potentiſſimus fuit in miraculorum opera-
Act.5. tione; *vmbra enim ſua ſanauit infirmos*, quod nunquàm de Chriſto legitur. Sciebat enim Spiritus Sanctus, Iudæos, ſigna videre aſſuetos, euangelicæ prædicationi non credituros, niſi ſigna, & quidem magna, vidiſſent.

Qui ergo Iudaici populi proprietatem, ac naturam tenet, & quæ diximus, aut priùs perſemetipſum annotauit, aut per nos dicta intellexit, non mirabitur, ſi hodie ille idem, ad Chriſtum accedit, ſigna petens, & antiqua conſuetudine cum Deo ambulat, eumque, quaſi talium ſibi debitorem, imperfricta fronte conuenit, & in promiſſi executio-
Matt.12. nem euocat, dicens: ***Magiſter, volumus à te ſignum videre.***
1.Cor.1. Ait enim, & benè Paulus, eorum naturam callens: ***Iudæi ſi-***
Ioan.4. ***gna petunt***; & Chriſtus: ***Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.*** Neque mirabitur, ſi Chriſtus (licèt illis ſigna, quæ petebant, deneget) Ionæ tamen, Niniuitarum, Salomonis, Reginæ Auſtri, & ſui ipſius ſigna concedit, verum Meſsiam ſe eſſe probantia, &c. vt ſupra.

QVIN-

QVINTA PRIMAE.

Egreſſus Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis, &c. Matth. 15.

Matt. 15. cum ſeqq.

QVINTA INVENTIO EST.

IN myſtico cœlo præſentis Euangelij (per cœlum enim Euangelium accipiunt Aug. 13. Conf. cap. 15. de eſſe. diuin. ac ſuper Pſal. 8. & 103. Greg. Hom. 9. & 17. ſuper Ezech. Hieron. ſuper Pſal. 81. Orig. Hom. 30. ſuper Matth. & Rup. 4. ſuper Apoc.) ſolem, lunam, ac ſtellas varias à nobis cõtemplandas. Solem (inquam) Chriſtum, qui egreſſus à Iudaiſmo, quaſi à proprio horizonte, *ſeceſſit in partes Tyri, & Sydonis*, ad Chananæam illuminandam, calefaciendam, iuuandam, &c. Lunam, Chananæam ipſam, quæ maculas idolatriæ, & aliorum multorum peccatorum habebat in anima ſua, &c. Stellam malignam (Saturnum) dœmonem, qui filiam Chananææ affligebat, ac vexabat, & in anima matris, & filiæ regnabat, &c. Stellas benignas, Apoſtolos, qui benè influunt; pro Chananæa enim Magiſtrum, & Deum ſuum rogant, &c.

Auguſt. Gregor. Hieron. Orige. Ruper.

Egreſſus Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis, ecce primum. *Et, ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, &c.* ecce ſecundum. *Filia mea malè à dœmonio vexatur*, ecce tertium. *Dimitte illam, quia clamat poſt nos*, ecce quartum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

AB Aegyptijs ferè cunctas ad nos manaſſe ſcientias, tùm naturales, tùm mathematicas, tùm diuinas, id-

eſt, metaphyſicas, & (vel in primis) occaſione puritatis cœli, ſemper ſereni, & nunquàm nubibus exturbati, non ſolùm manaſſe, ſed & ortum habuiſſe Aſtrologiam, peritiſſimi quique teſtantur. Quæ quidem, non ſolùm ſcientia eſt, verùm vtilia, verùm neceſſaria docens, atque (ad vitam traducendam) vt lumen quoddam, humanarum actionum directiuum, eſſe, conſpicitur.

Et quamuis ſolùm ad tria licitè extendatur, ad medicinam, agriculturam, & nauigationem (vt Pontificum conſtitutionibus cautum eſt) tamen, vt doctiſſimè demonſtrat Scotus in 2. d. 14. q. 3. etiam ad actus humanos extenditur, & ad liberum hominis arbitrium. Cùm enim aſtra, & cœli agant in humores, & corporeas qualitates, eas alterando, & ſenſibiliter mouendo, proque ſtatu iſto voluntas noſtra coniuncta ſenſibus, & corpori, nata ſit condelectari ſenſui exteriori, & triſtari ad triſtitiam illius, trahitur, ſi non reluctetur, moueturque ad inferiorum potentiarum motus; immò etiam ad humorum, & qualitatum alterationes, & paſſiones. Vndè fit, vt ex tali affinitate, & coniunctione, ad bilis, melancholiæ, &c. proprietates, & eiuſmodi paſſiones voluntas pertrahatur, intellectus acies obtundatur, & in actiones tales homo proſiliat, in quas non proſiliret, ſi cœlum, & aſtra ad tantam alterationem, & paſſionem humores non mouerent, atque alterarent. Talium ergo notitia ſatis neceſſaria eſt, &, ad innumera mala deuitanda, perutilis.

Scotus.

Sed, quod maius eſt, non ſolùm ad humanarum rerum regimen, & noſtrarum actionum regulam deſeruit, verùm etiam, ad ſpirituales ex ea ſenſus indagandos; myſticaſque ſymbolicas interpretationes habendas, proficua eſt. Ecce, hodie in Euang. Matthæi Chananææ hiſtoria narratur; & illius principalia myſteria, Aſtrologiæ cognitione adiuti, rectè explicare poſſumus, dicendo: Euangelium eſſe myſticum cœlum, &c. vt ſupra.

SE-

SECVNDA INVENTIO EST,

CVm, vt homo perfectus ſit, erga ſe, erga proximum, & erga Deum benè ſe gerere habeat, perfectam vtique Euangeliſtam Chananæam demoſtrare, illam, & erga ſe, & erga filiam, & erga Chriſtum ſe benè gerentem, deſcribendo. *Miſerere mei, Domine, fili Dauid*, et: *Domine, adiuua me*, ecce primum. *Filia mea malè à dæmonio vexatur*, ecce ſecundum. *Nam, & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*, ecce tertium. *Matt. 15. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

PAulus Apoſt 2. Cor. 1. ad Deum benedicendum, & laudandum linguam ſoluens, dicit. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Cuius benedictionis, & laudis rationem reddens, & cur ad Deum laudandum excitatus ſit, cauſam afferens, inquit: *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*. Ideſt, quia, multas, ac magnas in illo erga homines miſericordias agnoſcebat. Quæ verba exponens Ambroſ. ait; Deum eſſe Patrem miſericordiarum in peccatorum venia. Eſſe Deum totius conſolationis in conceſſione bonorum operum. Et eſſe conſolatorem noſtri in omni tribulatione noſtra, dando nobis & conſtantiam, & ſolatium in tribulatione. *2. Cor. 1.*

Quia verò Paulus non miſericordiam, ſed miſericordias Dei nominat, operæ precium eſt, noſſe, miſericordiam Dei vnam, multiplicem dici extrinſecè, terminatiuè, vel ſubiectiuè, &c. Eſt enim alta, profunda, longa, & lata. Alta quidem; nam benè Dauid: *Magnificata eſt vſque ad cœlos miſericordia tua*. Profunda etiam, quia verè ille idem: *Miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori*. Longa præterea, quia, *faciens eſt Dominus miſericordiam in millia*. Lata denique, quia, *miſericordia Domini plena eſt terra*. *Pſal. 56. Pſal. 85. Exo. 20. Pſal. 32.*

Hanc

Hanc ſuam diuinam miſericordiam ſemper cum hominibus oſtendit Dominus à mundi primordijs, ſed præcipuè poſt ſuam incarnationem. Cuius latitudinem declarauit, cùm non ſolùm Hebræorum, ſed etiam Gentilium miſertus eſt; ad eosque, extra Synagogæ anguſtum aggerem, ſalutem eis allaturus, ſe contulit. Vt, illum feciſſe, narrat Euangeli-
Matt. 15. ſta Matthæus, cùm *egreſſus* limites Iudæorũ, *ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis*, ad Chananæam, Gentilem fœminam, iuuandam, &c. Quæ tamen illius fauore indigna non fuit, cùm benè ſe geſſerit, & erga illum, & erga proximum, & erga ſe ipſam. Erga ſeipſam quidem, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

Ezech. 1. MVlierem Chananæam eſſe rotam, quam vidit Ezech. apparere ſuper terram, iuxta animalia, dum ipſe aſpiceret animalia, habentem quatuor facies. Quarum vna reſpicit Chri-
Matt. 15. *cum ſeqq.* ſtum: *Miſere mei, Domine, fili Dauid*; alia filiam ſuam: *Filia mea malè à dæmonio vexatur*; tertia Apoſtolos: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos*; quarta Hebræos: *Nam, & catelli edunt de micis, &c.* Per ro-
Hieron. tam autem ſignificari homines, docent Hieron. ſuper Eccl.
Ambr. 12. Ambr. de Virg. 3. & 2. de Abra. 8. & Euch. for. ſpir. 8.
Eucher. Specialiùs verò homines peccatores, tradunt idem Hieron.
Hieron. ſuper Ezech. 26. & Greg. 16. Mor. 30.
Greg.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

cap. 1. IN principio ſuæ propheticæ hiſtoriæ narrat Ezechiel, ſe vidiſſe, *dum eſſet in medio captiuorum, iuxta fluuium Chobar, poſt ventum turbinis, venientem ab Aquilone, & nubem magnam, & ignem inuoluentem, & ſplendorem in circuitu eius, & ſpeciem electri, & quatuor animalia, rotam apparere ſuper terram, iuxta animalia, dum illa ipſe aſpiceret, quatuor facies habentem.* Quam quidem viſionem SS.PP. expo-

exponentes,varias de rota afferunt allegorias.Aliqui enim,
vt Greg. Hom. 6. ſuper Ezech. Hieron. de Veſte Sacer.ſu- *Gregor.*
per 1. Ezech.& ſuper Pſal.76. & ſuper eundem.Pſal. Aug. & *Hieron.*
Arn. nec non Ambr. 3. de Spir. San. 22. atque Euch. For. *Auguſt.*
Spir.8. pro ſacra Scriptura, & ſingulariùs pro Euangelio *Arnol.*
exponunt. Aliqui, vt Baſil. ſuper Pſal.28. Hom. 1. Hieron. *Ambr.*
ſuper Ezech. 16. & Greg. ſuper Ezech. Hom. 5. pro iuſtis, *Eucher.*
& Prædicatoribus perfectis accipiunt. Aliqui, vt idem *Baſilius.*
Hieron. ſuper 1. & 41. Ezech. pro compoſitis ex quatuor *Hieron.*
elementis. Atque ita alij aliter. *Gregor.*

Tamen nos, quia Hieron. vbi ſupra, & Greg.16.Mor.30. *Hieron.*
interpretantur illam pro homine, & homine peccatore,di- *Hier.ſup.*
cemus; hanc rotam eſſe mulierem Chananæam, quæ appa- *Ezech.26.*
ret iuxta animalia (Leonem ex Tribu Iuda,Chriſtũ,& Apo- *Gregor.*
ſtolos, qui ſunt animalia, plena oculis ante, & retro) & ha-
bet quatuor facies, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

CHriſtum Dominum,qui *non pacem,ſed gladium* *Matt.10.*
mittere venit in terras, docereque manus ho-
minum ad prælium, & digitos eorum ad bellũ, *Pſal.17.*
cupidus experiri, quidnam ferre recuſarent,
quidnam valerent in arte militari filij homi-
num,quaſi voluntarius miles, qui ſub nullius eſt poteſtate,
Iudæam perluſtraſſe,ac totam circuiſſe Palæſtinam. At, vbi
comperit,Iudæos nihil in armis valere,nullam rei militaris
peritiam tenere,nec alijs armis dimicare noſſe,quàm mali-
gnitatis,odij,& rancoris,deſiderio flagrans, aliquos,extra
Iudæam,reperiendi equites,ac bellatores viros, qui manum
cõferre ſcirent,armiſque laudabiliter concertare, *receſſit in* *Matt.15.*
partes Tyri, & Sidonis. Et (ò rem miram) primo occurſu *cum ſeqq.*
Chananæam mulierem inuenit, quæ ab ipſo priùs per dæ-
monem,filiæ tortorem,tamquàm per fecialem, ad pugnam
vocata, & ad bellum excitata, fortiſsimis, & inpenetrabi-
libus armis armata, proceſſit ad pugnam, cum eo bellum
inijt, ac victoriam reportauit.

Et quia perfectam pugnam, abſolutiſſimum certamen
cum Chriſto habere voluit, omnia illa obſeruauit, quæ in

com-

completo bello, in vero certamine obſeruari ſolent. Armauit enim ſe priùs nobiliſsimis armis; lorica pietatis erga filiam, caſſi diuinæ cognitionis, lancea orationis, enſe Sanctorum interceſſionis, ſcuto fidei, &c.

Quibus armis armata, *à finibus illis egreſſa eſt*, audito, equitem cæleſtem ad fines illos perueniſſe. Et quia conſuetudo, in primo militari congreſſu, eſt, vt milites vociferentur, clangant tubis tibicenes, & bellicorum inſtrumentorum ſonitus audiatur, ad inimicum exercitum exterrendum, idcircò Chananæa, vt inimico terrorem incutiat, clamat: *Et egreſſa à finibus illis clamauit*. Deindè orationis lanceã in eum dirigit: *Miſerere mei, Domine, &c.* tantaque militari peritia, vt caput inimici feriat, iſtumque magis laudabilem, ac maiori præmio dignum in certamine aſſequatur. Tangit enim in oratione caput diuinitatis, & humanitatis Chriſti. Diuinitatis quidem, dicens: *Domine*; humanitatis verò: *Fili Dauid*. Verùm, quia Chriſtus fortis eques, & inuictus miles, ad hunc primum occurſum nihil mouetur (*Non enim reſpondit ei verbum*) idcircò Chananæa enſi manum admouet, interceſſionis, ſcilicet, Sanctorum: *Clamabat poſt Apoſtolos*. At, nec tela iſta pertimeſcens Chriſtus, immò diuina ſeueritate ea reijciens, Apoſtolorum interceſſionem: *Dimitte illam, quia clamat poſt nos*, retundit, & dicit: *Non ſum miſſus, niſi ad oues, &c.* Vndè neque lancea, neque enſe aliquid ſe proficere cernens Chananæa, propiùs pugnatura, Chriſti pedibus ſe prouoluit, implicatque, dicens: *Domine, adiuua me.* A qua ſe diuellere tentans Chriſtus, in eadem apparenti ſeueritate permanet, dicens: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, &c.* At Chananæa eum *non dimittens, donec ei benedicat*, arctiùs ligat, tenaciusque vincit, replicãs: *Nam, & catelli, &c.* Quam humilitatem, maximam fidẽ, & perſeuerantiam ſeuera Chriſti rigiditas ampliùs propellere recuſans, & mulieri vltra reſiſtere non valens, laudat eam de valore, & fortitudine priùs: *O mulier, magna eſt fides tua* (quod quidem ſignum eſt cæſpitantis inimici, & aduerſario palmam iam concedentis) ac deindè voluntariè prædam ſe inimicæ concedit, victum ſe ab illa profeſſus; gratiamque poſtulatam, ne dum elargitur, verùm (vt, ſuo modo, victoriæ conditiones illa conſcribat) impertitur, dicens: *Fiat tibi, ſicut vis.*

Gen. 32.

Matt. 15. cum ſeqq.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

LIcèt vniuerſa D. Pauli in Canonicis Epiſtolis explicata doctrina, auctoritates, propoſitiones, verba cuncta admiratione digna ſint, pleriſque myſterijs, ac ſacramentis ſcatentia, ſingulare tamen illud eſt, quod ſcribit ad Timot. diſcipulum ſuum. *Tu verò, ò homo Dei, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es.* Quaſi dicere vellet: Si tu, ò fili Thimothee, illam æternam vis adipiſci gloriam, ad quam tunc vocatus fuiſti, quando (manibus meis ſacris luſtratus vndis) Spiritum Sanctum accepiſti, habituſque cœleſtes; neceſſe eſt, vt viriliter pugnes, ſtrenuè concertes, & apprehendas vitam æternam. 1.*Tim.6.*

Mirabilis profectò ſententia, non ampliùs audita doctrina; vt illi, qui ſalutem conſequi vult, & ad æternam peruenire fœlicitatem quærit, opus ſit, armis, & dimicatione vitam apprehendere æternam; &, quaſi nouus Gigas Nembroticæ turris, debeat cum Deo telis, aut iaculis contendere. *Gen.11.* Quòd mihi pugnandum eſſet cum diabolo, reſiſtendum peccato, fugiendus mundus, reſpuenda caro, odio habendus proprius affectus, hoc vtique non ignorabam; ſcriptum enim legi: *Pugnate cum antiquo ſerpente*, et: *Aduerſus peccatum repugnantes, vt non regnet in veſtro mortali corpore*, et: *Nolite conformari huic ſæculo*, et: *Spiritus concupiſcit aduerſus carnem*, et: *Inimici hominis domeſtici eius, &c.* Sed quòd (vt ſaluari deberem) neceſſe mihi eſſet, cum Deo pugnare, qui vita æterna obiectiua eſt, hoc vtique ignorabam, niſi Paulus diceret: *Tu verò, ò homo Dei, &c.* *Eccleſia.* *Heb.12.* *Rom.12.* *Gal.5.* *Matt.10.* 1.*Tim.6.*

Verùm (ſi benè intelligantur arma, quibus cum Deo pugnare iubet Paulus, vt vitam conſequamur æternam) nil inſoliti monet, nil ardui præcipit, nulla difficultas Apoſtolicis mandatis ſubeſt. Arma enim, quæ nos ad hanc ſacram ſpiritualem pugnam armare debent, vt meritoriè militare poſſimus, & apprehendere vitam æternam, ſpiritualia ſunt, quibus ſancti pugnarunt, & vicerunt; & quibus Chananæa cum Chriſto hodie pugnat, &c. A qua, & modum etiam cum vita æterna pugnandi diſcere poſſumus, &c. vt ſupra.

QVIN-

QVINTA INVENTIO EST,

PEr nomina generis, regionis, & patriæ mulieris Chananææ, ſecundùm Hebraicam veritatem expoſita, actiones cunctas, ſingulareſque eius virtutes hodie exprimi in Euangelio.

Generis quidem: nam; cùm Chananæa zelus, & æmulatio interpretetur. in Scripturis, zelum illa habuit de ſalute corporali filiæ; & ſpirituali, filiæ, ac ſui ipſius; propterea enim cucurrit ad Dominum, orãs,
Matt.15. cum ſeqq. &petens: *Miſerere mei, Domine, fili Dauid, &c.* Aemulationem etiam habuit cum Hebræis; nam, cùm Dominus diceret ei: *Non ſum miſſus, &c.* & rurſùs: *Non eſt bonum, &c.* æmulando ſancta æmulatione, argumentum retorſit, ſuſcepitque: *Nam, & catelli, &c.*

Regionis verò; nam, cùm Phœnicia palma interpretetur (φοίνικα enim palma Græcè dicitur) rectè Chananæa (quæ
cap.7. Syrophænißa à Marco vocatur) è Phænicia eſſe recenſetur, quæ de dœmone, & de Chriſto (licèt diuerſimodè) fide, oratione, conſtantia, humilitate, ac perſeuerantia palmam reportauit.

Patriæ tandem; nam, cùm Tyrus tribulatio, & Sidon venatio, ac præda interpretentur, huius mulieris Chananææ
Matt.15. tribulatio ex ipſius verbis dignoſcitur: *Filia mea malè à dæmonio vexatur;* & venatio ſanitatis filiæ, ac ſalutis vtriuſque colligitur ex toto proceſſu actionum eius cum Chriſto. Præda denique apertè videtur, dum ſanitatis, ac ſalutis inueſtigatæ compos deſcribitur; Chriſtoque concedente, de inimico dœmone triumphum reportat.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

LIcèt varius, ac multiplex ſit ſacræ Scripturæ ſenſus, eamque exponendi non vnus, ſed ſemper in dies nouus modus, tum ex illius magnitudine, ac maieſtate, tum ex infini-

infinitate intellectus principalis Auctoris illius, tum tandem ex hominum induſtria, ſemper noua excogitantium; ad duos tamen omnes reducuntur, ad myſticum, nimirum, & litteralem; quadrantes duplici Theologiæ, à Dion. expreſſæ Epiſt. 9. arcanæ, ſcilicet, & manifeſtæ. Quorum myſticus, & arcanus ideò repertus eſt (teſte eodem Dion. 2. cœleſt. hierar.) *vt diuina myſteria indignis abſcondantur, bonis pandantur*. Ideò inueſtigatus (teſte Orig. Hom. 1. in Leuit.) *vt, ſicut iam humanatum Verbum per carnem patebat omnibus, & per diuinitatem paucis, ita in Prophetis, & lege per litteram videretur à cunctis, & per myſterium non à multis*, Ideò traditus, inquit Aug. Epiſt. 119. *vt animus, qui à corporalibus ſimilitudinibus ad ſpiritualia fertur, & tranſit, ardentiori dilectione raperetur ad quietem, tamquàm priùs in facula litteralis ſenſus agitatus, & accenſus. Vegetatur enim* (inquit ille) *ipſo tranſitu à rebus ad res*. *Dionyſ.* *Idem.* *Origenes.* *Auguſt.*

Myſticus iſte ſenſus (præter famoſos, ac notos ſenſus, quos ſub ſe continet, Allegoricum, ſcilicet, Anagogicum, & Tropologicum, ſiue Moralem) continet etiam Interpretatorium, quo, per Hebraica nomina, rerum proprietates, atque intrinſecas naturas myſticè explicamus. Qui tamen ad aliquem illorum reducitur. Quo quidem Interpretario ſenſu vtar ego hodie in elucidandis diuinis myſterijs, omnibusque Chananææ actionibus, ac virtutibus explicandis. Cùm enim in Euangelio hoderno mentio habeatur de illius genere, regione, ac patria, & horum primum zelus, & æmulatio interpretetur, &c. vt ſupra.

SEX-

SEXTA PRIMAE.

Ioan. 5.

Erat dies feſtus Iudæorum, &c. Ioan. 5.

PRIMA INVENTIO EST,

HOminem conſiderari poſſe, aut in ordine ad ſe, aut ad alterum. Et ad alterum, vel in principio vitæ, vel in fine, vel in medio. Et in medio, vel ſpeculans, vel memorans, vel volens. Et volens, vel legem obſeruans, vel eam violans. Si primo modo, aut pro parte principali, puta anima, & ſic anima eſt piſcina, *Hugo.* inquit Hugo de S. Vict. cui quinque aſſignari poſſunt porticus, quinque nimirum potentiæ interiores, ſcilicet, ſenſus communis, phantaſia, intellectus, memoria, & voluntas. In quibus porticibus iacet multitudo magna languentium, deſiderio naturali proficiendi in ſcientijs, & doctrinis. Hanc piſcinam mouet angelus obiecti, & ſanatur intellectus poſſibilis, qui intellectionem recipit.

Si verò homo accipiatur pro parte, minus principali, ſci- *Simon de Caſſia.* licet, corpore, ſic corpus eſt piſcina, dicit Simon de Caſſia. lib. 5. de miraculis Domini c. 27. cui quinque aſſignari poſſunt porticus, quinque ſenſuum exteriorum, in quibus iacet multitudo magna languentium, non ſolùm naturali deſiderio cognitionis (cùm ſenſus exteriores etiam potentiæ *Sco. 15. 3. q. Vni. ſub §. Aliter poteſt dici, ibi: Quod igitur dicit Auicen.* cognitiuæ ſint; cuilibet enim appetitiuæ correſpondet propria cognitiua) verùm etiam, quia vnuſquiſque languet in his porticibus ſenſuum exteriorum, Deum illis offendendo. Hanc piſcinam mouet angelus obiecti, & ſanatur vnus ſenſus, qui, vel cognitionem recipit, vel ſuper obiectum conueniens, & à voluntate recta ordinatum, fertur.

Si tertiò homo accipiatur pro toto, & in ordine ad ſe, ſic

ſic homo eſt piſcina (dicit Rup. hic, & Aug. Tract. 17 in Ioan.) cui quinque aſſignari poſſunt porticus, quinque ætatum, ante Chriſtum, in quibus ſemper iacuit multitudo magna languentium, vel deſiderio, videndi Meſſiam, vel propter peccatum, & diuinæ legis transgreſſionem. Hanc piſcinam ſemper vnus mouit angelus; nam in prima ętate mouit Abraham cum circumciſione, in ſecunda Moſes cum lege, in tertia Dauid cum pſalmis, in quarta Io. Baptiſta cum baptiſmate, & in quinta Chriſtus cum Sacramentis. Et ſanatus fuit ille vnus, qui vnitatem fidei, & charitatis recipere, & conſeruare voluit. *Ruper.* *Auguſt.*

Si verò homo conſideretur in ordine ad aliud, hoc erit, aut in principio, aut in fine, aut in medio vitæ ſuæ. Si in principio, ſic, cùm homo in initio ſuæ vitæ (naſcens inter Chriſtianos) ordinetur ad baptiſmum, baptiſmus eſt piſcina (ſecundùm Ambr. 7. de Spir. Sancto, & Tert. de bapt.) cui quinque aſſignari poſſunt porticus, trium, ſcilicet, modorum habendi baptiſmum, & duarum differentiarum. Modorum; fluminis, flaminis, & ſanguinis; differentiarum verò, in infantia, & adulta ætate. In quibus iacet multitudo magna languentium propter originale peccatum. Hanc piſcinam angelus ſacerdos, qui angelus eſt (vt inquit Malachias: *Sacerdos angelus Domini exercituum eſt*) mouet, & ſanatur vnus, qui ad vnitatem fidei venit. *Ambr.* *Tertul.* *Malac. 2.*

Si homo poſtea in fine ſuæ vitæ conſideretur, ſic, aut ad gloriam euolans, aut ad pœnas æternas deſtinatus, aut in Purgatorio detinendus, vt purgetur. Si primo modo, ſic gloria eſt piſcina (vt inquiunt Moderni) cui quinque aſſignari poſſunt porticus, quinque modorum, quibus homines in cœlo beatificantur, ſcilicet, in eſſentia diuina, in Chriſti humanitate, in angelis, in cæteris Sanctis, & in ſe ipſis. In quibus iacet multitudo magna languẽtium, dulcedine amoris, & beatificæ delectationis. Hanc piſcinam mouet angelus obiecti beatifici, & ſanatur vnus, qui in vnitate dilectionis, & charitatis cum Deo coniunctus eſt.

Si ſecundo modo, ſic Infernus eſt piſcina (ſecundùm Modernos) cui quinque aſſignari poſſunt porticus, quinque modorum, quibus damnati torquentur; torquentur enim in corpore, pœna ſenſus; in anima, pœna damni; in intellectu, conſideratione obiecti diſconuenientis; in voluntate, triſti-

tia maxima, propter maximas pœnas; & in memoria, recordatione præteritorum bonorum, iam amiſſorum. In quibus iacet multitudo magna languentium, dolore, & afflictione. Hanc mouet angelus diuini iudicij; & ſanatur vnus à maiori pœna, qua plecti deberet, & propter diuinam bonitatē non plectitur, *ſemper enim Deus citra condignum punit.*

Cōmunit. Scholaſtici

Si tertio modo, ſic, cùm purgantes indulgentijs, per modum ſuffragij, adiuuentur, indulgentiæ piſcina à Modernis dicuntur. Cui quinque aſſignari poſſunt porticus, quinque modorum indulgentias lucrandi, ſcilicet, vel determinatam indulgentiam tot dierum, annorum, &c. vel plenariam, vel pleniſſimam, vel per iubilæi modum, vel iniunctam. In quibus iacet multitudo magna languentium ex defectu propriæ ſatisfactionis. Hanc mouet angelus, Summus Pont. & alij Prælati, indulgentias concedendi facultatem habentes; & ſanatur vnus, cui illæ applicantur.

Si in medio autem ſuæ vitæ conſideretur homo, ſic, vel ſpeculans, vel memorans, vel volens. Si ſpeculans, ſic Deum ſpeculans, ac diuinam naturam, Deus ipſe, eiuſque natura piſcina dici poteſt (vt inquiunt Moderni) cui quinque aſſignari poſſunt porticus, ſcilicet, attributorum, appropriatorum, notionum, relationum communium, & emanationum. In quibus iacet multitudo magna languentium, vel deſiderio, iſta arcana intelligendi, vel culpa, & proprio defectu, vt Hæretici, perperā diuina interpretantes. Hāc piſcinam mouet angelus, Summus Pontifex, qui de Deo credēda determinat, vel Doctor quilibet, qui de diuiuis diſſerit; & ſanatur vnus, qui priùs vel languebat deſiderio, vel culpa.

Gorram.

Si vt memorans conſideretur homo, ſic memorans malè actam vitam, & pœnitere conſtituens, pœnitentia ipſa piſcina dicitur à Gorramo hic. Cui quinque aſſignari poſſunt porticus quinque conſiderationum, quas facere debent pœnitentes, ſcilicet, reatus peccati, infallibilitatis diuini iudicij, opportunitatis loci, & temporis pœnitendi, incertitudinis diei extremi, & ignorantiæ, an ſint in gratia, nec ne. In quibus iacet multitudo magna languentium præ dolore, & contritione cordis. Hanc piſcinam mouet angelus, Christus, motu interioris inſpirationis, & gratiæ præuenientis; & ſanatur vnus, qui pœnitere vult, & ad meliorem vitam redire.

Si ter-

Si tertio modo tandem, ſcilicet, vt volens, conſideretur homo, ſic volens ſibi applicare efficaciam paſſionis Chriſti, paſſio Chriſti eſt piſcina (inquit Haymo) cui qu nque aſſignari poſſunt porticus quinque plagarum Chriſti. In quibus iacet multitudo magna languentium amore, & compaſſione. Hanc mouet *angelus magni conſilij* Chriſtus; & ſanatur vnus, qui in ſe ipſo vult recipere per efficaciam, quod pro omnibus geſtum eſt per ſufficientiam. *Haymo.* *Eſa.9.*

Præterea; aut ſub lege Moſaica, aut Euangelica homo conſiderari poteſt. Si primo modo, ſic lex Moſaica eſt piſcina (inquit Auguſt. ſuper Pſal. 70. & Tract. 17. in Ioan. Hieron. ſuper 22. Eſa. & Anſel. ſuper 3. Epiſt. ad Galat.) cui quinque aſſignari poſſunt porticus, vel quinque librorũ Moſis, vel quinque legem authenticantium, ſcilicet, Patris, Filij, Spiritus Sancti, prædicationis, & miraculorum. In quibus iacet multitudo magna languentium, ob difficultatem, & reluctantiam ſenſus, & exterioris appetitus, vel inobſeruantiam, & transgreſſionem. Hanc piſcinam mouet angelus, legiſlator principalis Deus, & minùs principalis ille, *in cuius manu ordinata eſt*; & ſanatur vnus, qui illam obſeruat. *Auguſt.* *Hieron.* *Anſelm.* *Gal.3.*

Si ſub lege Euangelica, ſic, aut eam obſeruans, aut non. Si non, indiget pœnitentia, quæ(vt iam diximus)piſcina dicitur. Si ſic, quia Spiritum Sanctum habet in ſanctorum ſocietate, talis ſocietas (ſecundùm Cyril. lib. 2. c. 125. ſuper Ioan.) piſcina ritè dici poteſt. Cui quinque aſſignari poſſunt porticus, quinque bonorum, indè prouenientium, ſcilicet, rectificationis ſenſuum exteriorum, & interiorum, illuminationis intellectus, delectationis voluntatis, iugis conuiuij memoriæ, & totius hominis cum Deo conformitatis. In quibus iacet multitudo magna languentium, languore dilectionis. Hanc mouet Angelus ipſemet Spiritus Sanctus, & ſanatur vnus, qui illum dignè recipere, eiusque habitaculum fieri meretur. *Cyrillus.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

RAra illa, & ſingularis viſio quatuor reuerendorum animalium, diuerſarum facierum, ſacras rotas trahen-

Vide Sixt. Sen. Bibl. ſan. lib. 2. lit. Alp. S. tium, quam in ſpiritu vidit Ezechiel propheta, ob ſui excellentiam, mirum non eſt, ſi liberum exponendi campum, & variè eam interpretandi, anſam præbuit diuinis Expoſitoribus, tum Hebræis, tum Noſtris, tam Græcis, quàm Latinis.

Rab. Dau. Rabbi enim Dauid intelligit hæc quatuor animalia pro quatuor Monarchijs, ſcilicet, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum. *Rab. Salo-* Rabbi Salomon, non pro quatuor Monarchijs, ſed pro quatuor angelis, prædictis Monarchijs præfectis. *Hieron.* Hieron. ſuper 1. 41. & 43. Ezech. & de Veſte Sacerd. pro quatuor elementis. *Theoder.* Theodoretus, pro quatuor virtutibus creatis, quatuor elementis præfectis. *Polychr.* Polychronius, pro quatuor angelis, quatuor mundi partes cuſtodientibus. *Arethas.* Arethas, Cæſarienſis Epiſcopus, pro quatuor excellentibus Dei virtutibus. *Ruper.* Rupertus Abbas, pro quatuor principalibus myſterijs Chriſti, quæ nullus Chriſtianorum ignorare debet, incarnatione, inquam, paſſione, reſurrectione, & aſcenſione. Lyranus, pro quatuor patriarchalibus Eccleſijs, ſcilicet, Alexandrina, Ieroſolymitana, Antiochæna, & Conſtantinopolitana: Aſſignans Alexandrinæ hominem, Ieroſolymitanæ leonem, Antiochænæ bouem, & Conſtantinopolitanæ aquilam. *Catina.* Catina, natione Syrus, in expoſitione primæ viſionis Ezechielis, pro quatuor diuerſis rebus, ad Hebraiſmum ſpectantibus, ſcilicet, Iſraëli, Iudæ ſceptro regali, Leui ſacerdotali Tribu, & vindicta Dei ſuper Iudæos: Tribuens Iſraëli hominem, ſceptro leonem, Tribui bouem, & vindictæ aquilam. *Iuſtinus.* Iuſtinus martyr. q. 44. aduerſ. Gent. inquit, quatuor hæc animalia non varias nobis, & diſtinctas ſignificare res, ſed vnum ſolum Nabuchodonoſor, qui quidem, ſecundùm diuerſos ſtatus conſideratus, quatuor habet diuerſas facies, leonis, ſcilicet, bouis, aquilæ, & hominis. Dum adorari voluit, & cunctas ſibi ſubijcere nationes, leonem ſe eſſe, oſtendit. Dum verò propter ſuperbiam ſuam eſt ab hominibus eiectus inter feras, & fœnum, vt bos, comediſſe dicitur, per bouem ſignificatur. Et dum in illo ſtatu ſuccreuerunt ei capilli, & pili, vngueſque recuruas habuit, aquila repreſentatur. Dum deniq́ue errorem ſuum humiliter agnouit, ac ratione vtens, ſe ipſum hominem confeſſus eſt, humana facie nobis offertur. *Galfrid.* Galfridus, pro ſolo prælato, quatuor facies habente, hominis, bouis, leonis, & aquilæ hæc quatuor animalia ſumit. Dum enim ille

ille imperfectis benignè compatitur, hominis faciem induit; dum patienter prælaturæ onus ſuſtinet, bouem imitatur; dum ſeuerus, & terribilis deliquentes punit, leonis aſpectum præfert; ac tandem, dum in cœleſtium contemplationem ſe ſubleuat, quaſi aquila, ad ſublimia conſcendit. Orig. Greg. Nanzian. & Hieron. loco. paulò ante citato, intelligunt illa pro quatuor animæ potentijs, vel facultatibus; & rationali hominis faciē aſſignant, iraſcibili leonis, concupiſcibili vituli, & conſcientiæ aquilæ. Ambro. 3. de Virg. accipit pro quatuor moralib. virtutibus, & per hominem intelligit prudentiam, per vitulum iuſtitiam, per leonem fortitudinem, & per aquilam temperantiam. Atque ita varij varia loquuntur, ac diuerſi diuerſa dicunt. *Origen.* *Gre. Naz.* *Hieron.* *Ambr.*

Verùm, ad noſtrum inſtitutum magis deſeruit expoſitio Auguſtini ſuper 3. Apoc. & ſuper Pſal. 76. Greg. Hom. 6. ſuper Ezech. Hieron. ſuper primum eiuſdem, & Ambr. 3. de Spir. Sanc. 22. Nimirum, hæc quatuor animalia quatuor Euangeliſtas vobis innuere, Matthæum, Marcum, Ioannē, & Lucam. Quorum primo hominis, ſecundo leonis, tertio bouis, & quarto aquilæ faciem tribuunt. Quia enim Matthæus ad Chriſti humanitatem pertinentia fuſiùs ſcribit, humanam præfert faciem. Quia Marcus diligentiùs, ſpecialiùſque reſurrectionem eiuſdem narrat leone inſignitur. Quia Lucas per continuatam ſeriem aſſidua animaduerſione notat labores, & ſufferentias Saluatoris, bouis imaginem ſibi vendicat. Ac tandem Ioannes, quia ſublimia ſcandit, cœleſtia petit, magis diuinitatem, quàm humanitatem Chriſti in ſuo Euangelio aperiens, idcircò aquilæ comparatur. *Auguſt.* *Gregor.* *Hieron.* *Ambr.*

Cuius ſpiritualis volatus, & celſitudinis (vt alios interim Euangeliſtas taceamus) ſicut omnes illius Euangelij partes fidem aſtruunt, ita etiam hæc, in qua narrat Ieroſolymitanæ piſcinæ, & formam, & virtutem. Ex varijs enim diuerſorum Doctorum expoſitionibus, quàm ſublimè conſcenderit, apertiſſimè demonſtratur. Quas, vt ad doctrinalem ſufficientiam reducamus dicendum: Hominem, vel ad ſe, vel ad alterum referri poſſe, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

DVo miracula hodie in hoc Euangelio narrari, vnum antiquum, alterum modernum. Antiquum, operatum in piſcina, modernũ, in porticu. Antiquum, angeli miniſterio, modernum, virtute Chriſti. Antiquum, motione aquæ, modernum, verbo diuinitatis. Antiquum, in aqua, modernum, in grabato. Antiquum tandem per deſcenſum è cœlo, modernum per aſcenſum in Ieruſalem.

Miraculum eſt primum; nam, ſi naturalis virtus ad ſanandum fuiſſet in aqua, non ſanaſſet tantùm vnum, non ſtato tempore, & non à quacunque infirmitate. Modò, aqua Piſcinæ, & vnum tãtùm, & ſolùm, quandò deſcendebat angelus, & à quacunque quis detinebatur infirmitate, ſanabat. Miraculum eſt ſecundum, quia in inſtanti ſanatur languidus, & ſolo verbo ſanatur, & ita perfectè ſanatur, vt potens ſit, tollere grabatum, & ambulare.

Ioan. 5. cum ſeqq. Primi deſcribitur locus: *Eſt autem Ieroſolymis probatica Piſcina*; tempus: *Deſcendebat ſecundùm tempus*; miniſter: *Angelus*; cauſa principalis: *Domini*; materia: *In Piſcinam*; effectus: *Et ſanabatur vnus*. Secũdi deſcribitur locus: *Quinque porticus habens*; tempus: *Erat dies feſtus Iudæorum*; Miniſter, & cauſa principalis: *Ieſus*; materia: *Languidus*; effectus: *Tulit ergo paralyticus lectum ſuum, & ambulauit.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

OMnes Euangeliſtas, quia pro obiecto euangelicæ hiſtoriæ habuerunt ſubſtantialem veritatem; pro intellectuali habitu, veram fidem; pro fine, veritatem in legentium, & audientium cordibus gignere; pro magiſtro, ac dictante, non alium, quàm veritatis Doctorem (*Spiritu enim* *2. Pet. 1.* *Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines*) ac tandem

pro

pro materia nil aliud,quàm veritatem;nihil enim aliud ſcripſerunt,quàm veritatem: Tamen, quia Io. Euangeliſta,non ſolùm hæc habet cum alijs Euangeliſtis communia,verùm etiam altiùs loquitur,profundiùs penetrat, &, *quaſi eum piguerit in terra ambulare*, ſolùm cœleſtia petit ; quia Euangelium illius diligentiùs videtur eſſe conſcriptum(obſeruat enim aliqua, quæ ab alijs Euangeliſtis prætermittuntur, vt eſt Lazari,Adulteræ, Samaritanæ, & nonnullarum rerum hiſtoria , ab alijs Euangeliſtis omiſſa) accuratiùs notat circumſtantias , minutias, conditiones locorum, temporum, perſonarum, verborum, factorum, & cætera id genus; idcircò(aſſertoribus Auguſt. ſuper 3. Apoc. & ſuper Pſal. 76. Greg. Hom. 6. ſuper Ezech. Hieron. ſuper 1. eiuſdem, & Amb. 3. de Spir. San. cap. 22.) inter cæteros Euangeliſtas primatum obtinet, primumque locum ſibi vendicat. *Aug. Tra. 36. in Ioã.* *Auguſt.* *Gregor.* *Hieron.* *Ambr.*

Ecce (nè longiùs vagemur) miraculum languidi,in piſcina ſanati, hiſtoriam refert, ab alijs Euangeliſtis omiſſam,& huius recenſendi occaſione,aliud antiquum miraculum narrat,ſanationis,nimirum,cœcorum,aridorum, &c. per aquæ motum,factum ab Angelo in Piſcina, & vtrumque diligentiſſimè deſcribit. Refert enim vtriuſque locum, tempus, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO
EST,

TRia hominem in ſtatu innocentiæ,ante peccatum,poſſediſſe, iuuentutem,ſanitatem,& fortitudiuem. Quæ cùm per peccatum perdiderit,per Chriſtum recuperauit. Iuuentutem quidem poſſedit, quandoquidem erat potens non mori ; quamuis enim ætate creuiſſet,annoſque ſibi annumeraſſet, non tamen ad compoſiti reſolutionem deueniſſet; propter duo remedia,cõtra duos defectus,ex quibus mors oritur,ſibi à Deo conceſſa; eſus,ſcilicet, omnium lignorum paradiſi, contra deperditionem humidi radicalis, ex actione caloris naturalis prouenientis, & eſus ligni vitæ,contra debilitatem naturalis vigoris. Adde;quia poterat non peccare, atque ita non mori, ſi enim non pec-

Scotus. caſſet, mortuus non fuiſſet. Vndè, optimè colligit Scot. in 2. ſent. d. 19. q. Vnica, quòd, antequàm corpus hominis alteratum fuiſſet alteratione tali, quæ ad reſolutionem compoſiti tendit, tranſlatus fuiſſet in cæleſtem paradiſum, & tunc factus fuiſſet omninò immortalis, ideſt, non potens mori, vbi priùs erat potens non mori. Quam iuuentutem (inquam) per peccatum perdidit, cùm non ſolùm morti obnoxius redditus ſit, verùm mortem ipſam (de ligno vetito comedendo) deguſtauerit.

Sanitatem etiam poſſedit in ſtatu innocentiæ, cùm à ſupremo artifice, & perfectiſſimo rerum omnium opifice (à quo nihil imperfectum, nihil infirmum) in tanta humorum ſymmetria, qualitatum ſymphathia, & partium conuenientia conditus ſit, vt elementa ad pondus in ipſo manerent, & in pacatiſſima pace corpus, omneſque corporeæ qualitates in ipſo conſiſterent; ità vt de ipſo rectè dici potuiſſet: *Et* Pſal. 75. *factus eſt in pace locus eius*. Hanc ſanitatem, ita perſpicuum eſt, hominem perdidiſſe, vt omni veritate plenæ ſint propo- Pſal. 30. ſitiones iſtæ, in perſona illius: *Infirmata eſt in paupertate* Pſal. 6. *virtus mea*; *Miſerere mei, Domine, queniam infirmus ſum, &c.* Fortitudinem deniqùe tantam poſſedit, vt non ſolùm bona corporis valetudine gauderet, verùm etiam gratuitis donis perfrueretur: Ac, quemadmodum in anima iuſtitiam originalem, ità etiam in qualibet exteriori potentia peculiare, & correſpondens donum haberet. Hanc fortitudinem perdidit. Legitur enim pro bono nuncio, in aduentu Meſſiæ, Eſa. 35. apud Eſaiam: *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis: Confortamini, & nolite timere. Ecce Deus veſter, &c.* Quod poſt talem aduentum impletum Iob. 3. eſſe, teſtatur Iob, dicens: *Requieuerunt feſſi robore.*

Omnia ergo iſta, ab homine per peccatum ſublata, & illius culpa amiſſa, in mundum veniens, reſtituit Chriſtus. Pſa. 102. Fortitudinem quidem; quia promiſſum obſeruauit: *Renoua-* Pſal. 106. *bitur (vt aquilæ) iuuentus tua*; Sanitatem deindè; nàm *miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos*; Fortitudinē deniquè, quia: Pſal. 117. *Fortitudo, & laus noſtra Dominus*; & per experientiam lo- Phil. 4. quitur Paul. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat, Chriſtus.*

In promptu autem, &, quaſi in viuo ſtemmate omnia hæc in præſenti Euangelio demonſtrantur; cùm languidus, in eo deſcriptus, iuuentutem, ſanitatem, & fortitudinem amiſiſſe dicatur.

dicatur. Iuuentutem quidem, quoniam *triginta, & octo annos habebat in infirmitate*, vltra illos, quos, antè infirmitatem, hebere debebat. Sanitatem etiam, quoniam *erat languidus*, iacens infirmitate oppreſſus. Ac tandem fortitudinem, cùm ſe mouere non poſſet, vt ipſemet fatetur: *Domine, hominem non habeo, &c.* At ſanitatem ei reſtituit Chriſtus: *Ecce iam ſanus factus es, &c.* Fortitudinem etiam: *Tulit ergo paralyticus lectum ſuum.* Iuuentutem autē corporalem, & temporariam non reſtituit ei, reliquit enim eum in ea ætate, in qua inuenit, licèt ſpiritualem reddiderit, vt promiſſum legimus, & iam modò citauimus: *Renouabitur, vt aquila, &c.* *Ioan. 5. cum ſeqq.* *Pſal. 102.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MAlachias propheta, vltimo ſuæ prophetiæ capite explicans beneficia in populos per Chriſtum conferēda, qui quidem, vt Sol iuſtitiæ, oriri debebat, inquit: *Et ſanitas in pennis eius, & egrediemini, & ſalietis, ſicut vituli de armento.* Quaſi dicere vellet: Sicut ad ortum Solis plerique boni effectus producuntur in ſublunaribus, & in inferioribus iſtis, ſic ad ortum myſtici Solis Chriſti multi mirabiles effectus ſpirituales in homines redundabunt. Quos omnes, quia longum recenſere, tres præcipuè mihi ſe ſe offerunt conſiderandi, ſanitas, fortitudo, & iuuentus. Sanitas quidem, quandoquidem *ſanitas erit in pennis eius*, ideſt, in ſacratiſsima eius humanitate, diuinitati coniuncta. Fortitudo etiam, quia propter fortitudinem, concedendam à Chriſto hominibus, dicitur ei: *Egrediemini, & ſalietis.* Iuuentus tandem, quia cerno, futuros eos iuuenes, ſicut vitulos de armento: *Sicut vituli de armento.* *Mala. vlt.*

Hæc Chriſtum in ſuo aduentu præſtitiſſe, atque hominibus elargitum eſſe, præterquàm quòd ſacra id teſtantur eloquia, in perſona etiam curati languidi apertiſſimè conſpicitur. Cùm enim tria hominem habuiſſe in ſtatu innocentiæ legamus, &c. vt ſupra.

QVAR-

QVARTA INVENTIO EST,

Ioan. 5. cum ſeqq.

TRia præcipuè mala de languido hoc, ab Euangeliſta referri, iacere, debilem eſſe, & moueri non poſſe. *Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem*, ecce primum. *Et cognouiſſet, quia multum tempus haberet*, ſcilicet, in infirmitate, ecce ſecūdum. *Domine, hominem nō habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinā*, ecce tertium. Tria etiam his malis oppoſita remedia à Chriſto Domino ſibi præberi, ſcilicet, ſurgere, tollere, & ambulare. Surgere enim opponitur iacere, tollere, debilem eſſe, & ambulare, moueri nō poſſe. Ait enim: *Surge, tolle, & ambula.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DD. et ſcripturæ omnes.

LIcèt communiter dicatur à SS. Patribus, rationibusque probetur à Scholaſticis Doctoribus, Deum benedictum in creatione ſubiectum aliquod non habuiſſe (*ex nihilo enim omnia creauit Altiſſimus*) tamen, allegoricè loquendo, & tropicis verbis vtendo, abſque vllo veritatis præiudicio dicere poſſumus: Nihilum, ſubiectum extitiſſe, ſuper quod Deus mirabilia potentiæ ſuæ, in creatione oſtendit, & ſe verum Deum eſſe, cæli, ac terræ opificem declarauit. Quod nihilum, & in recreatione, omnium Chriſti operationum, ac inſigniorum miraculorum ſubiectum fuiſſe, conſpicimus. Super nihil enim gratiæ, iuſtificationis inſigna extendit. Super nihil bonarum operationum, iuſtificatione conceſſa, meritorias actiones ſurgere iuſſit. Ac tandem (ad concionis noſtræ propoſitum) ſuper nihil ſanitatis, & corporalis valetudinis infirmorum ſanitatem, & validas vires abundare conſtituit.

Huius rei fidem aſtruit languidus, hodie à Chriſto ſanatus, & ad meliorem ſtatum reductus; ſuper quem, præcipuis bonis, tum naturalibus, tum gratuitis priuatum, potentiæ,

boni-

bonitatis, ac dignationis ſuæ mirabiliſſ relucere voluit. Cùm enim tria præcipuè mala inuenirentur in languido iſto,&c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST.

CReationis, diſtinctionis, & ornatus opera, quæ in creatione mundi claruerunt, etiam in recreatione effulſiſſe. Quòd licèt in omnibus miraculis Chriſti, in vno quoque eorum,& in opere redemptionis ſingulariſsimè appareat, peculari tamen modo in curatione languidi, de quo in Euangelio,innoteſcit. Opus creationis quidem,in creatione gratiæ, infuſæ in animam illius, dum iuſtificatus fuit: *Totum enim hominem ſanum fecit in Sabbato*. Opus diſtinctionis in diſtinctione huius miraculi ab alijs. Huic nãque ſoli,eorum,quos curauit,dixit Chriſtus: *Vis ſanus fieri?* Quam diſtinctionem videtur tangere Cyrillus, expendens miraculum ſuſcitationis filij viduæ: *Mira Dominus miris attexit,& ſupra quidem accerſitus occurrit, hic verò non vocatus accedit,&c.* Opus ornatus deniquè, cùm hoc miraculum tot, tantorumque myſteriorum(puta dici feſti, porticuum,multitudinis magnæ languentium. piſcinæ, angelici è cœlo deſcenſus,motionis aquæ,ſanationis vnius &c.) ornamento decoretur.

Ioan. 7.
Ioan. 5.
Cyrillus.

Introductio ad Inuentionem,& ad totam ſimul Concionem.

CReationis opus,licèt vnum ſit, & omnia, quæ in creatione geſta ſunt, vnico creationis nomine explicêtur, triplex tamen eſſe nemo inficiabitur, qui illud (vt par eſt) examinari, & introſpicere voluerit.Opus,nimirum,creationis, diſtinctionis,& ornatus. Creationis primùm; nam: *Qui viuit in æternum,creauit omnia ſimul*. Diſtinctionis ſecundum;quia, rebus omnibus in indigeſta illa, ac rudi materia virtualiter, & in potentia creatis, in ſex dierum ſpatio ſub pro-

Eccli.18.
Gen.1.

proprijs formis eſſe voluit, vnum ab alio ſeparatum, cœlum à terra, & vnam creaturam ab alia. Ornatus tandem; cùm aërem ornauit auibus, aquam piſcibus, ac terram animantibus, &c. Eodem fermè modo aſſerere poſſumus, in recreationis opere, recreationis, diſtinctionis, & ornatus opus eluxiſſe. Recreationis quidem, dum legimns, benedictum Dominum, animarum noſtrarum Saluatorem, mundum redemiſſe, atque hominibus iuſtificationis, & gratificationis beneficia conceſſiſſe. Diſtinctionis verò, dum miracula quædam [a] petentibus denegauit, aliqua [b] rogatns fecit, aliqua facere [c] diſtulit, aliqua, vt faceret [d] ſe ſe obtulit. Ornatus denique, dum cuncta illius miracula, ac ſigna diuerſis gratijs, donis, & fauoribus ornata reſpicimus, gratioſaque varietate decorata coruſcant.

[a] *Matt.* 12. & *Luc.* 11.
[b] *Sæpiùs in Euang.*
[c] *Matt.* 15. *et Mar.* 7.
[d] *Luc.* 7. *Ioã.* 5. &c.

Propoſitum, & aſſumptum, in curatione languidi, dignoſcitur, eſſe verum, in qua creationis, diſtinctionis, & ornatus ſingillatim opera emicant. Creationis quidem; cùm gratia in illius anima (vt ad iuſtificationem redeat) creetur, & ſanitas (quæ priùs aberat) in inſtanti reducatur. Diſtinctionis autem, cùm hoc miraculum non rogatus fecerit Chriſtus, ſed ſe ſe vltrò obtulerit, dicens languido: *Vis ſanus fieri?* Et ornatus tandem, propter varietatem myſteriorum, & ſacramentorum, &c. vt ſupra.

Ioan. 5.

SAB-

SABBATO PRIMAE.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, fratrẽ eius, &c. Matth. 17.

Matt. 17. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

DOminicæ Transfigurationis Repreſentationem oſtendens Matthæus ſpectatoribus Fidelibus, montem Thabor, pro ſpirituali proſcenio ei tribuere; lucidam nubem, pro ſcena, & ſolis ſplendorem, atque niuis candorem, pro ſcenæ lampadibus. Prologum recitat Euangeliſta. Tres interlocutores in ſcena perſonam agunt, videlicet, Chriſtus, Moſes, & Elias. Spectatores item tres ſunt, Petrus, Iacobus, & Ioannes. Subiectum Repreſentationis, illiuſque materia, exceſſus paſſionis Chriſti eſt. Intermedia, Petri locutio, & Patris vox de nube. Ac tandem ſpectatorum dimiſſio à Chriſto habetur.

Duxit illos in montem excelſum ſeorſum, ecce proſceniũ. *Nubes lucida obumbrauit eos*, ecce ſcenam. *Reſplenduit facies eiu, ſicut ſol, veſtimẽta aũt eius facta ſunt alba, ſicut nix*, ecce lampades ſcenæ. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, fratrem eius, &c.* ecce prologum Euangeliſtæ. *Apparuerunt illis Moyſes, & Elias, cùm eo loquentes*, ecce interlocutores, *Petrus, Iacobus, & Ioannes*, ecce ſpectatores. *Et dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem*, ecce ſubiectum Repreſentationis, *Domine, bonũ eſt, nos hic eſſe*, ecce primum intermedium. *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* ecce ſecundum. *Nemini dixeritis viſionẽ, donec à mortuis reſurgat filius hominis*, ecce ſpectatorũ dimiſſionẽ.

Luc. 9. Matt. 17. cum ſeqq.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DE Sapientia diuina, Dei Filio, æternique Patris Verbo dicit Salomon, Spiritu Sancto afflatus, fortitudinem, & ſuauitatem, quaſi duo extrema, in ſe connectere; ait enim: *Sapientia attingit à fine, vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* (*Sap. 8.*) Quæ quidem duo figurata ſunt (ni fallor) per Sampſonis leonem, de quo ipſemet enigma compoſuit, ac Philiſtæis edifferendum propoſuit: *De comedēte exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* (*Iud. 14.*) Et per Ionatæ virgam, in cuius ſummitate mel conſtitit aliquādo, & multis alijs figuris. (*1. Reg. 14.*) Potentia autem dignoſcitur in rerum creatione, mundique conſtitutione. Dulcedo verò, ac ſuauitas in trahendis ad ſe creaturis, illiſque ad deſtinatum finē perducendis. Si enim potentia ſumma fuit, mundum condere *(dixit enim, & facta ſunt)* (*Pſal. 148.*) ſuauitas maxima item fuit, tam placidè in creaturis ſemina virtutum ſpargere, inclinationem, propenſionemque illis dare, vt ad ipſum, tanquàm ad finem, ſemper tenderent. Si potentia maxima fuit, mundum per mediatorem redimere, omneſque ſuperare contrarias poteſtates, ſuauitas maxima item fuit, per tot ſenſibilia, per tot prophetias, & viſibiles apparitiones, eiuſdem ſacratiſſimi myſterij cognitionem hominibus tribuere. Si potentia denique huius diuinæ Sapientiæ cernitur in antiquæ legis, Moſaycæque doctrinæ ceſſatione, atque in noui Euāgelij introductione; ſuauitas maximè apparet, ita facilè, modo tam dulci, de rebus difficillimis, & reconditis homines docere, atque ad myſteria, humanum captum ſuperantia, breui methodo, abſolutiſſima via, perducere.

Ecce, res in promptu eſt: Narratur hodie Chriſti transfiguratio, & quia circa illam multa difficillima myſteria occurrunt, diuinam potentiam oſtendentia, noſtrique humani ingenij vires ſuperantia, coniungit his Deus maximam ſuauitatem, & dulcedinem, dum ea ſacer Euangeliſta, ſub Repreſentationis modo, ac ſenſibili perſonarum actione recenſet, nobiſque ob oculos proponit; tribuens ei pro ſpirituali proſcenio Montem Thabor, &c. vt ſupra.

SE-

SECVNDA INVENTIO EST,

GLoriæ, quam oſtendit Dominus, ante diſcipulos ſuos transfiguratus, conſiderandum dominiū, donum,oſtenſionem,contrarium, & augmentum. Dominium gloriæ habuit Chriſtus,vt Deus æternaliter. Donum,vt homo, temporaliter, in incarnationis inſtanti. Oſtendit illam in monte Thabor. Contrarium illius in ſua paſſione, & morte ſenſit. Augmentum tandem in reſurrectione expertus eſt,dum eſſentiali ſuæ gloriæ accidentalis etiam coniuncta eſt. In
quibus, & dominio,& dono,&c. *reſplenduit facies eius,ſicut* *Matt.17.*
Sol,veſtimenta autem eius facta ſunt alba,ſicut nix. *cum ſeqq.*

In dominio *reſplenduit facies eius,ſicut Sol*, Pater,propter omnimodam diuinarum perfectionum communicationem. *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba,ſicut nix*; ideſt attri-
buta,quæ circumſtant eſſentiam, ſecundùm Damaſcenum, *lib. 1.c. 4.*
in generatione Verbi puriſsima conſiderantur, remoto *cita.à Sco.*
quod eſt imperfectionis. *8.d.1.q.4.*

In dono *reſplenduit facies eius ſicut Sol*, quia intellectus *Ad oppoſi.*
animæ ſuæ ab inſtanti conceptionis vidit omnia, quæ Ver- *Sco. 14. 3.*
bum videt, [a] & perfectè beatus fuit: *Veſtimenta autem eius* *q.2.*
facta ſunt alba,ſicut nix, quia caro,quam ſumpſit ex puriſ- [a] *13.eiuſd.*
ſimis B. Virginis ſanguinibus,candidiſſima fuit.Vndè Spon- *3.q.3.*
ſa benè dicebat: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* *Cant.5.*

In oſtenſione *reſplenduit facies eius,ſicut Sol*, propter re- *Matt.17.*
dundantiam gloriæ animæ in corpus, *& veſtimenta eius*, quia linea erant(quod piè credo, quia Iacobus Apoſtolus, ad imitationem fortè Magiſtri ſui, cui diſcipuli conforma-
bantur, lineis veſtibus vtebatur, vt teſtatur Hieron. de *Hieron.*
Script. Eccl. & Euſeb. lib. 2. cap. 22. Et Eſa.63. legentes *Euſebius.*
nos: *Quare rubrum eſt indumentum tuum*, arguere poſſu- *Eſa.63.*
mus,veſtimentum Chriſti non fuiſſe coloratum, cùm in tali ſanguinis maculæ vix dignoſci poſſint, ſed lineum,cuiuſcun-
que coloris expers) *facta ſunt*, ex fulgore corporis, *alba,ſi-* *Matt.17.*
cut nix, aut, *fulgentia, ſicut lux*, vt Græcè legimus.

In contrario gloriæ, ideſt, in paſſione, & morte Chriſti, quamuis non videatur dicendum, *reſplenduiſſe faciem eius, ſicut Sol, nec veſtimẽta eius facta eſſe alba, ſicut nix*, quia tunc
Eſa.53. *non erat ei ſpecies neque decor, & quaſi abſconditus vultus eius* à liuore, ſputis, ſanguine, &c. & veſtimenta eius fuerint expurcata, pedibus conculcata, &c. tamen etiam in paſſione
Matt.17. faciem eius *reſplenduiſſe, ſicut Sol, veſtimenta autẽ eius facta eſſe alba, ſicut nix*, dicere poſſumus. Nam è medio ſanguinis, de ſpinato capite profluentis, & ſputorum impiorum hominum, ſacram illam faciem obnubentium, quibuſdam fulgoris radijs coruſcantibus, coacti ſunt (vt piè Contemplatiui meditantur) milites faciem eius velare; & Latro inter denſiſſimas tenebras noua ſibi ex illa diuina
Luc.13. facie luce ſuborta, exclamauit: *Memento mei, &c.* Et quò
Ariſt.1. ad veſtimenta, ſi vera eſt propoſitio: *Propter vnumquodque*
Poſt.t.c.5. *tale, & illud magis*; propter ſanguinem Chriſti Sanctorum veſtimenta facta ſunt alba, ergo multò magis veſtimenta il-
Apo.7. lius. Certum eſt autem, quod Ioannes dicit: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.*

Matt.17. cum ſeq. In augmento tãdem gloriæ Chriſti, in ſua. ſ. reſurrectione, *reſplenduit facies eius*, ſicut Sol, quia ad nouam vitam, atque immortalitatem peruenit, & gloria animæ pleniſſimè in corpus redundauit, ſuiſque dotibus glorioſa illa caro decorata fuit. *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba, ſicut nix*,
Eſa.63. vt priùs facta fuerant, *ſicut calcantium in torculari*. Vndè,
Ioan.20. ad hoc ſignificandum, *angeli in veſtibus albis apparuerunt*. reſurrectionem eius annunciantes. Dicendum ergo ad hæc conſequenter, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Opera cuncta, quæ fecit Deus, quia à perfectiſſimo rerum artifice emanarunt, perfecta ſunt, nullam in ſe erroris, vel defectus maculam includentia, dupliciq; gaudent perfectione; vna ſui ipſius, altera totius. Perfectæ enim ſunt res, & in ſe ipſis conſideratæ, & in toto, cuius perfectionem participant. Quarum duarum perfectionum, licèt (ſimpli-

(ſimpliciter loquendo) perfectior ſit illa,qua res in ſe ipſa conſiſtit, & propria eſt, in rerum natura,quidditate, tamen (vt in toto conſiderata) perfectio additur perfectioni, & magis perfecta eſt in ſuo toto, cum alijsque partibus coniuncta,quàm à toto,& partibus ſeparata.Patet propoſitum, de digito, à corpore ſeparato, & ita de cæteris naturalibus partibus. Patet etiam in artificialibus, cùm dulcior ſit vox in harmonia cum alijs vocibus,quàm ſola; perſona in ſcenis cum alijs perſonis gratior appareat,quàm ſola;& ita in reliquis conſiderandum. Cuius rei doctrinalis ratio ea eſſe poteſt;quia,cùm partes, vt in toto, ſe habeant, veluti materia,&,vt potentiales,totum verò,reſpectu illarum,veluti forma,quemadmodum forma perfectionem impertitur materiæ,ſic & compoſitum partibus. Scripturalis verò & philoſophica ſimul ea ſit, quòd, cùm Deus cuncta in maxima diſpoſitione,& ordine crearit,vt,ſcilicet, inter ſe,& ad primum ordinem habeant,non poteſt res,ſe ſola, hanc diſpoſitionem, & ordinem exprimere, ſed, vt, cum alijs creaturis ſit,opus eſt.

Sco.1.q.3. reſpõd. ad Argu. ibi: Secundum probatur.

Quòd, cùm ita res ſe habeat, gratiùs erit, gloriæ Chriſti & dominium,& donum,&c. conſiderare,quàm ſolam oſtenſionem, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

HOdiernam transfigurationem beatificæ gloriæ ſymbolum eſſe, & ſpiritualem arrham, in eaque omnia, ad gloriam ſpectantia, abſolutiſſimè deſcribi;tempus,nimirum,conſequendæ gloriæ,locum,ſubiectum,principalem auctorem, obiectum, varietatem participationis illius,Beatorum officium,ac modum, ad illam perueniendi. *Reſplenduit facies eius, ſicut Sol,&c.* ecce beatitudinem. *Poſt dies ſex*,ſecundùm Matthæum,& Marcum,*poſt dies octo,* ſecundùm Lucã,ecce tempus. *In montem excelſum ſeorſum,* ecce locum. *Petrum,Iacobum,& Ioannem,* ecce ſubiectum. *Aſſumpſit Ieſus*,ecce auctorem principalem.*Pater de nube, Spiritus Sanctus in nubis forma, & Filius transfiguratus,*

Matt.17. et Mar.9. Luc.9. Matt.17. cum ſeqq.

tota,ſcilicet,Trinitas, ecce obiectū principale. *Transfiguratus eſt ante eos*,ecce obiectum minùs principale,humanitas, ſcilicet,Chriſti. *Faciamus hic tria tabernacula*, ecce varietatem beatitudinis. *Et ceciderunt in facies ſuas*,ecce Beatorum officium. *Et dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem*, ecce modum, ad illam perueniendi.

Luc.9.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

OMnia,quæ facta ſunt,ſecundùm exemplar,& modulum facta eſſe,tum Dei,tum hominū opera fidem aſtruunt. Dei quidem, nam Aug. Tract. 1. in Ioan. exponens verba illa: *Quod factum eſt,in ipſo vita erat*, inquit: *Facta eſt terra,ſed ipſa terra,quæ facta eſt,non eſt vita. Eſt autem in ipſa Dei ſapientia ſpiritualiter ratio quædam,qua terra facta eſt, hæc eſt vita.* Hominum verò,ſubiungens: *Sicut arca in omni opere non eſt vita, arca in arte vita eſt, quia viuit in anima artificis*. Cui ſuſcribit Orig. Hom. 2. in deuer. dicens: *Quomodo multiplices regulæ in arte artificis vnum ſunt,& in animo diſponentis viuunt,&c.*

Auguſt. Ioan. 1.

Origen.

Cùm autem interius, & exterius exemplar reperiantur (per interius enim,& exterius Architectonici, per exterius tantùm Mœchanici, per interius, & exterius magiſtri,per exterius tantùm diſcipuli)Deus benedictus(præter interius, de quo modò & Auguſtinus, & Origenes locuti ſunt) poſtquàm per creationis opus ſe mundo manifeſtare cœpit,bonorum omnium,tum naturalium, tum gratuitorum largitorem munificentiſſimum apud angelos, & homines ſe oſtendendo, omnibus,& naturæ, & gratiæ, & gloriæ operibus ſuis exterius etiam exemplar præmiſit. Naturæ quidem, quæ exemplaria diuerſa, ante ſui exiſtentiam, habuerunt. Gratiæ etiam,cuius tot figuræ,vmbræ, ac typi in veteri lege præceſſerunt. Gloriæ tandem, quam diuerſis exemplaribus,ac modulis expreſſit,ne dum antiquitùs,ſed,ob ſui maximam dignitatem,nouiſſimè(atque id pluriès) in Euangelio. Illam enim figurant [a] nuptiæ hominis Regis illam [b] cœna magna,illam rurſus [c] nuptiæ, ad quam vocatæ Virgines cum lampadibus,illam [d] miſſio bonorum piſcium (hominū) in va-

a *Mat.*22. b *Luc.*14. c *Mat.*25. d *Mat.*13. a *Orig. ſuper Matt. Hom.*32. b *Gregor. Hom.*36. *in Euang.* c *Aug.*83. *qq.q.*59. *Ber.* 1 *ſent.* d *Orig.ſuper Matt. Hom.*13.

in vaſa (manſionum Cœli) & quàm plures aliæ. Illam deniq́ue transfiguratio Chriſti, in monte Thabor, &c. vt ſupra. *Matt. 17. Remigius. Raba. ſuper illud: Faciamus hic tria taber.*

QVARTA INVENTIO EST,

IN hodierna transfiguratione tria altiſſima ſoliloquia, vnumq́ue profundiſſimum trilogium audiri. Trilogium quidem inter Chriſtum, Moſen, & Eliam. Soliloquiorum verò, primum Petri: ***Domine, bonum eſt nos hic eſſe.*** *Matt. 17. cum ſeqq.* ſecundum Patris, de nube: ***Hic eſt filius meus dilectus, &c.*** tertium Chriſti, diſcipulos alloquentis: ***Nemini dixeritis viſionem, &c.*** Quæ quidem ſic ordinata ſunt, quòd ſoliloquium Patris oſtendit obiectum intellectus: *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* & quid faciendum, vt illud intelligamus: *Ipſum audite.* Soliloquium Petri oſtendit obiectum voluntatis: ***Bonum eſt, &c.*** & quid agendum, & illud conſequamur: ***Faciamus hic tria tabernacula.*** Soliloquium Chriſti dat modum conſeruandi veritatem, & bonitatem, iam acquiſitas; abſcondendo, ſcilicet, in corde diuina myſteria (vt ſe feciſſe fatetur Dauid: ***Abſcondi in corde meo eloquia tua, vt non peccem tibi***) ***Nemini dixeritis viſionem, &c.*** *Pſal. 128. Matt. 17.* Trilogium tandem oſtendit modum perueniendi, & ad veritatem, & ad bonitatem; per contemplationem, nimirum, & imitationem paſſionis Chriſti, quæ, & illuminat intellectum, & accendit affectum: ***Et dicebat exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.*** *Luc. 9.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SAcra Scriptura, quæ innumeras in dies admittit expoſitiones, & varios quotidiè recipit nouos ſenſus, varios etiam (ad methodicam partem, & diſpoſitionem pertinentes) ſemper habuit, per ſanctos Doctores, expoſitionis modos; qui quidem mirificè illam illuſtrarunt, illiusq́ue arcanam intelligentiam, & altiſſimam profunditatem doctiſſimè

Sixt.Senẽ. Bibl. San. lib. 3. Ibi: De 3.artis expoſ.partes, &c.

declararunt. Iuuenimus enim ſanctorum Patrum circa ſacram Scripturam Translationem, Stigmaticam, Syllabicã, Partitionem, Epitomen, Eglogam, Notariacam, Paraphraſim, Lexicon, Annotationem, Commentaria, Sciographicam, Tabellariam, Enarrationem, Collationem, Meditationem, Poëma, Epiſtolam, Inquiſitionem, Coäceruationem, Thematicam, Collectaneam, Scholaſticam, & Pandeſiacam.

Quarum cùm tanta ſit dignitas, vt quælibeat habeat ſub ſe, & contineat plures ſpecies, id etiam competit Collationi, & Meditationi. Collatio enim, vel eſt continuata, vel interrupta. Continuata, quando vnus perpetuò loquitur, referens dicta à ſe, vel ab alijs, cum (inquam) & (inquit) vt fecit Cebes Thebanus in Dialogo, cui titulus: Πινὰξ, id eſt, Tabula, & Seuerinus Boët. in duobus Dialogis ſuper Porphirium, Io. Caſſ. in Collat. Zacharias, Epiſcopus Ieropolit. Iacob. Sadolet. ſuper Epiſt. ad Rom. &c. Interrupta eſt, in qua perſonæ loquentes introducuntur, ne ſæpiùs (inquam) & (inquit) repetantur. Vt fecerunt Cicero, Plato, Apollinaris iuuior, Salonius, Io. Gerſon, &c. Sub vtraque tamen Dialogos, & Trilogos contineri, nulli dubium. Meditatio etiam (cùm tres habeat ſpeciales) aſcenſum in Deum, deſcenſum ad ſe, & regreſſum ad Deum, ſub illa non ſolùm Soliloquium continetur, verùm ipſamet Soliloquium dici poteſt.

Cebes Thebanus. Boëthus. Ioan.Caſſ. Zachar. Iac.Sadol. Cicero. Plato. Apollin. Salonius. Ioã.Gerſ.

Nos ergo, qui alijs diebus nonnullis ex ſupradictis modis.SS.Patrum vſi fuimus, ad ſacrum exponendum Euangelium, hodie Collatione, & Meditatione vtemur; vnum Trilogium, & tria Soliloquia in hac diuina transfiguratione contemplantes. Trilogium quidem inter Chriſtum, Moſen, & Eliam, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO

EST,

DOminicæ transfigurationis occaſione varias linguas, & diuerſas loquelas, quibus diuerſis in locis diſtinctas loqui perſonas contingit, oſtendere Euangeliſtam. In cœlo enim exiſtens Pater ita loquitur: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè compla-*

Matt. 17.

complacui, ipſum audite. In aëre exiſtentes Chiſtus, Moſes, & Elias, *de exceſſu, quem completurus erat Chriſtus in Ieruſalem,* loquuntur. Et in terris exiſtens Petrus, loquitur de bono commodi, de fine proſtituto: *Domine, bonum eſt, nos hic eſſe.* E cœlo loquitur Pater, & non niſi diuina loquitur; exprimit enim ſe originantem filium, filium verò originatum, & Spiritum-Sanctum (qui in forma nubis apparet) ab vtroque procedentem. In aëre loquitur Chriſtus de exceſſu ſuæ paſſionis, quia in aëre moriturus erat, *vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum*, & impleretur prophetia: *A quatuor ventis congregabit electos, &c.* Nec non Moſes, & Elias, tantum bonum recepturi, vnà cùm vniuerſo mundo, de eodem cum illo loquuntur. Et in terris Petrus loquitur de bono commodi, ac fine proſtituto, quia eiuſmodi deſiderantur in terris, procurantur à terrenis. Vox Patris teſtimonium accipit, & à Filio, & à Spiritu Sancto. Vox Chriſti à lege, & Prophetis. Vox Petri, non ſolùm non habet, qui teſtimonium illi perhibeat, ſed Euangeliſta dicit, quòd, *Petrus neſciebat quid diceret*. Datur tamen modus, hæc in bonum conuertendi, & eſt, ſi, terrena loquens, incipiat aërea loqui, ſcilicet, Chriſti paſſionem, vt, qui aërea loquitur, ad cæleſtia tandem, aſcendendo, perueniat; & vltimum noſtrum finem, vnum Deum, Patrem, Filium, & Spiritũ Sanctum, qui hodie manifeſtantur, aut potiùs ſe ipſos manifeſtant, attingat.

Luc. 9. *Matt.* 17. *Ioan.* 11. *Matt.* 24. *Matt.* 17.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVæſtio eſt ſatis perplexa, nec ſibi ipſis conſentiunt Doctores: An, ſcilicet, terra, ante Nembroticæ turris ædificationem, & molis Babel conſtructionem, labij fuerit vnius, & vna omnes gentes loquerentur lingua, nec ne. Chryſoſtomus enim Homil. 20. in Gen. ex verbis Moſis: *Erat autem terra labij vnius*, afferit, vno idiomate omnes homines locutos fuiſſe, antè turris ædificationem. Philaſtrius tamen in Cathalogo Hæreſeon, cap. 106. affirmat, antè prædictæ turris erectionem, homines varijs linguis locutos, ſed ideò dictam eſſe terram labij vnius, quia vnus aliũ

Gen. 11. *Chryſoſt.* *Gen.* 11. *Philaſtr.*

intelligebat, eratque vna, vnitate ſenſuum, licèt non vna vnitate verborum. Fundat hanc ſuam opinionem ſuper contextum Sacræ paginæ. Cùm enim dicat Moſes. 11. cap. Gen.
Gen. 11. *confuſas eſſe linguas*, & priùs in 10. referat, *filios Iaphet diuiſiſſe Inſulas Gentium, in regionibus ſuis, ſecundùm linguas, & cognationes ſuas*, ſignum eſt (inquit ille) etiam ante turris ædificationem, varias fuiſſe linguas, & vnam vocari, non vnitate verborum, ſed vnitate ſenſuum, iam dicta. At Pater à Caſtro lib. 9. aduerſus Hæreſes, non ſolùm hanc Philaſtrij ſententiam reijcit, ſed etiam (ſi pertinaciter defendatur) hæreticam putat, cùm clarè ex textu habeatur, linguã fuiſſe vnam, & ſecundùm idioma, & ſecundùm intelligentiam. Quod & docet. Auguſt. lib. 16. ciuit. Dei, cap. 4. Et ad Philaſtrij rationem reſpondetur, deceptum illum fuiſſe in intelligentia contextus, non aduertendo, per anticipationem eſſe dictum, quod de filijs Iaphet refertur cap. 10.

Gen. 10. *Pater à Caſtro.* *Auguſt.*

Ex qua doctrina, & ſolutione quæſtionis, diſtinctionem hanc haurimus; labium, ſiue linguam, vocari poſſe diuerſam, & variam, aut ſecundùm idioma, aut ſecundùm ſenſum, aut ſecundùm ſubiectum, de quo ſermo. Secundùm idioma quidem, dum vnus vna, alius alia loquitur lingua. Secundùm ſenſum verò, dum plures, aut ſaltem duo, vel vario loquuntur idiomate; vel vno loquentes, non ſe mutuò intelligunt. Secundùm ſubiectum tandem ſermonis, dum varij de varijs rebus loquuntur.

Diſtinctio hæc nobis deſeruire poterit, de hodiernæ trãſfigurationis myſterijs verba facturis. Cùm enim in ea tres linguas, & idiomata audiamus, è cœlo, ex aëre, & è terra; è Cœlo Patris, ex aëre Chriſti, Moſis, & Eliæ, & è terra Petri; varia iſta erunt, non ſecundùm idioma, cùm tam Pater, quàm Chriſtus, Moſes, Elias, & Petrus, Hebræo idiomate loquuti ſint; nec ſecundùm ſẽſum, & intelligentiam, cùm verba Patris, Chriſti, Moſis, Eliæ, & Petri intelligi potuerint; ſed varia, ſecundùm ſubiectũ, & materiam. Nam Pater loquitur, &c. vt ſupra.

DOMI-

DOMINICA SECVNDA.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, fratrem eius, &c. Matth. 17.

Matt. 17. eum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

OMnes naturales ſcientias, quas & Philoſophia docet, & Ægyptiaca ſapientia tradit, hodie in Chriſti glorioſa transfiguratione practicè oſtēdi, quámquàm modo, earum vires ſuperante. Nimirum, Mathematicam, Naturalem, Diuinam, Moralem, Aſtronomicam, Arithmeticam, & Muſicam. Aſtronomica quidem; quæ Mathematicæ pars eſt, dum Solis ſplendor conſideratur: *Reſplenduit facies eius, ſicut Sol.* Arithmetica etiam, quæ eiuſdem ſpecies eſt, dum narratur, tres Dominum aſſumpſiſſe diſcipulos, nouemque ad montis radices reliquiſſe, nec non duos apparuiſſe, diuinæ huius transfigurationis teſtes. Muſica deníque, quæ eiuſdem tertia pars eſt, & ſpecies, dum, vocem Chriſti, Moſis, & Eliæ, *de exceſſu loquentiū,* *Luc. 9.* & vocem Patris, è cœlo, quaſi muſicam, quatuor vocibus concinnatam, audimus. Quibus vox Petri adiungitur, quaſi quædam excellentium Muſicorum artificioſa diſſonantia, quæ concentum magis gratum, magiſque ex induſtria conſonantem reddit. Naturalis etiam ſcientia in hac transfiguratione apparet, dum transfiguratio iſta non miraculoſa, ſed naturalis intelligitur; naturale enim adeò erat, animam beatam Chriſti ſuam gloriam in corpus diffundere, vt *Scholaſtici* miraculum eſſet, non ſemper ſic transfiguratum illum appa- *omnes.*

ruiſſe; ab inſtanti enim ſuæ conceptionis beatus fuit. Factum
tamen eſt hoc miraculum, vt corpus remaneret paſſibile, &
pro humani generis redemptione pati, ac mori poſſet. Diui-
Matt.17. na ſcientia ex voce Patris habetur (*Hic eſt filius meus dile-*
Mar.9.& *ctus, &c.*) & à Spiritu Sancto, in nubis forma apparente.
Luc.9. Moralis deniq; ex verbis Euangeliſtæ: *Et dicebant exceſſum*
Luc.9. *eius, &c.* & Chriſti: *Nemini dixeritis viſionem, &c.*
Matt.17.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

AEgyptiacã ſapientiam ſemper fuiſſe vbique locorum,
ac temporum alijs humanis facultatibus excellentio-
rem, præter grauiſſimorum Doctorum aſſertiones, ex par-
Vide Sixt. te Inuentoris illius, diſcipulorum, quos eruditiſſimos red-
Sen.Bibli. didit, & ſuæ vtilitatis, clariſſimè apparet. Auctor enim hu-
ſan l.2.lit. ius miræ ſapientiæ fuit Mercurius ille doctiſſimus, cogno-
Alph. A. mentó, τρισμέγιστος, quod, ter maximus, Latinè ſonat; fuit enim
Mercur. maximus Rex, maximus Sacerdos & máximus Philoſophus.
Triſmeg. Qui quidem de illa compoſuit (teſte Diogene Laërtio, à quo
Dio.Laër. talis ſapientiæ auctor aſſeritur) triginta ſex mille, quingen-
tos, & vigintiquinque libros. Quorum magnam partem
Cle. Alex. ſuo tempore extare, fidem aſtruit Clemens Alexandrinus
6. Strom. Ex parte etiam diſcipulorum eadem dignitas in-
noteſcit, cùm, inter alios, Moſen diſcipulum habuerit, il-
lumque doctiſſimum reddiderit; vt teſtatur Stephanus, in
diſputatione, habita in concilio, paulò ante ſui lapidatio-
Act 7. nem. *Moſes* (inquit Stephanus) *qui fuit eruditus in omni ſa-*
Cle. Alex. *pientia Aegyptiorum.* Cui aſtipulatur Clemens Alexandrinus
Philo. 5. Strom. & ante illum Philo, 1. de de vita Moſis, ac Iuſt.
Iuſt.mart. martyr lib. *99.* aduer. Gent. Secundum quam ſapientiam, &
præcipuè Hieroglyphicam, cui maximè ſtuduit Moſes, vt di-
Idem. cit Iuſt. vbi ſupra (illa enim erat æſtimatior, cùm ſecretè,
& non publicè traderetur) multa eum præcepta didiſſe
Cle. Alex. Hebr. populo, teſtatur Clemens *5.* Strom. Vt eſt illud Le-
Leu. 11. uit. 11. *Neque porco, neque aquila, neque accipitre, neque*
coruo veſcendum, id eſt, fugiendam immunditiam, rapinam,
iniuſtitiam, & auaritiam. Ex parte tandem ſuæ vniuerſali-
tatis dignitatem præ ſe fert hæc Aegyptiaca ſapientia; nam
nihil

nihil eſt, quod ingenij viribus, arte, inueſtigatione, & vſu acquiri poſſit, quòd illa non doceat, non præſtet. Docet.n. Naturalem, & Diuinam, Moralem, & Mathematicam, & ſub iſta Aſtronomicam, Arithmeticam, & Muſicam.

Quæ quidem, quia, vt cœtera bona à largitore munerum profecta ſunt, & Dei benedicti magis ſunt, quàm Aegyptiorum; & quia omnes artes, omneſque ſcientiæ ſacræ Theologiæ ancillantur, idcircò, ſecundùm illas, hanc Chriſti trāſfigurationem contemplabimur, &c. vt ſupra. *Iac. 1.*

SECVNDA INVENTIO EST,

SAcræ transfigurationis (non ſecundùm anagocicam expoſitionem pertractatæ, vt paulò antè, ſed ſecundùm litteralem ſenſum) à ſacris Euangeliſtis deſcribi primò tempus: *Poſt dies ſex*, à Matthæo, & Marco: *Poſt dies octo*, à Luca. Secundò, locum: *In montem excelſum ſeorſum.* Tertiò, authorem: *Ieſus.* Quartò, transfigurationem ipſam: *Reſplenduit facies eius, ſicut Sol, &c.* Quintò, obiectum: *Et transfiguratus eſt ante eos.* Sextò, transfigurationis Spectatores: *Aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, &c.* Septimò, modum, ſe ſpiritualiter trāſfigurandi: *Ipſum audite.*

Inuent. 3. Sab. præc.
Matt. 17. Mar. 9. & Luc. 9.
Matt. 17. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVamuis homo ex omnibus ſuis partibus, ac ex toto ſe ipſo ſpiret neſcio quid numinis, & maieſtatis occultæ, è cœloque ſe oriundum vndèquaque demonſtret, in nulla tamen ſui ipſius parte expreſſiùs, ſe Dei ſimulacrum, Trinitatis exemplar, & Altiſſimi in terris Vicarium comprobat, quàm in facie, in vultu; in quo ſingulariſſimè differt à cæteris animantibus, vt cecinit Poëta:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre *Ouidius. 4. Metam.*

Iuſſit,

Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Et hinc eſt, quòd cognoſcens homo eximium hoc beneficium, à Deo ſibi impertitum, omnibus alijs membris faciei incolumitatem præfert, minimumque vultus defectum cæteris aliarum partium notis, & imperfectionibus præpōderat. Vndè, experientia ipſa videmus, fortiſſimos Duces, ſtrenuos milites, conflictu cum aduerſarijs inito, crudeli ferro ſæpè ſæpiùs inerme bracchium opponere, vt facies incolumis ſeruetur; licèt, ob maiorem carnis copiam, minùs ibi periculoſa ſint vulnera, quàm in bracchijs, vbi maxima copia eſt muſculorum, neruorum, venarum, & ſimilium. Ex hac etiam præcellenti dignitate, in vultu exiſtente, ardentiſſimum illud deſiderium oritur in hominibus, propriam contemplandi faciem, proprium inſpiciendi vultum. Naſcitur homo in ſolitudinibus, in abditis ſyluarum, inter præruptos ſcopulos, vbi nulla hominum conſuetudo, nulla humanarum actionum cognitio, & tamen, ſi ad aliquem limpidum fontem accedere illi contingerit, vbi propriam effigiē videre poſſit, demirari non deſinet ſui vultus venuſtatem, ac dignitatem. Infantulus etiam, ſi ſibi ſpeculum offeratur, exultabundus, & admirans, propriam contemplabitur faciem, quaſi ex naturæ principijs (licèt ratione adhuc non vtens) humani vultus dignitatem præſentiat. Reges, ac Principes tam barbaras, tamque efferatas regere nationes non poſſent, illaſque in officio cōtinere, ſi dignitas, ac maieſtas in hominum facie, ac præcipuè Regum, non reluceret? Re ipſa compertum habemus, in maioribus populi tumultibus, quando omnes, arreptis armis, arma arma fremebant, & in cædes, ac ſanguinem præcipites ruebant, ſola, hominis, in dignitate conſtituti præſentia, & venerando aſpectu, omnia ſedata, omnia pacata, & intra pacis limites redacta fuiſſe, finemque tumultui impoſitum eſſe. Ex hiſtorijs, fide dignis, accepimus, exercitus, iam confractos, milites, iam terga inimicis vertentes (in ſola fuga propriæ ſalutis ſpe iam collocata) ſi Generalis, aut magnus Dux exercitus, qui aliò pugnæ intentus, ſuorum cladem non aduertebat, ſuperuenerit, & facie vel placida, vel horrida ſe militibus oſtenderit, illos, aut minis terrens, aut adhortationibus firmiores reddens, ſtatim animum collegiſſe, manum iterum cum inimicis commiſiſſe, ac victores euaſiſſe. Leo Papa, faciei

Ex Pontificali, & Vita.

ciei

ciei ſplendore,& diuina eloquentia Attilam fugauit. Antonius Minorita,vultus fulgore Ezelinum tyrannum, qui Italiam deuaſtabat,eò redegit,vt ille corrigia,è collo pendente,ad ſuos pedes humiliter veniam errorum poſtularit.Magna eſt(dubium non intercidit) humanæ faciei dignitas,hominis vultus maieſtas. *Chron.Minor.par.1.vol.2.lib.5.cap.16.*

Verùm , ſi ex creaturis ad Creatorem conſurgere , & ex earum pulchritudine , ac maieſtate Creatoris ſpeciem , ac dignitatem redarguere volumus quæſo,ſi tãtùm dignitatis, & excellentiæ in ſola humana facie,quid in facie,non dicam Dei,qui non eſt corporeus, nec humanas habet affectiones, niſi methaphoricè,ſed Chriſti Dei humanati,qui *erat ſpecioſus forma præ filijs hominum*? *Pſal.44.* Et ſi ille ita ſemper ſpecioſus, ac maieſtate præfulgidus quantò magis , dum transfiguratus apparuit inter Moſen,& Eliam? quando(inquam) gloria animæ ſuæ beatæ redundauit in corpus? Tanta fuit,vt diſcipuli,etiam familiares,nequiuerint illam intueri, ſed exterrefacti *ceciderint in facies ſuas*. Et Euangeliſta ,qui eam narrat,neſciens , cui illam meliùs comparare poſſet , Solis ſplendori, ac pulchritudini eam comparat : *Reſplenduit facies eius,&c.* *Matt.17. cum ſeq.*

Facies iſta lucida illuminat hodie mentem meam,vt, de illius glorioſa transfiguratione verba facturus, eius reperire valeam,& tempus, & locum, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

HOdie Chriſtum in hac glorioſa transfiguratione oſtendere ſe diſcipulis in regia maieſtate, & in throno gloriæ ſuæ; quemadmodum illis promiſerat,ante ſex , vel octo dies transfigurationis , vt referunt Matth . Marc. & Luc. *Matt.16. Mar.9.& Luc.9.* *Sunt de hic ſtantibus,qui non guſtabunt mortem , donec videant filium hominis in regno ſuo.* Et quia in perfecto,atque completo Regno decem reperiri conſueuerunt; declaratio, ſcilicet. Regem eſſe de regia ſtirpe, thronum,diadema,veſtes regiæ. ſceptrum, aſſeſſores, ſubditi, populi acclamatio, bonorum præmiatio,ac malorum punitio,hæc omnia in hoc

regno

regno glorioſæ Chriſti transfigurationis reperiuntur. Declaratur enim primò, quòd ſit de vera ſtirpe regali: *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* Thronus eius, eſt nubes lucida: *Ecce, nubes lucida obumbrauit eos.* Diadema, eſt ſplendor, vt Solis: *Reſplenduit facies eius, &c.* Veſtes regiæ, ſunt *veſtimenta alba, ſicut nix, aut fulgentia, ſicut lux*, vt ſupra annotauimus ex textu Græco. Sceptrum, eſt legis, ac prophetiæ teſtimonium: *Et, ecce, apparuerunt illis Moyſes, & Elias, &c.* Aſſeſſores, ſunt tres Apoſtoli: *Aſſumpſit Petrum, & Iacobũ, & Ioannem.* Subditi, ſunt nouem, ad radices montis relicti: *Et duxit illos in montem excelſum ſeorſum.* Acclamatio: *Domine, bonum eſt, nos hic eſſe.* Præmiatio, eſt conceſſio huius beaticæ viſionis: *Transfiguratus eſt ante eos.* Punitio tandem, expulſio dæmonis, in deſcenſu de monte: *Et increpauit illum Ieſus, & exijt ab eo dæmonium.* Congruè ergo Dominus regnum vocat hanc gloriam ſuam.

Matt. 17. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Matt. 16. Mar. 9. & Luc. 9.

POſtquàm Chriſtus Matth. 16. diſcipulis ſuis propriam nunciauit paſſionem, ac prædixit, quæ, quantaue paſſurus erat in Ieruſalem, animans eos, ad crucem, & mortem, ſpe futuræ retributionis, & perennis gloriæ, ſubeundam; poſt paſſionem, & ignominiam ſuæ crucis, ſecuturam gloriã prædixit, & viuificam ſui corporis reſurrectionem. Nec non, vt eos firmaret in aduerſis, ac promptiores redderet, ad quæcunque ardua toleranda; illius promiſſæ gloriæ ſpeciem aliquam eorum oculis offerre voluit, ne dilatio tanti boni (quod poſt longa tempora ſuper eos venturum erat) aut minùs credulos redderet; aut vecordes efficeret. *Poterat enim* (ait Hieron. Comment. in 16. Matth.) *Apoſtolorum tacita cogitatio iſtiuſmodi ſcandalum ſuſtinere. Occiſionem, & mortem nunc dicis, eſſe futuram. Quod autem promittis, te affuturum in gloria, in tempora longa differtur. Præuidens ergo occultorum cognitor, quid poſſent obÿcere, præſentem timorem, præſenti compenſat præmio, dicens: Amen dico vobis: Sunt de hic ſtantibus, &c.* Licet enim promiſſio: *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium homi-*

Hieron.

hominis in regno ſuo, à Greg. Hieron. & Ambr. exponatur de regno prædicationis Euangelij, per quam Chriſtus verè regnat, & mediante qua glorioſus redditus eſt (quadrat namque huic expoſitioni, quod iubet Chriſtus Apoſtolis, ad prædicandum miſſis, vt, ſcilicet, dicant Gentibus: *Ecce appropinquauit in vos regnum Dei.* Quadrat etiam, quod ipſe met dixit quondam Iudæis: *Si in digito Dei eijcio dæmonia, perfectò peruenit in vos regnum Dei*; in his enim duobus locis, Euangelij prædicationem regnum Dei appellatam eſſe conſtat) Licèt etiam * non nulli regnum hoc intelligant de Chriſti gloria, in qua die Aſcēſionis illum viderunt Apoſtoli, & in eo regno, de quo ipſe ad eos: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum vobiſcum in regno Patris mei.*

*Gregor. Hom. 32. in Euang. Hier. ſup. Matt. 13. Amb. ſup. Luc. 13. Luc. 10. Matth. 3. 5. & 10. Mar. 1. Luc. 18. * Chryſo. Hom. 57. in Matth. Matt. 26.*

Tamen ijdem, & omnes ferè alij vnanimi conſenſu, regnum hoc, cuius viſionem Chriſtus Apoſtolis promittit, pro eius glorioſa transfiguratione intelligunt. *Volens monſtrare* (inquit Chriſ.) *quid eſt illa gloria, in qua poſtea venturus eſt, eis in præſenti vita reuelauit, ſicut poſſibile erat, eos diſcere, vt neque in Domini morte tam doleant.* Remigius etiam: *Quod ergo hic dicitur, impletum eſt in tribus diſcipulis, quibus Dominus transfiguratus in monte gaudia æternæ promiſſionis oſtendit, qui viderunt eum in regno ſuo venientem, id eſt, in ea claritate fulgentem, in qua, peracto iudicio, videbitur ab omnibus Sanctis.* Chryſ. rurſus rationem reddens, quare Chriſtus eorum diſcipulorum, qui illum in regno glorioſæ transfigurationis viſuri erant, non expreſſit nomina, idem confirmat, dicens: *Propter hoc autem non prædicit nomina eorum, qui aſcenſuri erant in montem, quia rereliqui valdè concupiſcerent ſequi, exemplum illius gloriæ viſuri; & grauiter tuliſſent, velut deſpecti.* Et in eandem ſententiam communiter DD. Ex contextu etiam Euangeliſtarum de hac intelligi debere, apertè demonſtratur. Nam, poſt promiſſionem: *Sunt de hic ſtantibus, &c.* ſtatim ſubiungunt Euangeliſtæ: *Et poſt dies ſex, vel poſt dies octo, aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.* Factis, inquam, adimplens, quod verbis ſpoponderat. Stante ergo, quòd regnum Chriſti transfiguratio dicatur, oſtendemus, illam ita completum regnum eſſe, & omnia, ad

Hom. 57. in Matth. Remigius. Chryſ. vbi ſupra.

nia, ad perfectum regnum ſpectantia, in ſe continere. Continet enim primò declarationem, Regem de regali ſtirpe deſcendere, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

VErum Deum in humana carne, verumque Meſſiam eſſe Saluatorem noſtrum, in hodierna transfiguratione per ea, quæ è cœlo, è terra & ex inferis audiuntur, com-
Matt.17. Mar.9. & Luc.9. probari. E cœlo id teſtatur Pater: *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* E terra Elias cũ prophetijs, de Meſſiæ perſona cõſcriptis.
Deut.18. Ex inferis Moſes cum lege, & oraculo ſuo: *Prophetam ſuſcitabit tibi Dominus, &c.*

Luc.9. Vel dicendum: Moſen, & Eliam, ex eo, quia cum Chriſto *dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem*, ijs omnibus, ipſum verum Meſſiam eſſe, demonſtraſſe, quæ de illius paſſione vaticinati ſunt; nec non his, quibus Domini patientis vmbra, typus, & figura extiterunt. Dicas ergo conſequenter, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVia principalis controuerſia inter Chriſtum, & Hebræos extitit de veritate Meſſiæ, Chriſtus enim, ſe Deum dicebat, Deique filium: atque ad hæc confirmanda
Ioan.10. miracula faciebat; Illi verò è contra: *Tu, homo cùm ſis, facis*
Ioan.8. *te ipſum Deum; Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimoniũ tuum non eſt verum*, hinc ortum habuit quæſtio illa apud Scholaſticos: An Chriſtus opera eiuſmodi fecerit, quæ illum verum eſſe Meſſiam, Deumque humanatum comprobauerint. Et communis DD. ſententia eſt, non ſolùm Chriſtum
Ioan.15. miracula feciſſe, *quæ nemo alius fecit*, & quæ promiſſus Meſſias facere debebat, verùm etiam adeò clara, & illuſtria, vt ipſi etiam Hebræi, volentes, nolentes, cognouerint, Chriſtum

verum

verum fuiſſe Meſſiam Teſtatur id Aug. 9. de ciuit. Dei c.21. & apertiùs in qq.noui, & vet. teſt.q.3.& in qq.nou.teſt.q.66. Nec non D. Tho.in Com. ſuper 2.ad Cor.exponens locum illũ: *Si enim Dominum gloriæ cognouiſſent, &c*. Affirmat.n. cognouiſſe dæmones, Chriſtum eſſe Meſſiam, quemadmodũ & cognouerunt Maiores Iudæorum,& Principes Synagogæ; atque ita Maiores, & Principes, quemadmodum & dæmones. Dæmones autem Chriſtum eſſe verum Meſſiam cognouerunt, vt patet per nonnullos locos Euangelij,& præſertim: *Quid tibi,& nobis, Ieſu Nazarene? veniſti ante tempus torquere nos; ſcio, quis ſis, Sanctus Dei.* Quam veritatẽ,quia ab ore dæmonum ratam non habebat Chriſtus, comminatus eſt ſpiritui immũdo, dicẽs:*Obmuteſce,& exi ab homine*.Et alibi: *Non ſinebat dæmonia loqui, quia ſciebant, ipſum eſſe Chriſtum*; ergo,& Principes id etiam cognouerunt. Quod etiam colligit Hieronymus ex verbis Matth. 21. quæ quidem ſunt verba Principum Synagogæ: *Hic eſt hæres, venite,occidamus eum.* Cognouerunt enim, ipſum hæredem eſſe domus Dauid,& verum Meſſiam. Quam veritatem eos cognouiſſe, os veritatis Chriſtus ipſiſmet Hebræis apertè dixit,Ioan. 7. *Et me ſcitis,& vndè ſim,ſcitis*.Ita quòd, ex his, & alijs locis colligunt Hier. Chryſ. & alij DD. quos citat Gloſ. ſuper Matth. locum adductum, Phariſæos cognouiſſe, Chriſtum eſſe Meſſiam. Licèt hoc inficiandum non ſit(vt animaduertit Aug. loco præcitato) Synagogæ Principes cognouiſſe Chriſtum eſſe tantùm Meſſiam, non autem Dei filium naturalem;non enim cognouerunt eum(inquit Aug.)ſub iſta ratione,& reſpectu,vt eſt vita æterna.

Auguſt.
D.Tho.
1.Cor.2.
Matth. 8.
Mar.1.
Hieron.
Matt.21.
Ioan.7.
Hieron.
Chryſoſt.
Gloſſa.
Auguſt.

Et quamuis obſtare videatur auctoritas 3. Act. *Scio,quòd per ignorantiam feciſtis,ſicut & Principes veſtri*; & Sap. 2. *Excæcauit illos malitia illorum, & neſcierunt ſacramenta Dei*,tamen ad primum reſpondetur reſponſione duplici;primò, Petrum in illis verbis duo dicere, ſcilicet, factum, & ignoranter factũ,quod factũ,eſt contra Dominũ in paſſione. Quorum vtrumque affirmat de plebe, ſcilicet, & feciſſe, & ignoranter feciſſe. De Principibus verò affirmat tantùmmodò vnum,ſcilicet,feciſſe, non autem ignoranter feciſſe. Adeò quòd ly (*ſicut*) refertur ad (*feciſtis*) non autem ad (*per ignorantiam*) Et eſt conſtructio horum verborum: Scio,quòd feciſtis,ſicut & Principes veſtri fecerunt, ſed vos

Act.3.
Sap.2.

per

per ignorantiam,non autem illi; conueniſtis enim in re facta,non autem in modo faciendi. Vel,dicendum;loqui Petrũ de ignorantia,pro vt eſt verus Meſſias. Ad ſecundum verò reſpondetur,malitiam, & odium Principum Synagogæ illos excæcaſſe,ne,ſicut eum cognouerunt verum Meſſiam,altiori cognitione cognoſcerent,pro vt eſt, ſcilicet, vita æterna,& naturalis filius Dei.

Quæ cognitio,licèt præcipuè ex prædicatione,& miraculis Chriſti in Iudæorum cordibus ortum habuerit, tamen ex teſtimonijs Prophetarum, & oraculis diuinæ Scripturæ firmari in eis potuit. Vndè non ab re hortabatur eos Chriſtus: *Scrutamini Scripturas, quia illæ teſtimonium perhibent de me.* In hodierna ergo transfiguratione, in qua ſuæ gloriæ, ac diuinitatis clariſſimum ſpecimen dedit Chriſtus, non mirum,ſi ad firmandam Eccleſiam ſuam, omneſque infideles conuincendos,ſe, verum eſſe Meſſiam, & veram vitam æternam, nec non conſubſtantialem Dei filium, voluit probari & è Cœlo,& è terra, & ex inferis. E cœlo per vocem Patris, &c. vt ſupra.

Ioan. 5.

QVINTA INVENTIO

EST,

Conſueuiſſe illos, qui aliquam Spectatoribus recitaturi ſunt comicam,vel tragicam actionem,aut aliquid eiuſmodi; antequàm publicè vniuerſo populo perſonati recitent;priuatim, & ſecretè principales actiones, & res inſigniores,de eis periculum faciendo,recitare, vt experiri valeant, vtrum dicenda probè memoria retineant,& actiones ipſę fœlicē exitum habituræ ſint, dum publicè Spectatoribus proponentur.

Quæ quidem actiones, dum priuatè fiunt, duo obſeruari ſolent. Vnum,vt recitaturi in propria recitent perſona, cùm tantùmmodò inter ipſoſmet Interlocutores, periculi faciendi gratia,actiones fiant. Alterum,vt non omnia verè gerantur,vt tunc,quando vniuerſo populo ſolemni pompa, & perſonis actio recitabitur.

Ad hunc vtique modum, nonnulli Interlocutores,recitaturi

turi

turi Chriſti paſſionem ſuo tempore perſonati, & actiones aliquas facturi tunc, quando verè occidẽdus erat, antequàm publicè toti mundo hæc miſerábilis, & funeſta tragædia recitaretur, illam priuatè inter ſe recitarunt, illaque duo obſeruarunt, quæ nunc diximus obſeruari ſolitas; vt, ſcilicet, non perſonati Interlocutores recitent, ſed in propria quiſque perſona, & vt non verè, & completè actiones fiant, quæ faciendæ ſunt, quando vniuerſo populo, & omnibus numeris abſoluta actio recitabitur. Interlocutores iſti, ſunt, Pater, Petrus, Moſes, Elias, & Chriſtus; qui quidem omnes in monte Thabor priuatim, & non perſonati ſubiectum Chriſti paſſionis, & miſerandam illam tragædiam, quæ in Caluariæ monte complenda erat, & veris actionibus Spectatorum oculis offerenda, recitarunt. Non perſonatus recitat Pater, quandoquidem hodie, vt verus Pater, dicit: *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* qui in paſſione Chriſti, non, vt Pater, recitabit, ſed perſonatus perſona inimici; dicturus enim eſt: *Framea ſuſcitare ſuper Paſtorem meum, &c.* Petrus etiam, qui in forma diſcipuli recitat hodie, & ait: *Domine, bonum eſt, nos hic eſſe, &c.* perſonatus recitabit tunc, in forma infidelis, & negantis, nam dicturus eſt: *Non noui hominem.* Moſes, & Elias in propria perſona nunc recitant: *Apparuerunt Moyſes, & Elias, cum eo loquentes;* qui quidem tunc perſonati recitabunt. Vice enim illorum duo Latrones recitabunt. Chriſtus tandem, qui hodie in propria perſona recitat, ſuo tempore perſonatus recitabit, in perſona, inquam, peccatoris: *Verè enim languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit;* ac propterea *in ſimilitudinem carnis peccati apparebit*, &, vt alter Iacob, cum pellibus Eſau peccatoris.

Matt. 17.

Zach. 13.

Matt. 17.

Matt. 26.

Matt. 17.

Eſa. 53.

Rom. 8.

Gen. 27.

Affuit etiam & alterum, quod adeſſe ſolet in priuatis recitationibus, nimirum, non verè actiones fieri, ſicut tunc, quando publicè fient, & Spectatoribus ſpectaculum offeretur. Nam in iſta recitatione ſuper montem Thabor non verè occiſus eſt Chriſtus, ſicut poſtea, quando publicè tragædia expoſita fuit, ſed ſolùm totius actionis ſubiectum recitatum: *Et dicebant exceſſum eius, &c.* Quod quidem licèt expreſſè recitetur tantùm à Chriſto, Moſe, & Elia, tamen idem etiam dicunt Pater, & Petrus implicitè. Pater enim ait: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,*

Luc. 9.

Matt. 17. *cum ſeqq.*

ſcilicet, paſſurum pro mundi redemptione. Et Petrus: *Domine, bonū eſt, nos hic eſſe*, ſcilicet, in tuæ paſſionis contemplatione, & bonum eſt, facere tabernacula ſub vmbra arboris tuæ Crucis, illaque tria, ſcilicet, *Tibi vnum, Moſi vnum, & Eliæ vnum*; vnum, pro ſaluandis ante legem, quod ſignatur per Eliam (prophetia enim cœpit ante legem) vnū pro ſaluandis ſub lege, quod ſignat Moſes; &, vnum pro ſaluandis ſub gratia, quod ſignat Chriſtus.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ESaias prophetæ 40. cap. ſuæ prophetiæ expectanti mundo annuncians Meſſiæ gloriam, & maieſtatem, inquit:
Eſa.40. *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt.* Quaſi dicere vellet: Licèt nunc
Luc.1. homines *ſedeant in tenebris, & vmbra mortis*, nec lucem videant, è cœlo deſcenſuram, ſciant tamen, ſtato tempore, præfinitis diebus, gloriam Domini reuelandam, & omnem carnem pariter viſuram, quod os Domini locutum eſt.

Quod quidem Eſaiacum vaticinium quàmuis intelligi poſſit de gloria diuinitatis Chriſti, quæ quidem abſcondita manebat ante illius incarnationem; adeò quòd ante illam,
Eſa.45. *Deus abſconditus* vocabatur. Nec non intelligi queat de gloria miraculorum illius (facto enim primo miraculo con-
Ioan.2. uerſionis aquæ in vinum, ait Ioan. *Manifeſtauit gloriam ſuam, &c.* Atq; etiam de gloria trāsfigurationis, de qua Ec-
Eccleſia. cleſia, ex Dauid: *Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini,*
Pſal.103. *propterea decorem induit te Dominus*; tamen, ad propoſitum, intelligendum venit de gloria, ex paſſione, & morte illius procedente, quæ non propterea, quia ignominioſa fuit, & opprobrijs plena, non magnam Chriſto attulit gloriam, & ſplendorem: Rogabat enim ipſe met, vicinus paſſioni: *Clarifica me, Pater, &c.* Et Dauid affirmat, decorem Dominū
Pſal.92. induiſſe ex paſſione: *Dominus regnauit, decorem induit.* Et Zach. Dominicam Crucem non ſolùm decoram, ſed & de-
Zacch.11. corem ipſum appellat, dicens: *Et aſſumpſi mihi duas virgas, vnam appellaui decorem, &c.*

Quem quidem decorem, & gloriam quia multùm æſtimabat

bat Chriſtus, eumque perfectè aſſequi cupiebat, dum publicè toti mundo ſpectaculum ſuæ tragædiæ recitandum erat, hodie voluit illam priuatè recitari, de ea periculum fieri, ſubiectum totius actionis ab Interlocutoribus proferri, & ſuam vnumquemque partem agere. Cum his tamen animaduerſionibus, quòd, quemadmodum, quando priuatè, ac ſecretè recitatur aliqua, vel comica, vel tragica actio, non perſonati recitant Interlocutores, &c. vt ſupra.

SECVNDA SECVNDAE

Ego vado, & quæretis me, &c. Ioan. 8. *Ioan. 8.*

PRIMA INVENTIO EST,

EAndem doctrinam in hoc Euangelio tradere Ioannem, quam in principio ſacræ ſuæ diuinæ hiſtoriæ tradidit; de triplici, ſcilicet, mundo, archetypo, materiali, & rationali. De primo enim inquit ibi: *In mundo erat*. De ſecundo: *Et mundus per ipſum factus eſt*. Ac de tertio: *Et mundus eum non cognouit*. *Ioan. 1. cum ſeqq.* Et hodie, quò ad primum, inquit: *Ego non ſum de hoc mundo, ſed de ſupernis*. Quò ad ſecundum *Vos de mundo hoc eſtis*. *Ioan. 8. cum ſeqq.* Et quò ad tertium: *Ego loquor in mundo*. In primo mundo, dicit, ſe eſſe principium productionis Spiritus Sancti, vnà cum Patre: *Ego principium*. In ſecundo, ſe dicit Creatorem omnium viſibilium, & inuiſibilium: *Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum*. Si enim Patrem ſuum dicebat Deum, & opera Patris, & Filij ad extra ſunt indiuiſa, cùm legamus, Patrem creatorem Cœli, & terræ, & *Eccleſia in Symb.*

DD. Scho-laſt. communiter, et præcipuè Sco. q. 1. 2. Filius etiam ad eandem creationem cum Patre concurret, cùm voluntas diuina, creationis principium, vna ſit in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. In tertio tandem, ſe dicit doctorem, & miraculorum operatorem. Doctorem quidem: *Quæ audiui à Patre, hæc loquor in mundo.* Miraculorum verò operatorem: *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Auguſt. Diuinitatis eſſentiam rationabiliter inueſtigare, eſſe ad vitam æternam feſtinare, hoc teſtatur Aug. in lib. de cognit. veræ vitæ. Et per oppoſitum, eandem, negligendo, ignorare, eſſe ad mortem properare, teſtatur idem Aug. vbi *Iſidorus.* ſupra. Cui ſubſcribit Iſid. in 2. lib. De ſummo bono c. 1. inquiens; nullum ita in culpa eſſe, quàm illum, qui Deum ne-*Hieron.* ſcit. Tamen, quia Deus (ſecundùm Hieron. in Tract. de eſſent. Trin.) eſt inuiſibilis, immenſus, incomprehenſibilis; inuiſibilis quidem, quia in eſſentia ſua videri non poteſt, *1. Tim. 6.* *Deum enim nemo vidit vnquàm*; immenſus, quia eſt infiniti vigoris, & virtutis, incomprehenſibilis, quia, cùm ſit infinitus, à finita potentia comprehendi non poteſt, hinc eſt, quòd de illo aliquam cognitionem naturæ viribus præſumere, non ſolùm temerarium, ſed & impoſſibile à Sapientibus ſemper iudicatum eſt. Cùm enim omne, quod cognoſcitur, aut intuitiuè, aut abſtractiuè cognoſcatur, Deus in præſenti ſtatu intuitiuè cognoſci nequit, cùm non videatur, vt beati-*1. Cor. 13.* ficum obiectum, niſi à Beatis in patria, qui non *per ſpeculum, & in enigmate*, ſicut nos, *ſed facie ad faciem* Deum contemplantur. Nec etiam abſtractiuè cognoſci poteſt, cùm quod abſtractiuè cognoſcitur, per ſpeciem cognoſcatur, &, Deus nullam ſui ipſius ſpeciem viatoribus hominibus regulariter concedat. Verùm, quia Deus benedictus rationa-*DD. communiter, et præcipuè Sco. q. 1. Prol. Rom. 1.* lem creaturam ſua cognitione non priuauit, ideò aſſerendum videtur cum SS. Patribus, hominem Deum cognoſcere poſſe, & actualiter cognoſcere, etiam pro ſtatu viæ, redarguitiuè, per creaturas ad illum aſcendendo, quemadmodum fecerunt Philoſophi, qui *à creatura mundi* Deum intellexerunt, & ſub aliquo conceptu proprio, ſcilicet, *vt ſempiterna virtus,*

virtus, & diuinitas, vt inquit Paulus. Qui tamen proprius Sco. vbi
eſt proprius ex communibus, & non proprius ex proprijs. ſupra.
Cognoſcitur etiam Deus à Viatoribus fidelibus per diuinam illuſtrationem, ac reuelatam doctrinam; in qua, licèt non intuitiuè, nec propriè abſtractiuè, ſcilicet, per ſpeciem, per veros tamen terminos, ac ſynceras propoſitiones Deum Idem 3. ſ.
cognoſcere valent; cùm Deus benedictus ſit nobis propor- q. 4.
tionatus in cognoſcibilitate, licèt non proportionatus in Idem q. 1.
entitate. Vndè, benè dicebat Aug. *Rationalis ſpiritus ex* Prol.
dono creationis habilis eſt ad cognoſcendum verum, & aman- Auguſt.
dum bonum.

Qua quidem notitia hominibus conceſſa, in eiuſdem Dei cognitionem ego hodie inſurgere præſumpſi, per inueſtigationem inuiſibilis, & viſibilis mundi; & viſibilis, tum materialis, tum etiam ſpiritualis, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO
E S T,

IOannem Euangeliſtam alium exceſſum, differentem ab exceſſu, quem Matth. retulit heri in transfiguratione Domini, hodie referre in ſuo Euág. Matth. enim refert exceſſũ charitatis Chriſti, complendæ in Ieruſalem, tempore ſuæ paſſionis, & Ioannes refert exceſſum, ab iſto ſatis differentem, tum reſpectu Chriſti, tum reſpectu Hebræorum. Chriſti quidem; nam hodie vaticinatur Hæbræis, ſe exceſſurum limites, ac terminos Synagogæ, iturumque ad Gentiles. Hebræorum autem; nam illi limites humanitatis exceſſuri erant, quærendo, poſt mortem patris, etiam filios ad necem, ſanctos, inquam, Apoſtolos. Exceſſuri etiam limites bonitatis Dei, perſeuerando adeò in peccato, & peccatis, vt in illis mori elegerint. *Ego vado*, ecce primum exceſ- Ioan. 8.
ſum. *Et quæretis me*, ecce ſecundum. *Et in peccato veſtro* cum ſeqq.
moriemini, & moriemini in peccatis veſtris, ecce tertium.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

APoſtolus Paulus credentibus Epheſinis ſcribens, eiſque explicans eximiam Dei charitatem, qua voluit Filiũ incarnari, & pati pro redemptione mundi, extraordinariũ,
2.*Cor.*12. & inſolitum epiteton, exportatum vtique è cœlis, quando ad eorum tertium raptus eſt, eidem charitati tribuit, di-
*Ephe.*2. cens: ***Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto.*** Nimiam Dei charitatem appellans Paulus, non ſolùm mirum profert attributũ, ſed, prima facie, neſcio quid redolens. Nam; quòd Dei cha-
1.*Cor.*13. ritas magna ſit, hoc teſtatur idem Paul. 1. Cor. 13. ***Maior autem horum eſt charitas.*** Quòd charitas perfecta ſit, aſſerit
1.*Ioan.*2. Ioan. 1.Can. 2. *Charitas Dei perfecta eſt.* Quòd eadẽ charitas
1.*Theſſ.*3. abundans ſit, affirmat etiam Paul. 1. Theſſ. 3. ***Deus abundare facit charitatem ſuam in nobis.*** Quòd eadem charitas vrgens
2.*Cor.*5. ſit, ait idem Paul. 2. Cor. 5. ***Charitas Chriſti vrget***, Quòd eadẽ charitas diffuſibilis ſit, eaque actualiter diffundatur, aſtruit
*Rom.*5. etiam Paul. Rom. 5. ***Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.*** Ac tandem quòd eadem charitas ita ardens ſit, vt ex-
*Cant.*8. tingui non poſſit, aſtruit Spiritus Sanctus Cant. 8. ***Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.***

Sed, quòd charitas Dei nimia ſit, hoc, prima fronte, non videtur benè dictum; nimietas enim, etiam in rebus bonis, vitioſa eſſe videtur. Vndè animaduertit ſapiens, & admo-
*Eccli.*31. net: ***Noli eſſe nimius iuſtus;*** & Poëta:
Horat. ***Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,***
*Sat.*4. ***Quos vltra, citraque nequit conſiſtere rectum.***

At ceſſabit dubium, & admiratio, ſi ſenſus benè teneatur, in quo Paul. dicit, nimiam eſſe charitatem. Eſt enim nimia;
Aug. 3. *de Trin.* quia, cùm infinitos haberet modos Deus, redimendi hominem, voluit tamen per Filij paſſionem illum redimere. Nimia, quia excedit in infinitum hominum peccata. Nimia, quia eſt ſufficiens pro infinitis mundis redimendis, ſi infiniti exiſterent; atque alijs eiuſmodi modis. Verùm, ad rem noſtram, nimia vocatur; quia, cùm illud propriè nimium dicatur, quod limites, ac terminos excedit; ſecundùm quem ſenſum,

ſenſum, nimia dicitur aqua in vaſe, nimium pondus, &c. Dei charitas, quia cõſuetos, atque ordinarios limites tranſilijt, nimia dicitur. *Cum enim non miſſus eſſet, niſi ad oues,* Matt. 15. *quæ perierant domus Iſraël,* tranſiliens ad Gentes, & extra Iudaiſmum gratiam ſuam diffundens, diuinamque ſuam charitatem etiam apud Gentiles abundare faciens, quaſi nimis feciſſe, & nimiam habuiſſe charitatem, dici poteſt. Vndè ad hunc ſenſũ Chryſ. hom. 34. Oper. imp. expendens ver- Chryſoſt. Matt. 20. ba illa: *Voca operarios, & redde illis mercedem,* ait: *Semper libentiùs aliquid damus illis, quibus gratis donamus, quia pro ſolo noſtro honore donamus. Ergo omnibus Sanctis Deus reddens mercedem, iuſtus oſtenditur; Gentibus autem dans,* Rom. 15. *miſericors, dicente Apoſt. Gentes ſuper miſericordia honorare* Matt. 20. *Deum. Et ideò dicitur: Incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Aut certè, vt oſtendat Deus inæſtimabilem miſericordiã ſuam, primùm nouiſſimis, & indignioribus reddit mercedem, poſtea primis, nimia enim miſericordia ordinem non aſpexit.* Hanc nimiam (in hoc ſenſu) ſuam charitatem Hebræis hodie prædicit Chriſtus, inquiens: *Ego vado,* ſcilicet, ad mor- Ioan. 8. tem Crucis, & deindè ad Gentes, prouocatus à veſtra obſtinatione, & incredulitate. At, ſi Chriſtus eſt nimius in charitate, nimietatem, huic contrariam; Hebræi oſtendunt, in inquiſitione in malum, inquirentes, ſcilicet, poſt paſſionem illius, ad mortem, etiam SS. Apoſtolos. *Chriſtum, poſtquàm abſceſſit ab oculis hominum* (inquit Aug. Tract. 38. in Ioan.) Auguſt. *inquiſierunt & qui oderant, & qui amabant. Sed illi perſequendo, iſti habere cupiendo. Quæretis me* (ait Cyril. lib. 5. Cyril. cap. 22. in Ioan.) *poſtquàm, per reditum ad Patrem, à vobis abiero, non credendi deſiderio, ſed perſequendi ſtudio; & quem ampliùs in proprio corpore perſequi, vt priùs, non poteritis, in membris acerrimè infeſtabitis, & pro viribus excruciabitis.* Et in perſeuerantia in peccato, & peccatis vſque ad mortem. Excedit ergo Chriſtus in charitate, illi autem in nequitia.

Hos exceſſus, diuerſos ab exceſſu, quẽ retulit heri Matth. refert hodie Ioannes. Ille enim retulit exceſſum, quem completurus erat Chriſtus in Ieruſalem, iſte verò exceſſum Chriſti poſt paſſionem, tranſeundo ad Gentes, & exceſſum Iudæorum, in nequitia contra Apoſtolos, quos poſt eius mortem perſecuti ſunt, & in nequitia contra Deum, perſe-

uerando vſque ad mortem in peccato, & peccatis. *Ego va-*
Ioan. 8. *do*, ecce primum, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO
EST,

CHriſti paſſionem voluntariam fuiſſe. Quod
Eſa. 53. (præter teſtimonia Prophetarum: *Oblatus*
Pſal. 53. *eſt, quia ipſe voluit. Voluntariè ſacrificabo*
tibi, &c. præter Figuras; ſponſi, qui volunta-
Cant. 4. riè aſcendit *montem mirrhæ, & collem thuris;*
hominis, voluntariè repetentis domum æterni-
Gen. 22. *tatis ſuæ; Iſaac, ſpontè portantis ignem, & ligna, &c.* præter
Auguſt. Patrum teſtimonia, & præſertim Aug. 3. de Trin. aſſeren-
tis, alium modum, redimendi mundum, Deo non defuiſſe,
&c.) claret, vel maximè, ex verbis Chriſti hodie, quibus,
Ioan. 8. voluntariè ad mortem ſe proficiſci, dicit Hebræis: *Ego va-*
do. Quaſi dicere vellet: Non eſt, cur, Hebræi, tam diligen-
ter, tam ſtudioſè meam procuretis mortem; quando enim
tempus aderit à Deo præfinitum, vltrò ego me ipſum offe-
ram, ſpontè ponam animam meam, & voluntariè me ipſum
Patri ſacrificabo, &c.

Hæc Chriſti paſſio, & mors, vndèquaque voluntaria fuit.
Fuit enim voluntaria ex parte Patris, voluntariè, & merè
contigenter Chriſtum ad paſſionem ordinantis. Voluntaria
ex parte ipſiusmet mortis; quæ idcircò non poſt tergum
Abac. 3. illius, ſed ante faciem gradi dicitur: *Ante faciem eius ibit*
mors. Et voluntaria tandem ex parte ipſiusmet Chriſti, qui
Ioan. 10. de ſe ipſo dicebat: *Poteſtatem habeo ponendi animam meã,*
et: *Nemo tollit animam meam à me, &c.* Voluntariam fuiſ-
ſe ex parte Patris, patet ex illis hodierni Euange. verbis:
Ioan. 8. *Qui miſit me*, ſcilicet, voluntarè, & non coactè, ad mor-
eum ſeqq. tem, *verax eſt*. Voluntariam fuiſſe ex parte mortis, patet
ex illis alijs: *Cùm exaltatus fuero à terra* (mortem enim
ſuam Chriſtus exaltationem, & non oppreſſionem vocat,
cùm non ipſum oppreſſerit illa, ſed eam ipſe oppreſſerit)
omnia traham ad me ipſum. Et voluntariam tandem ex par-
te Chriſti fuiſſe, patet ex verbis, iam prætactis: *Ego vado*
(voluntariè, ſcilicet, ad paſſionem, & mortem) &c.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

PErſonarum diuinarum productio, creatio mundi, incarnatio verbi, prædicatio eiuſdem, paſſio ipſiuſmet, reſurrectio, & aſcenſio, promulgatio Euangelij, Synagogæ repudium, clara Dei cognitio, nouis credentibus conceſſa, & vniuerſale iudicium.

Nec non aduentus, diſceſſiones, inquiſitiones, Prophetiæ, mundus ſenſibilis, mundus intelligibilis, eſſe, non eſſe, mori in peccato, & peccatis, fides, incredulitas, interrogatio, reſponſio, miſſus, mittens, veritas, exaltatio, cognitio, voluntas, voluntatum conformitas, & ſexcēta myſteria, ac ſacramenta, tot, tantaque ſunt, vt quemlibet creatum intellectum meritò ne dum confundere, ſed & opprimere valeant.

Ego principium, ecce productionem diuinarum perſonarum. *Vos de deorſum eſtis*, ecce mundi creationem. *Qui miſit me*, ecce Verbi incarnationem. *Quæ audiui à Patre, hæc loquor in mundo*, ecce eiuſdem prædicationem. *Cùm exaltaueritis filium hominis*, ecce ipſius paſſionem. *Quò ego vado, vos non poteſtis venire*, ecce eiuſdem reſurrectionem, & aſcenſionem. *Si non credideritis, quia ego ſum, moriemini peccatis veſtris*, ecce repudium Synagogæ. *Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebant Deum*, ecce nouam credentium cognitionem. *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare*, ecce vniuerſale iudicium. *Ioan. 8. cum ſeqq.*

Ego vado, & quæretis me, & non inuenietis, ecce aduentus, diſceſſiones, & inquiſitiones. *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris*, ecce Prophetias. *Vos de mundo hoc eſtis*, ecce mundum ſenſibilem. *Ego non ſum de hoc mundo*, ecce mundum intelligibilem. *Ego ſum, vos moriemini*, ecce eſſe, & non eſſe. *Moriemini in peccato, moriemini in peccatis*, ecce differentiam inter vtrumque. *Niſi credideritis*, ecce fidem, & incredulitatem. *Tu quis es?* ecce interrogationem. *Principium, qui & loquar vobis*, ecce reſponſionem. *Qui miſit me*, ecce miſſum, & mittentem. *Verax eſt*, ecce veritatem. *Cùm exaltaueritis Filium hominis*, ecce exaltationem. *Tunc cognoſcetis, quia ego ſum*, ecce cognitionem.

tionem. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*, ecce voluntates & voluntatum confirmitates.

Non ne hæc omnia (inquam) myſteria tot, tantaque ſunt, vt quemcunque facundum oratorem ancipitem, ac ſuſpenſum reddere valeant ? Profectò id quidem. At ego cernens, ex ambiguitate, & ſuſpenſione nullum ſpiritualem profectum oriri, & mihi, diù cogitanti, ſemper nouas difficultates emergere, vni illorum tantùm intellectum applicui, vnum tandem ex omnibus elegi, ſuper quod apud vos hodie verba facerem, & concionem haberem. N. Chriſti (inquam) & paſſionem, & mortem voluntariam fuiſſe, ac ſpontè illum ad crucem properaſſe, ſuper primis Euangelij
Ioan. 8. verbis: *Ego vado.* Quam quidem voluntariam fuiſſe, apparet, tum ex parte Dei benedicti, illum ad paſſionem ordinantis, tum ex parte mortis, tum ex parte ipſius met Chriſti, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

QVia Dominus noſter à Iudæis interroga-
Ioan. 8. tus, quis nam eſſet: *Tu quis es?* Reſpondit: *Principium, qui & loquor vobis*, in præſenti Inuentione, Chriſtum verum eſſe principium, demonſtrandum. Et quia nomen principij non ſolùm ſe ad productiones extrinſecas extendit, verùm etiã ad intrinſecas, idcircò, illum, & ad intra, & ad extra principium eſſe, demonſtres. Ad intra, vnum principium ſimul
Sco. 12. 2. cum Patre ad Spiritus Sancti productionem. Vnum (inquã)
q. 1. in principio ſpiratiuo, non vnum in ſuppoſito, duo enim ſunt principia ſpirantia. Ad extra principium eſſe demonſtres, tum ad creaturam merè intellectualem, tum ad intel-
Id. q. 1. 2. lectualem, & corporalem ſimul, producendam. Eadem enim
Idem 12. voluntas principium creationis ad extra fuit in tribus
1. q. 1. ibi: perſonis, eodemque principio creauit Pater, Filius, & Spi-
Iuxta q. ritus Sanctus. Nam ſicut ad intra eſt vnus Spirator, duo
iſtam, &c. tamen ſpirantes, ita etiam ad extra eſt vnus Creator, &

tres

Digitized by Google

tres creantes. Quia verò intellectualis natura, ſenſuum expers, duos habuit ſtatus, viæ cõis, & termini, idcircò æternum Verbum principium viæ angelorum demonſtres, effectiuum naturæ, & gratiæ; *fuit enim ſimul condens naturam, & largiens gratiam.* Principium etiam termini, confirmationis in gratia, & in viſione beatifica, reſpectu bonorum angelorum; ac principium reprobationis malorum angelorum, non quidem effectiuum, ſed (præſuppoſito demerito) negatiuum auxilij ſpecialis, ad gratiam, & gloriam, de cœtero conſequendam. Quia etiam humana rationalis creatura diuerſos habuit ſtatus, & innocentiæ, & lapſus, & gratiæ, ea propter erga hominem principium fuiſſe Verbum probes, & naturæ illius, & ſingularium actionum, quæ à Deo circa hominem geſtæ referuntur. Quia tandem diuerſa ſunt Dei opera, & naturæ, & gratiæ, & gloriæ, omnium iſtorum operum Verbum principium ſemper extitiſſe vnà cum Patre, & Spiritu Sancto, rationibus oſtendas, exemplis confirmes, & SS. PP. doctrinis communias. Verbum enim diuinum non ſolùm in omnibus operibus vnà cum Patre, & Spiritu Sancto ſemper principium extitit, verùm etiam, modo ſpeciali; eſt enim Verbum diuinum ſpecialiter declaratum in Scripturis, vt optimè docet Rupertus in toto proceſſu operis ſui: de Vict. Verbi Dei; Et Verbum ſolum viſibiliter miracula operatus eſt; quod nec Patri, nec Spiritui Sancto cõpetit aliquo pacto. Dicas ergo conſequenter, &c.

Augu. 12. de Ciu. Dei c. 9. Sco. 5. 2. *q. 1. Idem 7. 2. q. Vni. Idem di 7. d. 2. vſque ad 27.*

Vel, ſi placet, Origenis diuiſionem accipias. Ait autem ille ſic, exponens verba: *In principio erat Verbum: Eſt enim principium, ſicut itineris, & lognitudinis, ſecundùm illud: Initium boni itineris iuſtorum exercitium. Eſt autem principium, & generationis, iuxta illud: Hoc eſt principium creaturæ Domini; Sed etiam Deum non enormiter aſſeret aliquis omnium principium. Illud etiam, ex quo, ſicut ex præiacente materia, alia fiunt, principium eſt, penes eos, qui credunt illam ingenitam. Eſt etiam principium ſecundùm ſpeciem, ſicut Chriſtus principium eorum eſt,* qui ſecundùm imaginem Dei formati ſunt. Eſt etiam principium diſciplinæ, ſecundùm illud: Cùm deberetis eſſe magiſtri propter tempus, rurſus indigetis, vt doceamini, quæ ſunt elementa exordij ſermonum Dei. Duplex enim eſt documenti principium, hoc quidem natura, hoc verò, quò ad nos. Vt, ſi dicatur; initium ſapientiæ fo-*

Origenes. Ioan. 1. *Apo. 3. Ariſtot. 1. Phyſ. t. c. 82. & 7. Meta. t. c. 26. 27. 31. & 33.* * *Coloſſ. 1. Heb. 5. Ariſtot. 1. Phyſ. t. c. 2.*

re na-

re natura quidem Chriſtum, inquantum Sapientia, & Verbū Dei eſt. Quò ad nos verò, inquantùm Verbum caro factum eſt. Tot igitur ſignificatis ad præſens nobis de principio occurrentibus, &c. Hæc ille.

Ioan. 1.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Caſſiod.

Scholaſt.

LIcèt Deus diffinitione ſubſtantiali, quæ eſt per genus, & differentias, diffiniri nequeat, vt inquit Caſſiod. & communiter probant Scholaſtici (quicquid enim diffinitur, intra limites prædicamentales comprehenditur, & limitatum, ac potentiale quoddam eſt;) tamen non defuerunt doctiſſimi viri, qui Deum aliquo pacto deſcribere, licèt non perfectè diffinire, tentarunt. Vndè Hieron. in Tract. de eſſent. Trin. inquit: *Deus eſt vnus, atque trinus, vnus, videlicet, in natura, trinus in perſonis, ſolus inuiſibilis, ſolus immenſus, atque incomprehenſibilis, ſolus incircumſcriptus, ſolus incorporeus, & immortalis, vbique præſens, & latens, vbique totus, & immenſus. Inuiſibilis eſt, quia in eſſentia ſua videri non poteſt, Apoſtolo teſtante, qui ait: Quem vidit nullus hominum, ſed nec videre poteſt, quia nullis membrorum lineamentis compoſitus eſt, ſiue compactus exiſtit. Immenſus eſt, quia quantitas eius, vel qualitas à nullo menſurari poteſt. Illocabilis eſt, quia de loco ad locum nequaquàm tranſit, nec quolibet detinetur. Immutabilis eſt, quia ab eo, quòd eſt, omninò mutari non poteſt, miſericordia enim eius, ira, furor, pænitentia, obliuio, recordatio, & his ſimilia, ei non accidunt, ſimplex enim natura eſt, immutabilis, & imperturbata.* Dion. quoque de Diuin. nominum. cap. 9. ait: *Per profunditatem Dei intelligitur incomprehenſibilitas ipſius eſſentiæ; per longitudinem, proceſſus virtutis eius, ad omnia penetrantis, per latitudinem verò, ſuperextentio eius ad omnia, in quātùm, ſcilicet, ſub eius protectione omnia continentur.* Boëth. Deum eſſe cauſam cauſarum, omninò immobilem, & per ſe, & per accidens, aſſerit Lib. 3. de Conſol. Metro. 9.

Hieron.

1. Tim. 6.

Dionyſ.

Boëthus.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, cœlique ſator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, ſtabiliſque manens, das cuncta moueri.

Ber.

Bernard. etiam 5. de Conſid. *Deus eſt non minùs pœna peruerſorum, quàm humilium gloria; eſt enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconuertibilis, atque indeclinabilis.* *Bernar.*
Aug. in libro de Cog. veræ vitæ. *Deus eſt quoddam fontale principium omnium bonorum, à quo omnia particularia bona procedunt, cui nec obliuio tollit, nec memoria reddit, nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt; cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec caſus finem dabit.* *Anguſt.*
Atque, ad hunc ferè modum etiam alij Doctores Dei naturam, & proprietates deſcribere conati ſunt: Et optimè quidem SS. PP. & reliqui Eccleſiæ DD. Scholaſtici verò, ad interrogationem factam: Quid eſt Deus? videntes, meliùs reſponderi nõ poſſe, quàm quod reſpondit olim Deus Moſi: *Qui eſt, miſit ad vos.* Vel, ſecundùm aliam æditionem (vt annotat Iſid. Clarius, Epiſcopus Fulginatenſis) *(Eſt) miſit me ad vos.* Ex hac enim reſponſione deſcriptionem hanc tradiderunt de Deo: *Deus eſt ſuum eſſe.* *Iſid. Clar.* *Scholaſt.*

Nulla tamen melior, quàm iſta, quæ hodie datur à Chriſto Hebræis interrogantibus: *Tu quis es? Principium, qui & loquor vobis.* Eſt enim (ſi rectè, & perſpicaciter conſideretur) in diuinis, & creatis principium, &c. vt ſupra. *Ioan. 8.*

QVINTA INVENTIO
EST,

QVia Chriſtus Dominus proteſtatur hodie Hebræis, morituros illos in peccato, & in peccatis, idcircò, quod nam peccatum ſit hoc per antonomaſiam, in quo illos morituros Dominus prædicit; & quæ nam peccata, in quibus illos perſeueraturos eſſe, affirmat, diligentiùs perquirendũ. Et, quò ad primum, dici poteſt; peccatum originale, peccatum per antonomaſiam vocari poſſe. Nam, ſecundùm Scholaſticos, licèt Verbum diuinum ad omnia peccata diluenda incarnatum ſit, præcipuè tamen ad originale peccatum expiandum. In quo peccato illos morituros Dominus affirmat, quò ad ſuos poſteros, & ſucceſſores, legem Euangelicam non recepturos, quia Hebræi, non recepto Baptiſmate, & iam mortifera effecta Circumciſione (habuit enim

tria

Digitized by Google

Sco.d.3.4. q.4. tria tempora Circumciſio; vnum, in quo fuit neceſſaria, & hoc antè Baptiſmi inſtitutionem; aliud, in quo fuit vtilis, ſed non neceſſaria, & hoc quando pari paſſu ambulauit cum baptiſmo, & indifferenter poterat quis, ad originale peccatum diluendum, vel circumcidere paruulum, vel baptizare; ac tandem tertium, quando, iam repudiata veteri lege, & abolitis omnibus legalibus, fuit ſimpliciter mortifera) caruerunt omni remedio, ad originale peccatum expiandũ; atque ideò meritò illos in originali peccato morituros, quò ad ſuos ſucceſſores, & poſteros, prædicit Dominus.

Peccatum etiam iſtud, per antonomaſiam, intelligi poteſt peccatum in Spiritum Sanctum. Solum enim eſt, quod, neque in præſenti, neque in futuro ſæculo remittitur; vel, quia, vt inquit Aug. 1. de Ver. Domi. ſit grauiſſimum, & mentis obſcuratiuum; vel quia, vt inquit. Hilar. Can. 12. in Matth. nihil tam extra veniam ſit, quàm in Chriſto negare, quod Dei eſt, & conſiſtentem in eo paterni Spiritus ſubſtantiam adimere, cùm in Spiritu omne opus conſummet, & in eo Deus ſit, mundum reconcilians ſibi; vel quia, vt inquit Chryſ. Hom. 42. in Matth. operatio Spiritus Sancti regnum Dei ſit, & qui extra regnum Dei eſt, extra ſpem ſalutis eſt; vel quia, vt inquit Hieron. in 3. Mar. non habeat, vndè remittatur, cùm ex malitia fiat, & non ex ignorantia, aut impotentia; vel quia, vt inquiunt Theo. Beda, & Remig. aſperrimam pœnitentiam requirat, ad ſui remiſſionem, quam, vel pauci, vel nullus in ſe ipſum admittit; vel tandem, vt inquit Ianſenius cap. 49. ſuæ Concor. quia de facto non remittatur, licèt remiſſibile ſit. Eſt enim hoc peccatum, propriè ſumptum, diabolicæ tribuere virtuti, quod diuina operatione geſtum eſt, vt annotat ibidem Ianſe. quamuis impropriè multiuarium ſit, ac multiforme, vt colligere licet ex varijs DD. & præſertim, ex Vega lib. 13. de Iuſtifi. cap. 9. & ex D. Subtili. d. 37. 2. q. vn. Quod quidem peccatum commiſerunt Hebræi, dum miracula Chriſti, diuina virtute facta, diabolicæ virtuti tribuerunt, & in dæmonis poteſtate operata fuiſſe, aſſeruerunt; protulerunt enim aliquando: *In Beelzebub, principe dæmoniorum, eijcit dæmonia*. In quo peccato (vt ſupra expoſitum eſt, irremiſſibili) morituros Hebræos, comminatur Dominus, cùm nullum illorum præſtituri eſſent, quod ad illius deletionem requiritur.

[Margin notes: *Matt. 12.* *Auguſt.* *Hilar.* *Chryſoſt.* *Hieron.* *Theoph.* *Beda.* *Remigius.* *Ianſen.* *Vega.* *Scotus.* *Luc. 18.*]

Pecca-

Peccatum præterea hoc per eccellentiam in malo, infidelitatis peccatum dici poteſt;nam de illo loquens Iere. dicebat: *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Sicut enim fides fundamentum eſt cæterarum virtutum, & *ſubſtantia* totius ſpiritualis fabricæ,ita infidelitatis peccatum oppoſito modo ſe habet. In quo peccato dicit Dominus,morituros Hebræos, cùm veram ſidem recipere noluerint. Vndè infideles remanſerunt, & in infidelitatis peccato mortui ſunt. Thren.1. Heb.11.

Peccatum inſuper hoc peculiare,ac proprium,peccatum odij,& rancoris dici poteſt,non ſolùm, quia Spiritus Sanctus charitas eſt,& odium de diametro charitati opponitur, verùm,quia familiare erat Hebræis non ignoſcere, iniurias non condonare, furoriſque facibus agitari. Vndè hodie Chriſtus ne dum dicit,in peccato illos morituros;ſed in peccato ſuo proprio,ac peculiari: *Et in peccato veſtro moriemini.* In quo quidem peccato mortui ſunt,quia Chriſto reconciliari noluerunt, & SS. eius Apoſtolos perſecuti ſunt; vt meritò illis dici poſſit Chriſtianum dictum: *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri? &c.* Ioan.8. Act.7.

Tandem peccatum hoc, malignitatis peccatum dici poteſt,quod frequenter admittebant Hebræi contra Chriſtum; aliquando per exhibitionem numiſmatis; aliquando per mulierem, deprehenſam in adulterio; aliquando per Saducæos;aliquando * per legis peritos; atque mille per modos eum irretire, illaqueare, ac fraudibus ſuis circumuenire tentantes. Quæ quidem expoſitio Euangelico contextui quadrat,cùm tunc dixerit Dominus, illos in peccato morituros,quando ei mulierem,in adulterio deprehenſam, obtulerunt. Matt.22. Ioan.8. Matt.16. et 21.Mar. 12.Luc.20. * Luc.10.

In peccatis verò illos morituros, ait Dominus; quia ſi peccatum hoc per antonomaſiam,accipiatur pro originali, illo ſtante,& non remiſſio, nec cætera remittuntur, cùm illius deletio ad actualium deletionem prærequiratur. Si item peccatum illud,peccatum in Spiritum Sanctum ſit,cùm Spiritus Sanctus ſit ille, *in quo clamamus: Abba pater,* immò ipſemet *poſtulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, qui illum,non ſolùm non habet, ſed contra ipſum peccat, eius particeps fieri non poteſt, nec ad Dei gratiam peruenire,ac per conſequens peccata ei remitti non poterunt. Si præterea Gal.4. Rom.8.

tereà peccatum illud pro peccato infidelitatis accipiatur, peccato infidelitatis manente,nullum peccatum remittitur.
Heb.11. *Impoſſibile enim eſt ſine fide placere Deo*,& ſine fide peccatorum veniam petere,eamque,non petitam,obtinere. Si rurſus peccatum illud pro peccato odij,& rancoris accipiatur, hoc peccato non dimiſſo, cætera non dimittuntur; nam ad iuſtificationem non ſolùm cum Deo reconciliatio, ſed &
Matth.5. cum homine requiritur; ſcriptum enim legimus: *Si offers*
Matth.3. *munus tuum, &c.* Et: *Qui dixerit fratri ſuo Racha, &c.* Si tandem peccatum illud pro peccato malignitatis accipiatur,hoc peccato non condonato, nec etiam alia condo-
Pſal.50. nantur; nam ad reſurgendum à peccatis, *cor contritum, & humiliatum* requiritur,& contritione,atque humilitate caret,qui alteri inſidias parat,fratris ruinam quærit,& proximo minas intentat. Rectè ergo,inquit Dominus, Hebræos, & in peccato,& in peccatis morituros.Quod duplex dictum vniuerſam huius concionis (quantùm ad inſtitutum aſſumptum) materiam complectitur, & ſubiectum principale ſtatuit, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Hæc q.tra PRægrandis eſt quæſtio inter Scholaſticos, ac poſitiuos
ctat etiam Patres: Num aliquis peccator ad talem ſtatum in via
Nauar.in peruenire poſſit,vt ſit in termino. Tuentes partem aſſerti-
princ. d.7. uam adducunt pro ſe auctoritates aliquorum Patrum,ratio-
Auguſt. nes,ſacræ Scripturæ loca,& coniecturas. Et præſertim Aug.
Adrianus. de vita Chriſtiana c. 3. & 4. Adrian. q. 1. de pœn. Caiet.
Caiétanus ſent. 3. q. 3. quibus videntur fauère verba Apoſtoli 1.
1. Theſſ.2. Theſſ. 2. *Vt impleant peccata ſua ſemper*; ex quibus videntur colligere;naſci hominem hac lege,vt,poſt tot peccata, à Deo expectetur ad penitentiam, quibus completis poſtea in termino ſit,ab eo ſpeciale auxilium auferatur, & impoſſibile ſit, ampliùs illum ſufficienter pœnitere. Ratione id etiam confirmari poteſt; nam, cùm ad extra detur vocatio, iuſtificatio,gratiæ auctio, & beatitudinis adeptio, ita & oppoſito modo datur obtuſio,excæcatio,induratio,& æterna damnatio. Sicut ergo in gratiæ augmento non contingit,
conſi-

Digitized by Google

conſiderare peccatum, ſic nec in obduratione contingit animaduertere gratiam. Roborant, quæ dicta ſunt, ſacræ Scripturæ loca. Et primò Hebr. 12. *Eſau non inuenit pœnitentiæ locum, quàmquàm cum lachrymis poſtulaſſet eam*. Et eadem Epiſt. 6. cap. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiã, rurſus crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Ad eoſdem etiã Hebr. 10. c. *Spontè peccantibus, poſt ſuſceptam gratiam, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Ioan. quoque 1. Can. 5. cap. *Eſt peccatum ad mortem, pro eo dico, vt non roget quis.* Eccl. 7. *Nemo poteſt corrigere, quem ille diſpexerit.* Iere. 15. *Si ſteterint coram me Moyſes, & Samuel, non eſt anima mea ad populum iſtum.* 1. Reg. 16. *Vſque quò tu luges Saul, cùm ego abiecerim eũ?* Ac tandem Sap. 12. *Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia eorum.* Coniecturæ tandem adſunt Pharaonis, Chaim, Saulis, Iudæ, Hebræorum, & aliorum, qui finaliter impœnitentes (omnia, ad bonum inducentia, obſtinatè reſpuendo) mortui ſunt. *Heb. 12.* *Heb. 6.* *Heb. 10.* *1. Ioan. 5.* *Eccl. 7.* *Iere. 15.* *1. Reg. 16.* *Sap. 12.*

Contraria tamen opinio communiter tenetur ab eodem Aug. 1. Retract. vbi ait, ſe opinando dixiſſe, quæ alibi dixit. Nec non ab Amb. Greg. Hil. Cyril. B. Thom. & ferè omnibus Patribus. Verũ eſt enim, quòd [a] *in quacunque hora ingemuerit peccator, &c.* & Paul. monet, [b] *dum tempus habemus operemur bonum.* Quod quidem tempus ad extremum vitæ terminum nobiſcum eſt. *Auguſt.* *Ambr.* *Gregor.* *Hilar.* *Cyril.* B. *Thom.*

Et ad rationem reſpondetur, verum vtique eſſe, obduratos, in ſenſu compoſitionis, conuerti non poſſe, in ſenſu tamen diuiſionis, ſic. a *ex Ezec. 18. & 32. et cap. Ponderet. diſt. 50. et c. fin. infra ead.*

Ad auctoritates verò ſacræ Scripturę breuiter ſic reſponderi poteſt; Paulum ad Theſſal. (vt exponit Lyranus) intelligere de aggrauatione peccatorum, & non de numero peccatorum; adeò quòd ly (*impleant*) refertur ad gradus intenſionis, non ad peccatorum numerum. Ad illud, Eſau, Saulis, & Hebræorum, dicendum, illos, ſolùm pœnæ metu, & non dolore offenſæ diuinæ veniam petijſſe. Ad Sap. 12. dicendum; (*naturale*) ibi non opponi volũtario, ſed gratuito; cùm à natura ſit culpa, à Deo gratia. Ad Eccl. 7. reſpondeo, verum b *Gal. 6.*

eſſe, neminem à peccato reſurgere poſſe, ſi Deus deſpiciat, & ſpeciale auxilium non elargiatur. Ad Io. dicendum, *peccatum ad mortem*. i. mortale, non tolli oratione, cùm ſacramentalibus ſolùm venialia remittantur. Ad Heb. 6. dicendum cum Philaſtrio in Cathal. c.89. & Epiph. lib.2.contra hær.c.59. non negari renouationem ad pœnitentiam,ſed ad pœnitentiam talem, quæ reddat innocentiam, & tollat non cecidiſſe. Vel,ſecundùm Chryſ. ſup.Heb.11. pœnitentiã cũ baptiſmo; tpe.n.Pauli, aliqui introduxerunt,rurſus baptizare illũ,quem ad pœnitentiã recepiſſent, vt cæteris meliores viderentur. Quæ quidem expoſitio apertiſſimè contextui quadrat; ſequitur enim ibi: *Rurſus crucifigentes ſibi metipſis Chriſtum, & oſtentui habentes*. Secundùm quam expoſitionem reſpondet Chryſ.ad illud Heb. 10. *Non relinqui hoſtiam ſpontè peccantibus*,hoc eſt, hoſtiam cum ſecundo lauacro, quod quidem erat à non nullis, tantùm ad oſtentum, introductum, vt monſtrarent (ſibi rurſus applicando Chriſti paſſionis virtutem) maiorem religionis affectum.

Philaſtr. *Epiph.* *Chryſ.* *Heb.6.* *Chryſ.* *Hebr.10.*

Quæ cùm ita ſint,liberior datur Concionatoribus in Hebræos inuehendi facultas, quippè qui, licèt vſque ad vltimũ vitæ articulum pœnitendi ſpatium habuerint, nec viuentes poſt aliqua determinata peccata intermino fuerint,ſemperque ad Deum redeundi tempus habuerint, in peccato tamen, & in peccatis obſtinatè perſeuerare decreuerint, prædicatione Chriſti ſpreta, miraculis reiectis, & omnibus diuinis inſpirationibus cordis ianuis clauſis. Aggrauat enim, vel maximè,ſemper ſpatium pœnitendi habere,ſemper tempus ad Deum redeundi ſuppetere, ſemper inſpirationibus præueniri, & tamen, vſque ad vltimum vitæ terminum in peccatis velle viuere, atque in eiſdem obſtinatè perſeuerare. At, non hoc tantùm ſcelus patrarunt Hebræi, verùm in multis peccatis perſeuerarunt, & etiam in peccato tã graui viuere voluerunt,quod quidem, per excellentiã in malitia, & per antonomaſiam in malo,peccatorũ peccatum dicitur à Chriſto: *In peccato veſtro moriemini.* Duo ergo (præſuppoſita in malo perſeuerantia)Hebræis prædicit Chriſtus,mortem,nimirum,eorum in peccato,& mortẽ item in peccatis: *Moriemini in peccato, & moriemini in peccatis.* Primũ peccatum,in quo morituros Hebræos,prædicit Dñs, variæ poteſt intelligi,cùm,& pro originali peccato accipiatur,&c. vt ſup.

Ioan.8. cum ſeq.

TER-

TERTIA SECVNDAE.

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, &c. Matth. 23.

Matt. 23. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

VNiuerſam ſacerdotũ dignitetem abſolutiſſimè exprimi per verba Exo. 7. *Ecce, conſtitui te Deum Pharaonis,* dicta à Deo Moyſi, dum illum Iudaici populi Ducem cõſtituit, & ad Pharaonem, tamquàm oratorem, & legatum ſuum, miſit. Cùm enim Pharao duobus nominibus in ſacris Scripturis nominetur, Pharao, ſcilicet, & Nechao; Pharao in multis locis Exodi, & alibi; Nechao verò. 4. Reg. 23. ac 2. Paral. 35. & Pharao interpretetur vindicans, & diſcooperiens; Nechao verò percuſſus, & claudus, idem erit dicere, ſacerdoti, ex ore Dei: *Ecce, conſtitui te Deũ Pharaonis,* atque: *Ecce conſtitui te Deum vindicantis, diſcooperientis, percuſſi, & claudi.* Extenditur enim ſacerdotis dignitas, ratione miniſterij, ſibi à Deo collati, ad Deum ipſum, qui vindicans in Scripturis dicitur; ad angelos bonos, qui diſcooperientes ſunt, tum reſpectu ſuæ angelicæ naturæ, tum reſpectu naturæ humanæ; inter ſe enim angeli illuminantur, nec non homines inſtruunt, & docent, per ſenſibilia ſigna, vt Doctor diſcipulos; ad diabolum, qui percuſſus rectè dicitur, fuit enim percuſſus, dum, facto prælio magno in cœlo, à Michaële archangelo percuſſus, de cœlo in infernum cecidit; ac tandem ad hominem, qui claudus optimo quidem iure appellari poteſt, cùm claudicet in via altero pede, ambulando per fidem, & non per viſionem, per gratiam, & non per fruitionem; & aliquandò claudicet in

Exo. 7. *4. Reg. 23.* *2. Par. 35.*

duas partes, dum, bonitate reiecta,religione ſpreta,ac vio-tis præceptis,non rectè cum Deo ambulat,nec ſyncero cum illo graditur corde. Vniuerſa ergo ſacerdotis dignitas habetur in verbis,ſupra allegatis: *Ecce,conſtitui te Deum Pharaonis.* Quod quomodo verum ſit, doctrinis, & bonis conceptibus demonſtrabit eruditus Eccleſiaſtes.

Exo.7.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Auguſt.

SAcerdotis eximia dignitas, ex his, quæ ſcripta reliquerunt SS. Patres, vndèquaque apparet. Aug. enim de Eccl. dogm. ita de ea inquit: *Nulla maior dignitas ſub cœlo,quàm Sacerdos Dei, ad cœleſtia ſacramenta pertractanda, conſecratus.O Sacerdos Dei* (ſubiungit ille,ad ipſum conuertendo ſermonem) *ſi altitudinem cœli contempleris, altior es;ſi pulchritudinem ſolis,lunæ,atque ſtellarum rimeris, pulchrior es;ſi diſcretionem angelorum, diſcretior es;ſi omnium Dominorum ſublimitatem,ſublimior es;ſolo tuo Creatore inferior es.* Et Bernar. ſermone in Oct. Paſch. ait: *O quantam dignitatem, quantam nobilitatem, quantumue donum contulit vobis Deus, ò Sacerdotes, prærogatiuam enim ordinis veſtri prætulit Deus omnibus Regibus, & Imperatoribus terræ,prætulit ordinem veſtrum omnibus ordinibus mundi, immò (vt altiùs loquar) prætulit vos Deus omnibus ordinibus angelorum,& omni angelicæ Hierarchiæ.* Hanc eandem dignitatẽ frequentiſſimè in Sacris Scripturis expreſſã reperimus,in quibus magnificis titulis,& laudibus illi extollunt.

Bernar.

Sed,cœteris omiſſis,eorũ dignitatem,& poteſtatẽ cumulatiſſimè declarant verba Dei ad Moſen,Exo.7.&c.vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

OMnes ſacerdotum prærogatiuas, partes, & officia, nimirum, dignitatem,auctoritatem, bonitatem, diſcretionem, ſcientiam, & à ſæcularibus in habitu, ac miniſterio diſtinctionem exprimi hodie per ſingula verba, quæ in principio

ciρio currentis Euangelij leguntur. Dignitas enim notatur per verbum (*ſuper*) auctoritas per verbum (*cathedram*) bonitas per verbum (*Moyſi*) diſcretio per verbum (*ſederunt*) ſcientia per verbum (*Scribæ*) & ſeparatio à ſæcularibus per verbum (*Phariſæi.*) *Matt.23.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

LIberum Euangelicis Concionatoribus dicendi campum ſemper eſſe, & ſuper aliquod Euangelium nouam Inuentionem afferendi, facultatem illos habere, dum propoſitus textus, litteraue Euangelij eiuſmodi myſticas expoſitiones, & ſymbolicas interpretationes non refugit, certò ſcio. N. At, qñ ipſemet ſcientiæ auctor, & magiſter Chriſtus, vel Inuentionem reperit, vel iam inuētę expoſitionē affert, meliorē inuenire, impoſſibile eſt. Patet id in parabola ſeminantis, quæ non ſolùm à Chriſto inuenta eſt, verùm etiā expoſita. Quam tractans Greg. Hom. 15. in Euang. inquit: *Lectio Sancti Euangelij, quam modò, fratres cariſſimi, audiſtis, expoſitione non indiget, ſed admonitione. Quam enim per ſemetipſum Veritas expoſuit, hanc diſcutere humana fragilitas non præſumat.* Cui ſimiles ſunt parabolæ, zizaniorum; eius, quod in os intrat; ſagenæ, miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congregantis, &c. Quæ quidem omnes genuinum, ac germanum habent ſenſum; vltra quem, alium recipere nequeunt, niſi, vel minùs principalem, vel non ita proprium. *Luc.8. Matt.13. Luc.4. Gregor. Matt.13. Matt.15. Matt.13.*

Cùm ergo hodie ad Sacerdotum dignitatem, auctoritatem, &c. ſignificanda, Dominus chathedræ ſimilitudinem elegerit, aliam reperire tentare non præſumpſimus.

Cathedræ ergo Inuentione à Domino reperta, ad Sacerdotum munia, functioneſque exprimendas, non aliam in medium nos afferemus, ſed ſuper eandem, & dignitatem, & auctoritatem, & bonitatem, & prudentiam, & ſcientiam, & remotionem à ſæcularibus indagabimus. Verbum enim (*ſuper*) dignitatem demonſtrat (*cathedram*) auctoritatem, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

IN hoc Euangelio, in quo Chriſtus cathedræ Moſis mentionem facit, intentionem nullatenus habere illum, vel excellentiam, vel quippiam tale, ad Sacerdotes pertinens, circumloqui; ſed ſcopum eius eſſe, illorum peccata redarguere, vt corrigātur, vel ſaltem, vt erubeſcant prauè agere, iam per Chriſtum ſæcularibus illorum vita manifeſtata. Patet id per verba Euangelij, quibus de eorum transgreſſionibus, & defectibus expreſſa mentio fit, implicitè autem de eorumdem dignitate, vel quopiam tali, vt intuenti, & Euangelium conſideranti clarum eſſe poteſt. Vndè, Chryſ. ſup verba illa: *Omnia opera ſua fac. &c.* ait: *Supra Dominus arguerat Scribas, & Phariſæos crudelitatis, & negligentiæ, conſequenter autem arguit eos inanis gloriæ, quæ fecit eos à Deo recedere, &c.*

Cùm ergo res ita ſe habeat, dicendum, ad tria potiſſimùm genera vniuerſa Sacerdotum, ac Prælatorum peccata reduci à Chriſto, nimirùm; quòd *dicunt, & non faciunt*; quòd *omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus*, & quòd *imponunt onera grauia, & importabilia in humeros hominū, digito autem ſuo nolunt ea mouere*. Primum pertinet ad intellectum, qui, vel ſolùm ſpeculatiuus eſſe vult, & non practicus, contra naturam, & proprietatem Sacræ Theologiæ, quæ ſcientia practica eſt, & non ſpeculatiua; vel coniungi non vult cum praxi, & exteriori operatione, quemadmodum iunctæ erant alæ, & manus animalium, quæ vidit Ezechiel; & archytectonica, ac mœchanica noritia. Secundum pertinet ad modum operationis, eiuſque finem; cùm ex vanagloria operantes non oculos Dei, ſed hominum quærant, quibus, non Deo, placere deſiderant. Tertium ſpectat ad auctoritatem, qua abutuntur in dignitate conſtituti, grauia præcipientes, & eorum, quæ præcepta ſunt, nihil implentes.

Matt.23. *Sco.q.4. Prol.* *Ezech.1.*

Primum inducens, Scripturas, & conceptus in medium afferes, probantes, Chriſti fideles *non debere eſſe auditores verbi tantùm, ſed etiā factores*. Secundum exponens, vanæ gloriæ, &

Iac.1.

riæ, & ſuperbiæ deteſtaberis effectus, & eos præcipuè, qui in Euangelio exprimuntur. Tertium denique tractans, quàm malum ſit, Superiores, & animarum curam habentes onera grauia hominibus imponere, & graues item pænitentias conuerſis ad nouæ vitæ rationem (maximè, ſi illi nec digito velint eiuſmodi onera mouere) demonſtrabis.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

HYpocriſis vitium in ſacris litteris damnari, eoque laborantes Deo odibiles eſſe, præter nonnullos veteris Scripturæ expreſſos locos, ex hoc potiſſimùm apparet, quia Chriſtus benedictus nullum genus hominum tam aſperè, atque ita frequenter redarguit, ſicut hypocritas. Refert enim Matth. 23. cap. octiès inuehiſſe illum in vno ſermone contra Scribas, & Phariſęos, his verbis: ***Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi, hypocritæ.*** Quaſi octiès maledicens eis, cùm ſecundùm Hieron. particula ***(Væ)*** damnationem æternam importet. Sancta quoque Mater Eccleſia non ſolùm arguit, ſed valdè execratur hypocritas, cùm in principio ſacri quadrageſimalis ieiunij Euangelium illud legi ſtatuerit, quo hypocriſim, quaſi primum peccatorum, fugere docet. Huius vitij deformitas etiam ex ipſa vocabuli ethimologia apparet. Hypocriſis enim nomen, ſecundùm Iſid. 10. lib. Ethimol. & Sanctum Tho. 2. 2. q. 111. art. 2. tractum eſt à ſpecie eorum, qui in ſpectaculis contexta facie incedunt, ceruleo colore, & cæteris pygmentis vultum diſtinguentes, vt ad perſonæ colorem, quam ſimulant, perueniant; modò in ſpecie viri, modò mulieris in ludis populum fallentes. Vndè, Aug. de Serm. Domini in monte, inquit, quòd ſicut ſimulatores aliarum perſonarum, illius, quod non ſunt, partes agunt, ita, & hypocritæ: Non enim qui Agamemnonis partes agit, verè ipſe eſt, ſed eum ſimulat. Ideo Iſid. vbi ſupra, inquit: ***Hypocrita Græco ſermone, in Latinum, ſimulator interpretatur; qui quidem, cùm intùs malus ſit, bonum ſe palàm oſtendit;*** ὑπὸ, enim falſum, & κρίσις iudicium interpretantur. Hieron. etiam 4. Com. in Matth. ſuper illa verba: ***Quid me tėtatis, Hypocritæ?*** ait: ***Hypocrita appellatur, qui aliud eſt, & aliud eſſe ſimulat;***

Matt. 23.
Hieron.
Iſidorus.
D. Thom.
Auguſt.
Iſidorus.
Hieron.
Matt. 22.

aliud enim opere agit, aliud voce prætendit. Hypocrita namque, ſecundùm Sanct. Tho. vbi ſupra, art. 4. duos in ſe defectus patitur, defectum, ſcilicet, ſanctitatis, & ſimulationem ipſius; quibus duobus in aliquo concurrentibus (vt ſcilicet, aliquis ſanctitatem habere non curet, ſed ſolùm ſanctus apparere ſtudeat, ſicut accipi cōſueuit in ſacra Scriptura) ille talis mortaliter peccat. Vndè, meritò affirmat idem Hieron. ſuper Eſaiæ 12. in comparatione duorum malorum, leuius eſſe, apertè peccare, quàm ſanctitatem ſimulare. *Simulata enim æquitas* (vt inquit Glo. ſuper illud Iob 1. *Sicut Domino placuit, ita factum eſt*) *æquitas non eſt, ſed duplex peccatum*: Immò eadem Glo. ſuper Thre. 4. mirum quid de hypocritis affirmat, magis, ſcilicet, eos peccare, quàm ſodomitas; ait enim ſuper illa verba: *Maior effecta eſt iniquitas populi mei peccato ſodomorum. Scelera animæ planguntur, quæ in hypocriſim labitur, cuius maior eſt iniquitas peccato ſodomorum*. Meritò ergo, inquit Iob 8. cap. *Spes hypocritæ peribit*; ſpes, inquam, animam ſuam ſaluandi, & gloriam æternam conſequendi. Meritò etiam idem Iob 13. cap. *Non veniet in conſpectu eius* (ad eum, ſcilicet, intuitiuè videndum) *omnis hypocrita*; *omnis enim hypocrita*, ſecundùm Eſa. 9. cap. *eſt nequam*.

D. Thom. — Gloſ. — Iob 1. — Gloſ. — Thre. 4. — Iob 8. — Iob 13. — Eſa. 9.

Quia ergo Dominus noſter veritas eſt, & veritatis auctor, hypocrita verò mendax, & faber mendacij (tunc enim mendacium adeſt, cùm inter ſignum, & ſignatum correſpōdentia non inuenitur; tuncque perfectiſſimum mendacium, cùm & intentio fallendi ſuperadditur) ſimulat enim eſſe aliquid, quod non eſt, intentionemque habet, homines decipiendi, atque fallendi, non mirum, ſi ita hypocritis infeſtus ſit, ſi illos ita exoſos habeat, nec patiatur aliquo, vel tempore, vel loco conſiſtere, eorumque vitia verbis ſæpè ſæpiùs deteſtatus ſit.

Quo vitio cùm maximè laborarent Scribę, & Phariſæi, dū ipſe nobiſcum vitam degeret, & cum hominibus conuerſaretur, omnem nauauit operam, vt illos de tali vitio liberaret, & à tam pernicioſo morbo curaret. Ac tandem (quoniam extremus morbus, extrema remedia) vbi reprehenſionibus, ad illos ſpecialiter directis, nihil ſe proficere animaduertit, vt, vel ſaltem detecti, atque ab vniuerſo populo digito commōſtrati, reſipiſcerent, eorum principales defectus

ctus aperuit plebi, dicens: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; Omnia ergo, quæcunque dixerunt vobis, ſeruate, & facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt. Alligant onera grauia, & importabilia, &c.* Qui quidem defectus, & errores quàmuis multi, ad tria potiſſimùm genera à Chriſto reducuntur, ſcilicet, dicere, & non facere, &c. vt ſupra. ***Matt. 23.***

QVARTA INVENTIO EST,

Miror vtique, neſciens, quo fundamento, pro Sacerdotibus tantùm expoſitum ſit, atque exponatur in dies à nonnullis Concionatoribus hoc Euangelium. Moyſes enim, cuius mentio fit in Euangelio, non fuit tantùm Sacerdos, vt Aaron, frater eius, ſed etiam belli Dux. Et Scribas, primò Doctores fuiſſe, teſtatur Hieron. 4. Comment. ***Hieron.*** in Matthæi cap. 23. illis verbis: *Alios Scribas, in lege doctiſſimos, ex quibus lapidatus eſt Stephanus, Paulus occiſus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus Apoſtolorum Diſcipuli.* Phariſæi tandem, licèt reſpectu totius populi; Religioſi dicerentur, non tamen omnes Sacerdotes erant; cùm tres Sectæ, quæ vigebant apud Hebræos, ſcilicet, Phariſæorum, Saducæorum, & Eſſenorum, omnes Religioſi haberentur, non autem omnes Sacerdotes. Vt etiam vniuerſalis Eccleſiæ Religioſi, omnes Religioſi habentur, non tamen omnes Sacerdotes. Cur ergo, quid in cauſa eſt, quæ neceſſitas, quæ indigentia, vt pro Sacerdotibus tantùm hoc Euangelium exponatur, & illorum peculiare iudicetur, quod in illo narratur?

Ioſeph. lib. 2. c. 7. belli Iud. et lib. 13. c. 8. ac lib. 18. c. 2. Antiquit.

Dicatur ergo, Principum, Doctorum, & Spiritualium quarumcunque perſonarum hodie defectus à Domino exprimi, ac detegi in Euangelio. Principum quidem, ac Dominorum defectus deteguntur, cùm Moſis mentio fiat, qui Princeps fuit, ac Dux populi Dei, à quo mali Principes degenerant, fuit enim ille ſanctiſſimus. Doctorũ ſecundò, cùm Scribarum mentio habeatur, qui erant in lege doctiſſimi, licèt legis transgreſſores. Ac tandem ſpiritualium perſonarum, cùm Phariſæi commemorentur, qui à cætero populo

erant

Digitized by Google

erant diuiſi, & ſpiritualem vitam exteriùs profitebantur. Dixerunt enim aliquando Ioan. Bapt. diſcipuli ad Chri-
Matt.9. ſtum: *Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter, Diſcipuli autem tui non ieiunant?* Principum defectus exprimun-
Matt.23. tur, cùm dicitur: *Imponunt onera grauia, & importabilia*
cum ſeqq. *in humeros hominum, &c.* Doctorum verò, quia *dicunt, & non faciunt*. Ac ſpiritualium tandem perſonarum (quæ potiſſimùm vanægloriæ peccato infeſtantur) cùm dicitur: *Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus.*

Quia tamen horum defectus, & peccata populum auertere non debent, nec rebellem efficere, idcircò etiam reliquo populo viuendi normam præſcribit Chriſtus, dicens: *Quæcunque dixerint vobis, &c.* Non enim, quia Domini temporales pædagia, apparenter iniuſta, & vectigalia oneroſa imponunt ſubditis, non propter hoc ſubditi obedire non tenentur. Quia Doctores, ea, quæ dicunt, non implēt, non propterea Auditores quæcunque dixerint, ſeruare non debent. Ac deniquè, quia ſpirituales perſonæ vanæ gloriæ aliquando ſuccumbunt, non idcircò ſpiritualis vita amplectenda non eſt, Deoque non ſeruiendum, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Completa diuinarum Perſonarū productione, vbi Deus condendo mundo manum admouit, ſuamque gloriam,
Eccli.38. ac maieſtatem creaturis manifeſtare incœpit, ſub duabus
a Amb.ſer. formis præcipuè ſe illis oſtendit, duaſque perſonas apud eas
16.& ſup. induit, pictoris nimirum, atque ſculptoris. Ait enim Eccli.
Luc.3. 38. *Sic omnis faber, & architectus, qui noctem, tamquàm diē,*
Hila.ſup. *tranſigit, qui ſculpſit ſignacula ſculptilia, & aſſiduitas eius*
Matth. *variat picturam. Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, &*
Can.14.et *vigilia ſua perficiet opus.* [a] Omnis enim faber, & architectus,
Gloſ. Ord. & omnis pictor eſt Deus eminenter, quemadmodum dicitur
ſup.Eſa.3. omne verbum: [b] *Nō eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.*
b Luc.1. Omnis homo: [c] *Verumtamen vanè conturbatur omnis homo,*
c Pſal.38. *&c.* Qui architectus, & pictor, noctem, tamquàm diem, tran-
Heb.4. ſigit; *omnia enim nuda, & aperta ſunt oculis eius*, & vigilia
Pſal.120. ſua (*non enim dormit, aut dormitat, qui cuſtodit Iſraël*) perfe-

perfecit,& perficiet opus Vniuerſi. Ait enim ipſe: *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor*. In qua operatione Deus architectus fuit; mundialem enim fabricam fabrefaciendo, poſuit terram,& aquam pro fundamentis, aërem pro parietibus, Solem, & Lunam pro feneſtris, ſtellatum cœlum pro laqueari, creaturas, mentis expertes, pro ſeruis, & ancillis, hominem verò, pro huius magnæ domus hero, & domino. Pictorem verò ſe eſſe oſtendit, dum varijs coloribus, varijſque picturatis ornamentis mundum hunc ornauit, ac gratioſa, decoraque varietate diſtinxit, atque ornauit. *Ioan. 5.*

Cum hominibus etiam eodem modo ſe geſſit; quandoquidem, vt architectus, & pictor, & ſculpſit, & pinxit; ſculpſit corpus, pinxit animam, vel vtrumque ſculpſit, vtrumque pinxit. Sculpturæ ſunt naturalia, picturæ gratuita. Quæ ad hunc vtique modum ſe habent, vt ſculpturæ naturalium perpetuæ maneant, picturæ verò ſæpè ſæpiùs maculentur, vel penitùs aboleantur; maculentur venialibus, aboleantur mortalibus. Vt ſculptor, quod ſemel perfecit Deus (quia ſtabile eſt, ac permanens) non ampliùs reficere habet, ſed tantùm in eo eſſe conſeruare, in quo primò condidit. At quia pictura in dies detrimenta patitur, ac ſemper deterioratur, idcircò, non ſolùm à Deo conſeruari, verùm nouis coloribus ſæpè ſæpiùs illuſtrari, aut penitùs iterum effingi indiget, reſpectiuè.

Benignus pictor, pientiſſimus ſculptor Dominus, creaturæ ſuæ miſerans, illas, quas à principio, & tractu temporis, picturas in illius anima effingere dignatus eſt, cernens, vel venialibus maculatas, vel mortalibus deſtructas, ad meliorem formam reducere, vel iteratò effingere non deſiſtit, venialia remittens, mortalia ab anima auferens, gratiæ ſpecioſiſſima forma illam decorans. Ad quod quidem in homine præſtandum, quia eius conſenſu indiget, vt illum ad recipiendã hanc diuinam reformationem inducat, de proprijs maculis eum admonet, dicens: *Super Cathedram Moyſi, &c.* In quo, quia omnes Eccleſiæ fideles inſtituere, & ſpiritualem in eis decorem inducere intendebat, idcircò, reprehenſionibus, in Euangelio expreſſis, Principum, Doctorum, & Spiritualium perſonarum, vitia detegit, & obiurgat, &c. Nec non reliquo populo viuendi normam præſcribit, &c. vt ſupra. *Matt. 23.*

QVIN-

QVINTA INVENTIO EST,

Apoc. 13. QVia ſuperborum mentio fit in Euangelio illis verbis: *Qui ſe exaltat, &c.* idcircò, illorum proprietates, & conditiones ex viſione Ioannis Apoc. 13. haberi quàm dilucidè. Ponitur enim ibi beſtiæ cuiuſdam deſcriptio, quæ ſuperbiæ, ſuperbisque mirum in modum quadrat. Beſtia namque illa aſcendebat, habebat capita ſeptem, & cornua decem coronata, cum nominibus blaſphemiæ. Corpus autem illius ita chimericum erat, vt pedes Vrſi haberet, os Leonis, & corporis reliquum Pardi varietatibus maculoſum. Quæ omnia ſuperbiæ, ſuperbisque propria ſunt, vt in Introductione explicatiùs.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Apoc. 13. APoc. 13. ſuperbiam, eiusque proprietates abſolutiſſimè deſcribens Ioannes, inquit: *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat Pardo, & pedes eius, ſicut pedes Vrſi, & os eius, ſicut os Leonis.* Mirabilis quidem deſcriptio: Nam, quòd ſuperbia beſtia ſit, fatebuntur illi, qui eam non formaliter beſtiam, ſed effectiuè eſſe, norunt, eò quòd faciat homines beſtias; vt pallida mors dicitur, eò quòd faciat homines pallidos:

Horat. l. 1. Ode 4. *(Pallida mors æquo pulſat pede*
Pauperum tabernas, Regumque turres)

Dies dicitur melancholica, eò quòd reddat homines me-

Luc. 11. lancholicos. Dæmonium appellatur mutum, quia reddebat hominem mutũ, &c. Hæc beſtia dicitur à Ioan. habere capita ſeptẽ, vel quia ſuperbus, ex eo, quòd ſuperbus, & in eo, quòd ſuperbus, omnibus ſeptem peccatis mortalibus irretitur; vel quia alia ſex peccata capitalia nil aliud ſunt, quàm ſuperbia, vt

bia, vt theologanti perſpicuùm eſt; vel, propter quid tale. Super quæ ſeptem capita decem diademata habet, quia non ſolùm triumphauit de nouem choris angelorum (ex quolibet enim choro, propter ſuperbiam, aliqui angeli ceciderunt) verùm etiam de decimo hominum. Et in capitibus habet nomina blaſphemiæ, quia ſolùm ſuperbi blaſphemare audent, *& ponere in cœlum os ſuum*. Cuius beſtiæ varietates, veluti Pardi, referuntur; vel quia habet varium modum aggrediendi, ante, in principio, ſcilicet, boni operis, ſuggerente diabolo, vt propter vanam gloriam incipiatur; à latere, vt, ſcilicet, inter operandum oculi hominum deſiderentur, & intentio peruertatur; à tergo etiam, vt, ſcilicet, iam bona operatione peracta, de ea inaniter gloriemur, & quaſi in aliquo, quod noſtrum ſit, complaceamus; vel quia varia mala ſunt, quæ ex ipſa proueniunt; vel quia non vna, ſed varia ſuperbiæ ſpecies, &c. Pedes tandem Vrſi, & os Leonis ei tribuuntur, quia ſuperbus, vt Vrſus, iracundus eſt, &, vt Leo, elatus. De ſuperbo enim Principe inquit Salomon, Prou. 28. *Leo rugiens, & Vrſus eſuriens Princeps impius.* Ac de cæteris ſuperbis Eccli. 4. *Noli eſſe, ſicut Leo, in domo tua, euertens domeſticos tuos.* *Pſal. 72.* *Prou. 28.* *Eccli. 4.*

Beſtiæ huic ſimiles ſunt ſuperbi omnes, qui, in perſona Scribarum, & Phariſæorum, à Domino hodie reprehenduntur; habent enim omnes ſuperborum proprietates, ſcilicet, *amare primas cathedras in Synagogis, &c.* Quorum oppoſitum, in humiliũ perſona dignoſcitur, qui nolunt vocari magiſtri, &c. vt ſupra. *Matt. 23.*

QVAR-

QVARTA SECVNDAE.

Matt. 20. eum ſeqq.

Aſcendens Ieſus Ieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò,&c. Matth. 20.

PRIMA INVENTIO EST,

DAri ſummum gaudium, ſummam triſtitiam, & mixtum. Primum in cœlo, ſecundum in inferno, tertium in terra. *Sedere ad dexteram, & ſiniſtram in regno meo,* ecce primum. *Qui maiores ſunt* (id eſt dœmones, qui maiores ſunt nobis natura) *poteſtatem exercent in eos* (ſcilicet, in inferno) ecce ſecundum. *Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram in regno tuo,* quod illa putabat temporale, ecce tertium.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DAuid, Propheta, qui non tantùm per ſenſibilia, vt regulariter cæteri Prophetæ, de rebus cœleſtibus, ac de futuris euentibus Chriſti, & Eccleſiæ cognitionem accepit, ſed etiam per ſecretum illapſum, & ſpiritualem illuminationem, inter cæteras, quibus dignus effectus eſt, cœleſtes viſiones, refert, ſe vidiſſe, quadam vice, Dominum ſedentem in throno regiæ ſuæ maieſtatis, vaſtiſſimum calicem, immenſam pateram manu tenentem, quæ vino, extraordinariæ,

nariæ, & miræ proprietatis, referta erat. Nam in ſuperiori parte vinum merum erat, in inferiori, veluti fæx, in media autem mixtum ex vtriſque. *Calix in manu Domini*, ecce viſionem. *Vini meri*, ecce ſupremam partem vini, in calice contenti. *Plenus mixto*, ecce patem mediam. *Verùmtamen fæx eius non eſt exinanita*, ecce partem infimam. *Pſal.74.*

Viſio hæc variè exponitur. Quidam enim dicunt, calicem in manu Dei, eſſe mundum, ab eo gubernatum. Partem ſuperiorem vini, eſſe iuſtos, ac ſanctos Eccleſiæ. Inferiorem, peccatores in termino, & extra viam exiſtentes. Mediam autem, homines, qui modò iuſti ſunt, modò peccatores, modò in gratia, modò in peccato viuunt. Quidam verò; calicem eſſe vetus teſtamentum, myſterijs plenum, cuius puritatem Sancti Doctores, fæcem Hæretici, mixtum ignorantes bibunt. * Quidam, calicem eſſe Chriſti paſſionem, ſupremam ſanguinis eius partem bibere illos, qui guſtant illius dulcedinem, fæcem verò, qui impatientes ſunt in tribulationibus, mixtum deniq; imperfecti, diuinæ conſolationi etiam humanam miſcentes. Atque alij aliter. Tamen, ad propoſitum noſtrum, ſuperior pars eſt gloria, & fruitio Beatorum; inferior, damnatorum pœna; media verò, huius mundi conuerſatio, quæ ex pœnis, & conſolationibus mixta eſt. Horum primum in Euangelio datur intelligi illis verbis: *Sedere autem ad dexteram, & ſiniſtram, &c.* vt ſupra. *Orig. ſuper Ier. Ho. 9. Hier. Epi. Vt abſent. Aug. ſuper Pſal. 74. * Arn. ſup. Pſal. 74. Amb. ſup. Pſal. 118. Serm. 21. Hier. ſup. Pſal. 15. Dionyſ. Epiſt. 9. Matt. 20.*

SECVNDA INVENTIO
E S T,

PAſſionis Chriſti acerbitatem, de qua præcipuè in præſenti Euangelio fit mentio, per quatuor perfectiſſimè exprimi, quæ in textu ab ipſomet Chriſto enumerantur, ſcilicet, traditionem, illuſionem, flagellationem, & crucifixionem. *Tradetur Gentibus*, ecce primum. *Ad illudendum*, ecce ſecundum. *Ad flagellandum*, ecce tertium. *Ad crucifigendum*, ecce quartum. *Matt. 20. cum ſeqq.*

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVamuis ſponſus in ſponſam ſuam fauores innumeros contulerit, multiſque gratijs illam ſemper cumulauerit, ſingulariſſimam tamen gratiam, inſignem fauorem eadem ſponſa reputat, in cellam vinariam ab eo introductam fuiſſe, ibique eum ordinaſſe in illa charitatem; ait enim ipſamet: ***Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.*** *Cant. 2.*

Fauor iſte, ſi nudè, & litteraliter tantùm intelligatur, potiùs in dedecus, quàm in gloriam ſponſæ Dei redundat. Dedecet enim ſponſas virgines intrare vinarias cellas, ac potationibus, & ebrietatibus inſeruire; cùm D. Paulus, ne dũ virginibus, verùm etiam viduis, dicat, prohibitum eſſe, circuire alienas domos, ne dicamus, vinarias cellas. Viniqué hauſtum, etiam Gentilibus fœminis interdictum, frequentes hiſtoriæ paſſim referunt. At, ſi myſticè, & ſecundùm ſpiritum intelligatur, in gloriam ſponſæ redundat, ac ſanctitatem redolet. Sponſa enim à ſponſo in cellam vinariam diuinorum ſecretorum introducitur, vt ibi diuinitatis, & humanitatis ſponſi ſui cognitione ſubleuetur, exponunt Amb. Serm. 70. & Philo: *Quòd Deus ſit immutabilis.* Introducitur, vt cognitionem accipiat diuinarum virtutum, ait Orig. 1. Peri. 3. Dion. Epi. 9. ac Baſil. ſuper Pſal. 31. Introducitur, vt illuſtretur donis Spiritus Sancti, & impleatur affluentia gratiarum, inquit Rup. 2. de glo. Trin. cap. 13. ac Chryſ. & Theoph. ſuper Matth. 9. Introducitur, vt exultationis ſpiritus, & feruoris charitatis vinum bibat, ait Greg. ſup. 1. Reg. 1. Orig. Hom. 5. ſuper Cant. & Bern. Serm. 4. & 9. ſuper Cant. Introducitur, vt intelligentia Sacræ Scripturæ ei tribuatur, aſſerit Ruper. ſuper Zach. 9. exponens, quomodo intelligantur; *Vinum germinare virgines*, Hila. ſuper Matth. 9. & Cyril. 2. ſuper Ioan. 26. Introducitur, vt vitæ puritatem perfectè conſequatur, docent Hieron. ſuper Eſa. 62. Greg. ſuper Cant. 8. & Beda ſuper Gen. 44.

1. Tim. 5. *Ambr.* *Philo.* *Origenes.* *Dionyſ.* *Baſilius.* *Rupertus.* *Chryſoſt.* *Theoph.* *Gre. Orig.* *Bernar.* *Ruper.* *Zach. 9.* *Hil. Cyril.* *Hieron.* *Gre. Beda.*

Tamen, vt noſtro deſeruit inſtituto, ideò ſponſa in cellam vinariam Dei ſecretorum introducta eſt, vt ibi paſſionis

ſponſi

ſponſi ſui altiſſimam cognitionem recipiat, vinumque, in torculari crucis expreſſum, ad ſummum bibat, eoque ſanctiſſimè inebrietur. Teſtantur id Clemens Alex. 1. Pæda. 6. Rup ſuper verba Mariæ Virginis: *Vinum non habent*, Iſich. ſuper Leuit. 23. & Aug. ſuper Pſal. 79. In quam quidem vinariam cellam(ò diuinam gratiam,& miſerationem piẽtiſſimi Domini) etiam animæ noſtræ hodie à Chriſto Domino introducuntur, vt nobis ſuæ paſsionis cognitionem, & ſenſum interiorem elargiatur, ordinetque in nobis illam charitatem, pro qua ipſe *non dubitauit manibus tradi nocentum, & crucis ſubire tormentum*. De ipſa enim Apoſtolis ſuis in perſona totius Eccleſiæ, omniumque noſtrum loquens, ait: *Filius hominis tradetur,&c.* In hanc vinariam cellam vna vobiſcum egò hodie à Domino introductus, & vino dulciſſimo ſuæ paſſionis ſpiritualiter dignus effectus, in patera præſentis concionis vobis ſpiritualem propinationem facio, atque ad idẽ vinum delibandũ,& guſtandum, hilari vultu, ardentique deſiderio vos inuito. N. Contemplabimur ergo Chriſti paſſionem,eamque illi acerbiſſimam fuiſſe, quatuor potiſſimùm de cauſis demonſtrabimus. Quia ſcilicet, traditus eſt Gentibus, quia illuſus,&c. vt ſupra.

Cle. Alex. *Ruper.* *Ioan.2.* *Iſyc. Aug.* *Eccleſia.* *Matt.20.*

TERTIA INVENTIO EST,

HAnc ſolùm examinandam propoſitionem: *Et filius hominis tradetur.* Qui quidem filius hominis cùm à quatuor traditus legatur, à ſe ipſo (vt inquit Paul. ad Gal.2.& ad Ephe.5.) A Patre, Romanorum 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum*. A Iuda: *Quærebat opportunitatem, quomodo eum traderet ſine turbis*, Matth.26. Ac tandem à Iudæis: *Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi*, Ioan.18. Et quatuor etiam traditus intelligatur,ſcilicet, mundo à ſe ipſo: *Ego in hunc mundum veni*; peccatoribus à Patre: *Miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis*; Iudæis, à Iuda: *Iudas Iſcariotes, vnus de duodecim, abijt ad ſummos Sacerdotes, vt proderet eum illis*,& Gentibus à Iudæis: *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eũ.*

Matt.20. *Galat.2.* *Epheſ.5.* *Rom.8.* *Matt.26.* *Ioan.18.* *Ioan.9.* *Ioan.18.* *Mar.14.* *Matt.26.* *Luc.22.* *Ioan.18.*

Ac tandem quatuor ob cauſas; vt, videlicet, mundus redimeretur, vt peccatores conuerterentur, vt Iudæi illuminarentur, vt Gentes Eccleſiæ aggregarentur; & ipſemet ſe tradiderit voluntariè, Pater tradiderit illum clementer, Iudas nequitèr vendiderit, & Iudæi crudeliter occiderint, ad hæc omnia dicendum conſequenter, ac propoſitio expendenda: *Et filius hominis tradetur.* *Matt.20.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SIcut nil tam prauum, quod non conuertant in bonum boni, ſic è contrario, nil tam bonum, quod non in malum mali. Patet id, quò ad primam partem Aug. auctoritate, exponentis incidenter illud Pauli: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & ex propoſito docentis, quomodo prædeſtinati de ſua ſint ſalute ſecuri, ac mirabiliter vndèquaque, & in omnibus à Deo adiuuentur. Dicit enim in Solilo. cap. 28. *Qui ſcripti ſunt in libro vitæ nequaquàm perire poſſunt, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipſa peccata. Cùm enim cadunt, non colliduntur, quia tu ſupponis manum tuam, cuſtodiens omnia oſſa eorum, vt vnum ex his non conteratur.* Patet etiam, quò ad ſecundam partem, auctoritate eiuſdem, qui ibidem de malis, ac reprobis loquens, inquit: *His omnia cooperantnr in malum, & ipſa etiam oratio vertitur in peccatum; ſi etiam vſque ad cœlos aſcenderint, & inter ſydera cœli collocauerint nidum ſuũ, quaſi ſterquilinium in fine perdentur.* Cuius quidem auctoritatis veritas pro bonis, & malis, reſpectiuè, exemplis innumeris ſacræ Scripturæ comprobari poſſet. Caino enim bonitas Dei venenum fuit; Eſau ex iuſtitia Iacob deterior factus eſt; Saul ex patientia Dauid in dies magis iracundia efferbuit, & odio contabuit, &c. Et ex oppoſito, ſanctis Dei aduerſitates, tribulationes, tormenta, cruciatus, & mortes in ſpiritualem profectum redundarunt, & ex ipſis peccatis, & lapſu in errores ſanctiores euaſerunt, firmioriq́ue propoſito, in via Dei, ne dum ambulare, verùm etiam currere, nec vnquàm in poſterum deficere, ſtatuerunt. Roboratur doctrina iſta naturalibus exemplis, dum proſpicimus, animalia

1.Cor.16. *Auguſt.* *Gen.4.* *Gen.27.et deinceps.* *1.Reg.18.et deinceps.*

malia quædam venenum, quædam mel ex floribus colligere; lutum ad ſolem indurari, cæram verò emolliri; lucis ſolis ſplendorem purgatos oculos delectare, lyppos verò, ac cæcucientes offendere, &c.

Ad rem tandem: quid meliùs, quid ſalubrius, quid dulcius Chriſti paſſione? Et nihilominus malis in malum verſa eſt, bonis autem in bonum. Aliqui medelam, aliqui necem ex ipſa ſibi compararunt; nonnullis fuit in ruinam, nonnullis in reſurrectionem. Quapropter, dum legimus hodie, dictum à Chriſto Diſcipulis ſuis: *Et filius hominis tradetur*, reperimus non vno, eodemque modo traditum fuiſſe Chriſtum ad mortem, ſed variè, ac differenter. Cùm enim à quatuor illum ſciamus fuiſſe traditum, in bonum traditus fuit, & à Patre, & à Verbo, in malum verò, à Iuda, & Iudæis, &c. vt ſupra. *Matt.* 20.

QVARTA INVENTIO EST,

Duas contrarias, ad praxim ſpectantes, doctrinas, in Euangelio recenſeri, vnam bonam, alteram malam; vnam de Chriſti paſſione, alteram de ambitione. Vna datur, vt ſeruetur, altera vt vitetur. Prima exprimitur ibi: *Ecce, aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur, &c.* Altera ibi: *Tunc acceſſit ad eum mater filiorũ Zebedæi, adorans, & petens aliquid ab eo, &c.* Quarum contrarietas, & oppoſitio optimè deſcribitur in Euangelio. Nam, loquens de paſſione, eſt Chriſtus, de ambitione mulier. De paſſione ſecretò loquitur Chriſtus, de ambitione publicè mulier. Applicatio paſſionis, & pro ſufficientia, & pro efficacia, reſpectiuè, eſt reſpectu totius collegij Apoſtolici, vniuerſam Eccleſiam repræſentantis, procuratio ambitionis eſt tantùm pro particularibus, & priuatum bonum dumtaxat reſpiciens. Paſſio ſolùm quærit dexteram, ambitio dexteram, & ſiniſtram. Paſſio procuratur à Patre, ambitio à matre; quorum vnus amat amore forti, & virtute pleno, altera ſenſuali, ac molli. Paſſio aſſumit, ambitio accedit. Paſſio tandem facit aſcendere, licèt *Matt.* 20. *cum ſeqq.*

apparenter videatur facere deſcendere, ambitio vero, licèt fucatè aſ.enſum demonſtret, reuera deſcenſum tantùm, & præcipitium parat. Vndè dicitur de prima: *Ecce, aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur, &c.* De ſecunda verò: *Adorans, & petens aliquid ab eo.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Ambitionis vitium deteſtabile eſſe, patet per ea, quæ de illo Sancti Patres ſcriptum reliquerunt. Chryſ. enim Hom. 10. in Matth. inquit: *Homo Chriſtianus fortiter cadit in peccatum propter duas cauſas; aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis.* Quare idem Chryſ. Hom. 35. in Matth. veluti deciſiuè ait: *Quicunque deſiderauerit primatum in terra, inueniet confuſionem in cœlo; nec, de primatu tractans, inter ſeruos Chriſti computabitur. Nullus feſtinet, quò maior alijs appareat, ſed quò inferior omnibus videatur. Quoniam, non qui maior fuerit in bonore inter homines, ille eſt iuſtior, ſed, qui fuerit iuſtior, ille eſt maior.* Honores enim, & maximè Eccleſiaſtici ſunt onus, angelicis humeris formidandum. Vndè Iob. 26. c. *Gigantes* (id eſt, inſigniores Eccleſiæ Sancti) *gemunt ſub aquis* (dignitatum) *& qui habitant cum eis.* Et ratio huius eſt, quia, vt inquit Aug. lib. de cathe. rud. cap. 16. *honores ſaculi nihil aliud ſunt, quàm vanitas quædam, & ruina populorum. Quia ſic Scriptura Sancta dicit: Omnis caro fœnum, & claritas hominis, vt flos fœni; fœnum aruit, & flos cecidit, verbum autem Domini manet in æternum.* Quòd autem ſint ruinæ occaſio, teſtatur Salo. Prou. 18. dicens: *Ante ruinam eleuatur cor.* Meritò ergo hæc, & maiora ex ambitione prouenientia damna præſentiens Eccleſiaſticus, rogabat: *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, Domine.*

Chryſoſt. / Idem. / Iob. 26. / Auguſt. / Eſa. 40. / Prou. 18. / Eccli. 23.

Quæ omnia filij Zebedæi, adhuc carnales, adhuc terrenis hiſce implicati, ignorantes, & neſcientes, quòd *non loca, vel ordines*, vt inquit Greg. lib. 6. Epiſtolarum Epi. 39. *nos Creatori noſtro proximos faciunt, ſed nos, aut merita bona ei coniungunt, aut mala diſiungunt*, primatum in regno Chriſti, quod temporale credebant, affectant, & Matrem ſubmittunt, vt petat à Domino: *Dic, vt ſedeant, &c.* vt ſupra.

Gregor.

QVIN-

QVINTA INVENTIO EST,

IN matre filiorum Zebedæi viuum ambitionis exemplar nobis oſtendere Euangeliſtam. Honores enim petens eſt mulier, anus, mater filiorum Zebedæi, qui Iacobus, & Ioannes dicuntur, adorat, petit aliquid, & petit dexterã, & ſiniſtram in regno. Et ambitio, nihil virilitatis retinens, omne robur ab eis, quos affecerit, emungit, & mulieres è viris efficit. Eſt anus, quia cum Lucifero in cœlo, & cum Adam in paradiſo incœpit, in Antichriſto, & ſequacibus finem in conſummatione ſæculi acceptura. Eſt mater filiorum Zebedæi, quia, cùm Zebedæus, dos, vel dotatus interpretetur, ad magnos honores ij ſolùm aſpirant, qui naturalibus, vel gratuitis dotibus dotati ſunt. Et eſt mater filiorum Zebedæi, qui Iacobus, & Ioannes dicuntur, quia, cùm Iacobus ſupplãtator, & Ioannes gratioſus interpretetur, ſupplantatores etiam fratrum, ad eundem honorem aſpirantium, ſunt ambitioſi, quacunque, vel naturæ, vel amicitiæ, lege violata. Nec non gratioſi ſunt, quibuscunque Gratianis viliores, ante conſpectum Principum, & eorum, à quibus aliquid ſperãt, geſticulantes, plaudentes, falsò laudantes, &c. Aliquid petit, nam, non bonum, ſimpliciter bonum, ſed bonum ſecundũ quid, & aliquod bonum, quod non eſt omne bonum, immò apparens bonum, & non verum bonum, ambitioſi petunt, & pro viribus quærunt. Tandem dexteram, & ſiniſtram petit hæc mulier, & adorans petit. Dexteram, & ſiniſtram petit, quia ambitio in regno ſocium non patitur, ſolusque regnãs, regnare cupit. Et ad illud adorans peruenire quærit. Quia ambitioſus, licèt ſit ſuperbus, tamen, vt ad proſtitutum honoris finem perueniat, non ſolùm Principem, ſed quemcumque viliſſimum hominem adorabit, nulla ſuæ conditionis, & nobilitatis habita ratione, modò per illum ad honores concupitos aditum ſibi parari dignoſcat. Dicendum ergo ad hæc conſequenter, & propoſita capita expendenda, &c. *Matt. 20.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SVper omnia peccata ſuperbiæ vitiũ maximè deteſtatur Deus, execrantur ſacræ litteræ, damnant SS.PP. Et meritò id quidem, propter multa.

Eccli. 10. Et primò, quia illa omnium peccatorum radix; *initium enim omnis peccati ſuperbia*; non ſolùm initium reſpectu aliorum, ab ea ſequentium, peccatorum, ſed etiam reſpectu ipſorummet peccantium. Per ſuperbiam enim angelus, per ſuperbiam primus homo corruit. Et ſignanter de homine

D.Tho. id tenet D. Tho. 2. ſent. d. 22. art. 1. & 2. 2. q. 163. art. 1. Quod probat duplici ratione. Diabolus hominem tentas ſui imitatorem illum facere conatus eſt, ſed diabolus per ſuperbiam peccauit, vt communiter tenetur, ergo, &c. Inobedientia, præterea, & contemptus ſui Superioris ex ſuperbia cauſantur, ſed homo fuit inobediens Deo, eiuſque præcepti contemptor, ergo, &c.

Secundò, quia peſſimos effectus producit. Pulcherrimus enim angelus factus eſt per ſuperbiam turpiſſimus diabolus, & homo, omnium creaturarum dominus, viliſſima beſtia euaſit, &c.

Pſal. 48. Tertiò, multorum concurrentium ratione. Ratione, ſcilicet, auerſionis, cum ſuperbia à Deo maximè auertat. Vndè,

Pſal. 18. Dauid, de ea loquens, ait: *Et emundabor à delicto maximo*. Ratione facilis euitationis, cùm ſuperbia facillimè à nobis vitari poſſit, ex triplici potiſſimùm conſideratione, propriæ,

Eccli. 10. nimirum, viliſſimæ conditionis: *Quid ſuperbis terra, & cinis?*

Iob 15. magnitudinis diuinæ: *Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus?*

Eſa. 40. vanitatis fundamenti eius: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri.* Ratione oppoſitionis, cùm Deo op-

Iac. 4. ponatur, eique bellum indicat, propter quod *ſuperbis Deus reſiſtit*, quaſi ab illis ſe defendens. Ratione aſsimilationis, cùm ſuperbia homines maximè diabolo aſſimilet, ſicut hu-

Iob 41. militas maximè Chriſto. Diabolus enim *eſt Rex ſuper om-*

Matt 11. *nes filios ſuperbiæ*, & Chriſtus *mitis, & humilis corde*. Ratione permiſſionis, cùm, vt ab ipſa, tamquàm à maiori morbo, curentur homines, permittat Deus, illos in carnis, aliorumque

que minùs grauium peccatorum foueam cadere. Tandem ratione maximi damni, quod eſt apoſtatare à Deo, cùm ſuperbia, vt inquit Thomas, à Deo apoſtatare faciat. Apoſtaſia enim (ait ille) 1.2. q. 84. art. 2. eſt voluntas, non ſubijciendi ſe Deo, eiuſque volũtati, quæ eſt prima ſuperbiæ ſpecies. *D.Tho.*

Quartò tandem ſuperbiæ grauitas, & malignitas apparet ex nequiſsimis filiabus, quas ex ea agnoſcunt SS. PP. quæ ex multis, & penè infinitis, ſunt, inobedientia, contentio, iactantia, hypocriſis, pertinacia, diſcordia, præſumptio, ſingularitas, excuſatio, & defenſio peccati, libertas peccandi, &c. Et, ad rem noſtram, ambitio, &c. Quam in præſenti Euangelio ad viuum deſcribit Euangeliſta Matthæus in matre filiorum Zebedæi, accedente ad Ieſum, & petente aliquid ab eo, &c. vt ſupra.

QVINTA SECVNDAE.

Homo quidam erat Diues, &c. Luc. 16.

Luc. 16. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

LAtitudinem, longitudinem, ſublimitatem, & profundum, quæ in Deo, cæteriſque creaturis dantur, reperiri in Diuite, & Paupere, quorum mentio in Euangelio. Longitudo, vita vtriuſque; latitudo in Diuite: *Erat diues*. Sublimitas: *Et induebatur purpura, & byſſo.* Profundum: *Et epulabatur quotidiè ſplendidè.* Latitudo in Paupere: *Vlceribus plenus*. Sublimitas: *Canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Profundum: *Cupiebat ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa Diuitis, & nemo illi dabat.*

Longitudo vtriuſque in alia vita eſt æternitas in tormẽtis, & fœlicitate, reſpectiuè. Latitudo in Diuite: *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Profundum: *Sepultus eſt in inferno*. Sublimitas: *Eleuans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius.* Latitudo in Paupere: *Et portaretur ab angelis*. Sublimitas: *In ſinum Abrahæ*. Profundum: *Nunc autem hic conſolatur*.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

AD Epheſios ſcribens Paulus Apoſtolus, & ſingularem ergo ipſos, qui nouiter crediderant, animi ſui propenſionem, paternum affectum, & ſingularem charitatem
Ephe.3. demonſtrans, inquit: *Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.* Cuius feruentis orationis, finem in hac vita, exprimens, inquit: *Vt det vobis, ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, virtutem, corroborari per ſpiritum eius in interiori homine: Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati, & fundati*. Finem verò in alia vita, ſubiungens, ait: *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Quæ quidem omnia perfectum viatorem, & beatum in vtraque vita conſtituunt. Si enim Chriſtus per fidem habitet in corde viatoris, in charitate ſit radicatus, & fundatus, & corroboretur per Spiritum Sanctum cœleſti virtute in interiori homine, perfectus viator erit. Si etiã comprehendat (quod in præſenti vita non datur) cum Sanctis in cœlo, & latitudinem, & longitudinem, & ſublimitatem, & profundum cœleſtis gloriæ, viſionis, ac fruitionis beatificæ, profectò perfectè beatus erit.

Hæc D. Pauli doctrina (quoniam omnes ſcientiæ, omneſque artes famulantur ſacræ Theologiæ) quò ad ſecundam partem, in qua de latitudine, longitudine, ſublimitate, & profun-

profundo mentionem facit, petita eſt à naturalibus ſcientijs, & Deo, diuiniſque ſapientiſſimè ab illo applicatur. Quod quidem patet; nam Mathematici longitudinem in linea, latitudinem in ſuperficie, ſublimitatem, & profundum in corporibus conſiderant. Proſpectiui ſublimitatē, & profundum in ædificijs, longitudinem in linea viſuali, latitudinem in figuris contemplantur. Aſtrologi ſublimitatem in ſitu ſtellarum, & aliorum cœleſtium corporum, profundum in influxibus, longitudinem in diſtantijs ſignorum, latitudinem in menſuris deſcribunt. Naturales ſublimitatem, & profundum in corporibus, latitudinem in virtutibus, longitudinem in motu ſtatuunt. Atque ita per ſingulos ſcientificos diſcurrendo. Poteſt etiam dici, in vniuerſum, ſublimitatem competere Methaphyſicis, profundum Phyſicis, longitudinem Aſtrologis, latitudinem Mathematicis, &c.

Hæc quatuor, Lucas, vt doctiſſimus Philoſophus, & Theologus (fuit enim Medicus, & Euangeliſta) in præſenti Euangelio complectitur, Diuitis, & Pauperis hiſtoriam deſcribens. Longitudinem quidem, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

VT Diues, & Pauper ad inuicem pugnant in hiſtoria præſentis Euangelij (vt ſingula reſpondeant) cœtera cuncta mutuò pugnare: Pugnant enim: *Homo quidam erat diues*, et: *Erat quidam mendicus*. Pugnāt: *Induebatur purpura, & byſſo*, et: *Vlceribus plenus*. Pugnat: *Epulabatur quotidiè ſplendidè*, et: *Cupiebat ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa Diuitis, & nemo illi dabat*. Pugnant, auguſtum palatium poſſidere, et *iacere ad ianuam*. Et hæc quidem in præſenti illorum vita pugnant. *Luc. 16. cum ſeqq.*

Pugnant, namque & in alia vita nonnulla. Ex parte enim Diuitis pugnat: *Homo quidam erat diues*, et: *Pater Abraham miſerere mei*. Pugnant: *Induebatur purpura, et byſſo*, et: *Crucior in hac flamma*: Pugnant: *Epulabatur quotidiè ſplendidè*, et: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam*,

aquam, & refrigeret linguam meam. Pugnant, auguſtum palatium poſsidere, & *ſepeliri in inferno*. Pugnat etiam ex parte Pauperis: *Erat quidam mendicus*, et: *Vidit Abraham, & Lazarum in ſinu eius*. Pugnant: *Vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa Diuitis, & nemo illi dabat*, et: *Hic conſolatur*. Pugnant: *Canes veniebant, & lingebant vlcera eius*, et: *Portatus eſt ab angelis*. Pugnant: *Iacebat ad ianuam Diuitis*, et: *Portatus eſt in ſinum Abrahæ*. Pugnantia in mortali vita illorum primæ, pugnantia verò in alia æterna vita ſecundæ Concionis parti aſſignetur, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

BOnos, & malos ad inuicem contrariari, ſatis notum his, qui in ſacræ Scripturæ lectione verſati ſunt. Pugnant
enim illi origine; nam mali ex ſemine nequam procreati
Eſa.1. ſunt: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini ne-*
Ioan.1. *quam. filijs ſceleratis*; & boni, *non ex ſanguinibus, neque ex*
1.Pet.1. *voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt: Non ex ſemine cor-*
ruptibili, ſed incorruptibili per Verbum Dei viui, permanen-
Ezech.16. *tis in æternum*. Pugnant parentibus; nam *pater* malorum
Matth.6. *Amorrhæus, & mater Cethæa*; bonorum verò, *pater, qui eſt*
Sap.7. *in cœlis, & Maria, quæ omnium bonorum mater eſt*. Pugnant
Oſe.11. educatoribus; nutrix enim bonorum Deus: *Et ego, quaſi*
nutritius Ephraim, portabam eos in bracchijs meis; malorum
Iac.5. verò diabolus, qui *in luxurijs enutrit corda illorum*. Pugnat
1.Cor.9. exercitijs, & vita; nam bonorum operationes ſunt, *caſtigare*
Iob 42. *corpus, & in ſeruitutem ſpiritus redigere, agere pænitentiam*
Luc.15. *in fauilla, & cinere, mandatum Dei non præterire, &c.* ma-
Iob 21. lorum verò, *ducere in bonis dies ſuos, vti creatura, frui bonis*
Sap.2. *huius ſæculi, &c.* Pugnant fine vitæ; nam *pretioſa in conſpec-*
Pſal.115. *tu Domini mors Sanctorum eius, mors autem peccatorum*
Pſal.33. *peſſima*. Pugnant denique retributionibus; *ibunt enim mali*
Matt.25. *in ignem æternum, iuſti autem in vitam æternam.*

Quæ cùm ita ſint, nulli mirum, ſi in hodierno Euangelio Diues malus, & Pauper bonus, & quæ de illis narrantur, pugnant, &c. vt ſupra.

TER-

TERTIA INVENTIO EST.

CVm antiquiſſimus ſit Societatum vſus,& hominum, ſimul congregatorum, Collectæ frequentes,dicendum; Deo ſic permittente, & maxima ſapientia,inſcrutabiliq́ue iudicio diſponente, dari in vniuerſum tres hominum generales Societates,& Collectas,bonas,malas,mixtas,à Ioanne in hoc Euangelio deſcriptas, terræ,nimirum,inferni,& cœli. Collecta terræ habet in vnum congregatos diuites,& pauperes:*Simul in vnum diues, & pauper.* Collecta inferni ex malis ſpiritibus, & prauis hominibus compacta eſt:*Ite,maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo, & angelis eius.* Collecta deniq́ue cœli conſtat ex primoribus, minoribusq́ue Sanctis, & angelis Dei:*Erunt homines in cœlo,ſicut angeli Dei.* *Pſal.48.* *Matt.25.* *Matt.22.*

Homo quidam erat diues. Erat quidam mendicus, ecce primam.*Mortuus eſt diues,& ſepultus eſt in inferno*,ecce ſecundam.*Factum eſt autem,vt moreretur mendicus,& portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ*, qui quidem futuram requiem deſignat Cyril.1.ſuper Ioan.22.ecce tertiam. *Luc.16. cum ſeqq.* *Cyrillus.*

Introductio ad Inuentionem,& ad totam ſimul Concionem.

MIrabilem, & vndèquaq́ue eruditum, &, quod in primis conſiderandum eſt, cœleſti lumine perfuſum Ioannem Euangeliſtam hoc Euangelium,ab Eccleſia propoſitum,demonſtrat. Principalia enim circa orthodoxam fidem,& catholicam doctrinam, emergentia dubia, & ſuborientes difficultates explodit,& diluit.

Si enim dubium, & difficultas emerſit aliquando, tum apud Fideles,tum apud Infideles: An Deus de his inferioribus prouidentiam habeat (quemadmodum dubitare videtur Dauid,in perſona imperfectorum,dicens: *Mei autem penè moti ſunt pedes,penè effuſi ſunt greſſus mei, &c.Quomodo ſcit* *Pſal.72.*

Iob 22. do ſcit Deus,& ſi eſt ſcientia in excelſo: Nec non amici Iob: *Noſtra non conſiderat,ſed circa cardines cœli perambulat.* Et

Lib. 1. in Ruf. in princ. apud Poëtas Claudianus,vidés,impios proſperari,& extolli:

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent Superi terras,an nullus ineſſet
Rector,& incerto fluerent mortalia caſu.
Nam,cum diſpoſiti quaſiſſem fœdera mundi,
Præſcriptosque mari fines,amniſque meatus,
Et lucis,noctiſque vices,tunc omnia rebar,
Conſilio firmata Dei,qui lege moueri
Sydera,qui fruges diuerſo tempore naſci,
Qui variam Phœbem alieno iuſſerit igne
Compleri, Solemque ſuo,porrexerit vndis
Littora,tellurem medio librauerit axe.
Sed,cùm res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem,lætosque diù florere nocentes,
Vexarique pios,rurſus labefacta cadebat
Religio:

Hæc difficultas,dubium hoc tum fidelium,tum infidelium in Euangelio ſolutum remanet. Nam,in illo,non ſolùm humanarum actionum curam gerere Deum, declaratur, verùm etiam eaſdem dignis pœnis, vel præmijs reſpectiuè, & præmiare,& punire in perſona Diuitis, & Pauperis oſtenditur.

Si dubium: An anima rationalis ſit immortalis (cuius partem negantem tenent hi,qui affirmant,illam cum corpore extingui;vltra naturales,& apparentes rationes,etiam ſacram Scripturam,ſed non ſanè ab ipſis intellectam,in medium proferentes, Salomonis, nimirum, ſententiam Eccl. 3.

Eccl. 3. *Vnus interitus eſt hominis, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio,ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius)* diluitur tale dubium in Euangelio; nam, licèt in eo totius compoſiti reſolutio referatur,non tamen animæ mortalitas conceditur,immò oppoſitum aſtruitur, cùm anima Diuitis ſepulta dicatur in inferno, & anima Lazari portata ab Angelis in ſinum Abrahæ.

Si dubium: An Dei tribulationes,& flagella, propter ſola peccata, hominibus infligantur, vel alia de cauſa (quemmadmodum affirmantem partem tenere videntur,qui amicis Iob ſubſcribũt;ait enim vnus illorum Eliphaz Themanites

tes

tes: *Recordare,obſecro te, quis vnquam innocens perÿt, aut quando recti deleti ſunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem,& ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo perÿſſe,& ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos*) tollitur dubium, cùm proſpicimus,patientiſſimum Lazarum,non ob ſua peccata,ſed ad maiorem meritorum cumulum, à Deo plagis affectum,& vlceribus reſperſum. *Iob 4.*

Si dubium: An vera ſint, quæ de alia vita referuntur, vel potiùs fabulæ,ab hominibus confictæ,ad ſimplices deterrẽdos, metumque eis incutiendum (veluti credere demonſtrant hi,quos commemorat Petrus 2. Can. 3. Fideles cõmonefaciens: *Hoc primùm ſcientes, quòd venient in nouiſſimis diebus,in deceptione illuſores,iuxta proprias concupiſcentias ambulantes,dicentes:Vbi eſt promiſſio,aut aduentus eius? Ex quò enim Patres dormierũt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ*) ſatisfit huic dubio, dum in perſona Diuitis veræ pœnæ,vera tormenta inferni referuntur, & certiſſimæ Pauperis fælicitates,& proſperitates in alia vita,narrãtur. *2.Pet.3.*

Si tandem dubia,& difficultates circa Deum, circa homines,circa angelos emerſerunt aliquando, puta: An exiſtentes in alio ſæculo valeant, quæ circa amicos geruntur in hoc mundo noſſe,& de eis certitudinem habere: An homines in alia vita ſe mutuò agnoſcant: An ignis inferni in ſpiritus agere poſſit:An anima habeat membra,puta linguam, &c. An apparitiones mortuorum ſint poſsibiles, & veræ, & cætera id genus,omnia,& quæcunque ex fonte doctrinali huius Euangelij abundanter ſolui, atque ad ea ſufficientiſſimè reſponderi poteſt.

Sed ad rem. Si difficultas,de numero Societatum, & Collectarum hominum, ecce tres hodie à Ioanne referuntur, quæ generales ſunt.ſ.terræ, inferni, & cœli, &c.vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

AD Diuitis mores, & culpabilem vitam redarguendam, atque omnia illa damnanda, quæ damnat Euangeliſta.Nec non ad Pauperis tolerantiam, & ſufficientiam extollendam, quã extollit item Euangeliſta aptiſſimum vtique.

N à me

Pſal.51. N. à me iudicatur Dauidicum illud, pro Diuite: *Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & præualuit in vanitate ſua.* Ecclesia. Et eccleſiaſticum illud, pro Paupere: *Ecce homo, ſine quærela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentia ſua.*

Quia enim Diues ſine nomine introducitur in Euangelio, ac tantùm dicitur: *Homo quidam*, ideò inquit Dauid: *Ecce homo.* Quia Diues iſte *erat*, non habens eſſe, vel gratiæ in re, vel gloriæ in ſpe, (*tantùm enim præſentibus ſtuduit, & futura deſperauit*) ideò dicitur; *non poſuiſſe Deum adiutorem ſuum.* Quia pauperis inimicus fuit: *Et nemo illi dabat*, ideò dicitur, *ſperaſſe in multitudine diuitiarum ſuarũ*, & non in operibus miſericordiæ. Et quia tandem *induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè*, ideò dicitur, *præualuiſſe in vanitate ſua.* Vndè, quia *non poſuit Deum adiutorem ſuũ, ſepultus eſt in inferno.* Quia *ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, guttam aquæ obtinere non potuit.* Et quia *præualuit in vanitate ſua*, quando nihil proderat, *vidit ſe in tormentis, & Lazarum in ſinu Abrahæ.*

Hila.ſup. Matth. Can.26.

Quia verò Pauper cum proprio nomine introducitur in Euangelio: *Erat quidam mendicus, nomine Lazarus*, ideò in aſſumpto themate, quaſi nomen Lazari circumſcribatur, dicitur: *Ecce homo, ſine quærela.* Lazarus enim mendicus cùm interpretetur Dei adiutorium, ſiue adiutus à Deo, vel Dei atrium, homo ſine quærela Lazarus eſt. Vel, dicendus ſine quærela, quia, licèt vlceribus plenus, patienter tamen omnia ſuſtinuit, nec in quærimonias prorupit. Quia etiam *verus Dei cultor*, ideò (vt homini in ſtatu innocentiæ) ab animalibus ſeruitus ei exhibita fuit; *canes* namque *veniebant, & lingebant vlcera eius.* Quia etiam abſtinens fuit ab omni opere malo, ideò *portatus eſt ab angelis in ſinum Abrahæ.* Ac tandem, quia *permanens in innocentia ſua*, ideò in tota vita, nec Diuiti inuidit, nec (ab eo reiectus) Pſal.71. maledixit, vel *in cœlum poſuit os ſuum*, vel aliquid tale admiſit, quod intemperatum argueret animum, aut incompoſitæ mentis indicium eſſet.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DEum mala permittere, impioſque ſecunda gaudere fortuna, tolerare, ad electorum ſuorum ſpiritualem
vtilitatem, ſui ipſius gloriam, atque huiuſmodi de cauſis,
teſtantur ex diuinis Scripturis SS. PP. Aug. enim in Enchi. *Auguſt.*
c.25.26.& 27.ait: *Deus adeò bonus eſt, quòd nullo modo permitteret aliquod malum fieri, niſi vſque adeò eſſet omnipotens, vt de quolibet malo bonum elicere poſſet.* Quod confirmat
Lact.5. diuin. inſtit.c.7. inquiens: *Hanc enim Deus bonorũ,* *Lact. Fir.*
& malorum voluit eſſe diſtantiam, vt qualitatem boni ex malo ſciamus. Deus enim non excludit malum, vt ratio virtutis conſtare poſſit. Quomodo enim patientia vim ſuam, nomenque retineret, ſi nihil eſſet, quod pati cogeremur? Quomodo laudem mereretur deuota Deo *ſuo fides, niſi eſſet aliquis, qui à Deo vellet auertere? Nam & ideò potiores eſſe iniuſtos permiſit, vt cogere ad malum poſſent; ideò plures, vt virtus*
eſſet pretioſa, quæ rara eſt. Quod quidem ipſum Quint. egre- *Quintil.*
giè, ac breuiter oſtendit, dicens: Nunquàm virtus eſſet in-
nocentia, niſi laudem raritas dediſſet. Hæc Lact. Qui rurſus *Lact. Fir.*
in libro, de Opificio Dei ad Demetrianum cap. 20. inquit:
Virtus perfecta eſſe non poterit, niſi fuerit compar alicui, in quo vim ſuam (ſuperando) exerceat. Nam, ſicut victoria conſtare ſine certamine non poteſt, ſic nec virtus ipſa ſine hoſte. Itaque, quoniam virtutem dedit homini D*eus, ſtatuit illi è contrario inimicum, ne virtus, ocio torpens, naturam ſuam perderet; cuius omnis ratio in hoc eſt, vt concuſſa, & labefacta firmetur; nec aliter ad ſummum faſtigium poſſit venire, niſi prudenti manu ſemper agitata, ſe ad ſalutem dimicandi*
tenore firmauerit. Hæc ille. Orig. etiam ſuper lib. Num.22.c. *Origenes.*
Malitiam, inquit, *non fecit Deus, tamen, cùm, ab alijs inuentam, prohibere poſſit, non prohibet, ſed cum ipſis ea vtitur ad neceſſarias cauſas. Per ipſos enim, in quibus eſt, probat eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Si enim perimeretur malitia, non eſſet, qui contrairet virtutibus: Virtus, ſi contrarium non haberet, non clareſceret, nec examinatio fieret;*
non probata verò, nec examinata, nec virtus eſſet. Greg. etiã *Gregor.*

21.Mor.

Digitized by Google

21.Mor.7. *Feſtina*, inquit, *conſolatio bonorum eſt conſideratus finis malorum. Dum enim ex eorum interitu malum conſpiciunt, quod euadunt, leue exiſtimant quicquid aduerſi in hac vita patiuntur. Eant ergo nunc reprobi, & delectationum ſuarum deſideria compleāt, in finis ſui damnatione ſenſuri. Tranſitorio autem verbere affligantur electi, vt à prauitate corrigantur. Flagellat quos paterna pietas ad hæreditatem ſeruat. Nunc etenim flagellatur iuſtus, & verbere diſciplinæ corrigitur, quia ad æternæ hæreditatis patrimonium præparatur. In ſuis autem voluptatibus relaxatur iniuſtus, quia tantò ei temporalia bona ſuppetunt, quantò æterna denegantur.* Aug. his PP. concors de Ago. Chriſtia. ait: *Gaudeat Chriſtianus in aduerſis, quia, aut probatur, ſi iuſtus eſt, aut, ſi peccator eſt, emendatur. Contriſtetur ille, quem flagella diuina corrigere non poſſunt. Timeat futurum ſupplicium, qui præſens iudicis contempſit remedium. Gaudeat peccator, ſi, cum iuſtis in hoc ſæculo contriſtatur, vt poſt ſæculum cum eiſdem pariter remuneretur.* Cuius in 1.l.de Acade. rationē reddit, dicens: *Nam, ſicut proſperitates malorū vlcera ſunt animarum, ſic aduerſitates iuſtorum æternorum ſunt præmia gaudiorum.* Et concludit, inquiens: *Meliùs eſt itaque nobis per paucas anguſtias ad æternam beatitudinem peruenire, quàm per breuem lætitiam ad inferni profunda deſcendere.* Cōcordat & Hieron. Virginem exulem conſolans: *Si Deus, ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus* (inquit) *ſecuritatem, pacem, tranquillitatem, quietem, proſperitatem, lætitiam, & quæcunque alia eſſe iocunditatum genera poſſunt, ſeruis, atque cultoribus ſuis, tam in præſenti, quàm in futuro promitteret, eſſet nobis non immeritò dolendum, atque flendum, ſi qua in præſenti vita contraria pateremur: Eò quòd, præter inſperatum dolorem, cuius eò ſemper acerbior vis eſt, quò magis repentinus acciderit, futura quoque promiſſio eſſet ambigua, præſentis ſpei pollicitatione fruſtrata. At verò, cùm è contrario ſolicitudines, bella, tempeſtates, inquietudines, miſerias, triſtitias, odia, & alia, quæcunque incommodorum, atque ærumnarum genera eſſe creduntur, in præſenti nos paſſuros eſſe prædixerit, contra prædictæ monitionis tædium, de promiſſa non erit quis proſperitate ſecurus?*

Auguſt. *Idem.* *Hieron.*

His ſtantibus, nulli mirum eſſe debet, ſi in Eccleſia militanti aliquando boni aduerſitatibus exercentur, & *impiorum*

Iere.2.

rum via proſperatur; &, ſi ex eorum numero mendicus Lazarus, Deo carus, Dei cultor, vlceribus plenus deſcribitur, & in tanta mendicitate conſtitutus, vt ne quidem micis, è menſa cadentibus, rugientem ventrem ſatiare poſſet. Et, ex oppoſito, ſi Diues epulabatur quotidiè ſplendidè; ſi induebatur purpura, & byſſo, ac delicijs omnibus affluebat. Vtriuſque vitam, & finem exactè deſcribit Euangeliſta, deſcribit & Dauid Diuitis, deſcribit & Eccleſia Pauperis. Dauid quidem, dicens: *Ecce homo, qui non poſuit, &c.* vt ſupra. *Pſal.* 51.

QVINTA INVENTIO EST,

VNiuerſam Diuitis, ac Pauperis doctrinam, tam in ſtatu viæ, quàm termini, ſub duorum Toreumatum ſymbolo, quorũ quodlibet duas habet facies, duaſque inſcriptiones, nobis tradere Euangeliſtam. Primi facies prima, ſignũ habet hominis, ſumptuosè veſtiti, lautæ menſæ aſſidentis, cum inſcriptione: *Homo quidam.* Secũdi facies prima, imaginem habet hominis, vlceribus pleni, canibuſque ſtipati, cum inſcriptione: *Quidam mendicus.* Primi, alia oppoſita facies, imaginem præfert hominis, ardentis in flammis, cum inſcriptione: *Crucior.* Secundi, ſecunda facies, imaginem præfert hominis, ab angelis in ſalutis locum euecti, cum inſcriptione: *Hic conſolatur.* *Luc.* 16. *cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

TOreumatum vſum antiquiſſimum eſſe, præterquàm quòd eorum cognitio ſpecies eſt Hieroglyphicæ ſcientiæ, Salomonem, potentiſſimum Regem, ea in vſu habuiſſe, auctor eſt Robertus Goltzius; qui & eorum aliqua noſtris diebus circumferri, affirmat: Quæ ex vna parte faciem habent eiuſdem Regis, ex alia verò templum, cum Hebraica inſcriptione: *Salomon Rex.* Nonnulli etiam tradunt, Syriæ Regis Antiochi quædam apud curioſos aſſeruari, cum eiuſ- *Rober. Goltz.*

dem Regis imagine ex vna parte, & penthagonis figura ex alia, cum inſcriptione: *Sanitas*. Apud Romanos verò ita fuit in vſu iſta Hieroglyphicorū ſpecies, vt innumera, fidem rerum, ab eis præclarè geſtarum, facientia, adhuc extent, circumferanturque Toreumata.

Quorum licèt diuerſæ ſint ſpecies, ad quinq; potiſſimùm reducuntur; ad Hieroglyphicos, Emblemata, Hierographias, Stemmata, ac Toreumata. Quæ quidem omnia in hoc differunt, quod Hieroglyphici conceptum non naturaliter ſignificant, ſed ad placitum inuentorum, & ſine inſcriptione. Emblemata cum inſcriptione clara, & pluribus applicanda, cùm ſignificent in vniuerſali, nec ad particulare aliquod deſcendant. Hierographiæ cum inſcriptione non clara, attamen non omninò obſcura, in particulari, breui, & quæ non perfectè ſine imagine intelligatur. Toreumata cum effigie Principis, vel alterius illuſtris perſonæ ex vnà parte, & Hieroglyphico ex alia. Stemmata tandem ſine inſcriptione, & cum imagine, aliquod opus, egregiè geſtum, ſignificante; ſed tamen obſcurè. Quo fit, vt aliquando nec illi, quorum inſignia ſunt, eorum ſignificatum teneant.

Horum omnium elegit Euangeliſta Toreumata,
in quibus tam Pauperis, quàm Diuitis vitam, mores, exitus, præmia, & pœnas
(reſpectiuè) nobis commonſtret,
& eleganter doceat, &c.
vt ſupra.

SEX-

SEXTA SECVNDAE.

Homo erat pater familias, qui plantauit vineam, &c. Matth. 21. *Matt. 21.*

PRIMA INVENTIO EST,

PLantationem vineæ totius mundi
creationem nobis referre. In qua
(ſicut in vineæ plantatione) reperi-
tur vinea, ſepes, turris, & torcular.
Condito enim mundo data eſt ſepes
præcepti (præceptum namq́ue per
ſepem accipiunt Orig. ſuper Matth. *Origenes.*
Hom. 19. Baſil. Exæm. Hom. 5. & *Baſilius.*
Hieron. ſuper 10. Eccl. Adeſt etiam *Hieron.*
ſimilitudo, & proportio, adducta à Salomone: *Qui diſſipat* *Eccl. 10.*
ſepem mordebit eum coluber. Qui enim præceptum Dei vio-
lat, mordetur à colubro peccati) Omnes namq́ue creatu-
ræ, in ſui creatione, præceptum acceperunt. Præceptum ac-
cepit angelus, in ſtatu viæ, Deum, & Verbum in aſſumpta
carne, adorandi: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Præce- *Heb. 9.*
ptum accepit homo, adhuc viator: *De omni ligno paradiſi* *Gen. 3.*
comede, &c. Et præceptum accepit cœlum, terra, viuentia,
non viua; vnumquodq́ue, ſuæ naturæ, & proprietati corre-
ſpondens: *Ordinatione tua perſeuerat dies, &c* Quod præce- *Pſal. 118.*
ptum, quia violarunt intellectuales, & rationales creatu-
ræ, idcircò momordit eas coluber peccati. Data eſt etiam
ei turris diuinæ protectionis, quemadmodum turrim acci-
pit Lyranus ſuper Pſal. 121. Opera enim, quæ fecit, Deus, *Lyranus.*
conſeruat. Ac tandem torcular extructum eſt in eo inditæ
virtutis, inſitiq́ue valoris, quo, veluti torculari, operatio-
num liquores exprimunt creaturæ, angeli, homines, cœli,
ſublunaria, creata cuncta.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Theophil. CVr Dominus in parabolis ita frequenter locutus fuerit, varias afferunt rationes Sā̃cti Patres. Teoph. enim ſuper illud Luc. 8. *Exijt, qui ſeminat, &c.* inquit: *Quod Dauid in perſona Chriſti prædixerat: Aperiam in parabolis os meum, hic Dominus implet. Vndè dicitur: Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem, &c. Loquitur autem Dominus per ſimilitudinem. Primò quidem, vt attentiores faceret Auditores; conſueuerunt enim homines in obſcuris ſe exercitare, & ſpernere manifeſta. Deindè, vt non caperent indigni, quæ myſticè dicebantur.* Alias affert cauſas Hieron. ſuper illud Matth. 18. *Ideò aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis, &c.* inquiens: *Familiare eſt Syris, & maximè Paleſtinis, ad omnem ſermonem ſuum parabolas iungere, vt quod per ſimplex præceptum ab Auditoribus teneri non poteſt, per ſimilitudinem, exemplaque teneatur.* Et ſuper illud Matth. 13. *Et locutus eſt eis multa in parabolis, &c.* ait: *Perſpicua miſcet obſcuris Dominus, vt per ea, quæ Auditores intelligunt, prouocentur ad eorum notitiã, quæ non intelligunt.* Chryſ. Hom. 48. in Matth. dicit: *Locutus eſt Dominus turbis in parabolis, vt eos ad interrogandum induceret.* Et rurſus Hom. 45. in Matth. *Loquitur Dominus in parabolis, vt manifeſtiorem ſermonem faciat, & ampliorem memoriam imponat, & ſub viſu res reducat.* Aug. deniqùe 2. de ſerm. Dom. in mon. ab alijs nihil diſcrepans, inquit, Dominum in parabolis locutum fuiſſe, quia per ſenſibilia faciliùs cœleſtia capimus.

Pſal. 77. Matt. 13. Luc. 8. Hieron. Matt. 18. Idem. Matt. 13. Chryſ. Auguſt.

Quia tamen parabolæ omnes non eiuſdem rationis ſunt, ideò quæcunque ſint, ad duo reducuntur genera. Quædam enim, teſte Aug. vbi ſupra, ſumuntur à ſimili, quædam à diſſimili. Secundi generis ſunt, parabola iniqui iudicis, propter importunitatem, & aſſiduam moleſtiam, iudicantis pauperculam, & afflictam viduam de aduerſario ſuo; parabola hominis, non propter amicitiam, ſed propter importunitatem, ſurgentis, & accommodantis tres panes, &c.

Luc. 18. Luc. 11.

Quæ

Quæ quidem duæ parabolæ, ſicut & aliæ à diſſimili, Deo ap-
plicari poſſunt,dicendo; illum neque iniquum eſſe iudicem,
neque non verum amicum , ſed propter magnam ſuam pie-
tatem, ac miſericordiam ſubuenire indigentibus, ad vitã ,
& ad ſalutem neceſſaria inſtanter ab eo poſtulantibus. Pri-
mi verò generis ſunt frequentiores Chriſti parabolæ , vt
parabola Regis, facientis nuptias filio ſuo; domini, rationẽ *Matt.22.*
ponentis cum ſeruis ſuis; & ſexcentæ. Ac tandem propoſita *Matt.18.*
parabola vineæ, in qua ſe ſimilem dicit homini patri fami-
lias, qui plantauit vineam, &c.

Quam myſticè exponentes , dicere poſſumus ; plantatio-
nem hanc vineæ eſſe mundi totius creationem , &c. Nam ,
ſicut in plantatione vineæ eſt ipſamet vinea plantata,ſepes,
turris, & torcular, ſic etiam, in mundi creatione, eſt ipſe
mundus creatus, ſepes præcepit, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

Vineæ plantationem , Synagogæ inſtitutio-
nem eſſe . De illa enim dicitur : *Perfice* *Pſal.79.*
vineam, quam plantauit dextera tua,&c.
Et de eadẽ: *Vineam de Aegypto tranſtu-* *Ibidem.*
liſti,&c. Ac rurſùs de illa per Eſa. *Vinea* *Eſa.5.*
facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. Et
alibi ſæpè. Confirmat propoſitum Orig. *Origenes.*
ſuper Matth. Hom. 10. ſuper Cant. Hom. 2. & ſuper Iere.
Hom. 9. Quæ vinea tunc ſepem accepit , quando lege cir-
cumſepta eſt. Lex enim ſepes eſt, non ſolùm ratione, iam
dicta in ſuperiori Inuentione,verùm etiam ea ſimilitudine,
quòd,ſicut vineæ,& agri per ſepem diſtinguuntur, ac diuer-
ſorum dominorum eſſe percipiũtur,ita etiam(inquit Scot.) *Sco.d.1.4.*
per legem, homines, diuerſarum ſectarum eſſe, dignoſcun- *q.3.*
tur. Deindè turris in ea ædificata eſt, quæ , vel angelorum
cuſtodia eſt,ſecundùm Lyran. ſuper Pſal. 121. vel Prophe- *Lyranus.*
tæ, & Prædicatores, ſecundùm Amb. 3. Exæm. 12. Arnol. *Ambr.*
ſuper Pſal. 47. & Greg. ſuper 4.7. & 8. Cant. vel templum, *Arnold.*
ſecundùm Orig. ſuper Matth. Hom. 19. & Hieron. ſuper *Gregor.*
Mich. 4. & ſuper Matth. 21. vel eminentia legis, ſecundùm *Hieron.*

Origenes. *Hilarius.* Orig. vbi ſupra,& Hila. Can. 22. in Matth. vel denique tabernaculum,eo ſymbolo, quòd, ſicut per turrim in altum conſcendimus, ita per tabernaculum ad contemplationis celſitudinem eleuabantur Iudæi. Tandem torcular in hac vinea conſtructum eſt,ſcilicet, altare holocauſtorum, à quo fluebant ſanguinei liquores, vt vinum ex torculari defluit, *Origenes.* *Hieron.* exponente Orig. vbi ſupra,& Hieron. ſuper Eſa. 5. & ſuper Matth. 21. vel ſacra Scriptura, & voces Prophetarum, vt *Origenes.* *Arnoldus,* *Hilarius.* interpretantur Orig. vbi ſupra,Arnol.ſuper Pſal.8. & Hila. vbi ſupra.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Hieron.in Prol.ſuper Eſa. ESaias primus Propheta,quia quintus Euangeliſta(*ita enim ad liquidum,* inquit Hieron. *vniuerſa Chriſti, & Eccleſiæ myſteria proſecutus eſt,vt eum putes non tam de futuro vaticinari,quàm de præteritis hiſtoriam texere)* Domini ſermonem de vineæ plantatione præcurrens propheticis verbis cap. 5. eam iiſdem ferè verbis deſcribit, quibus Do-*Eſa.5.* minus in propoſita parabola. Ait enim: *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei, & ſepiuit eam, & lapides elegit ex ea,& plantauit vineam electam,& ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea.* Conferamus quæſo prophetica verba cum euangelicis, Eſaiam cum Chriſto, prophetiam cum parabola,& videamus,an potiùs Euangeliſta ſit,quàm Propheta Eſaias, & an potiùs euangelicè,quã propheticè loquatur. *Homo pater familias* (cui competit habere filios) inquit Chriſtus. *In cornu filio olei* (arguens patrem) inquit Eſaias. *Plantauit vineam*, inquit Chriſtus. *Plantauit vineam electam*, Eſaias. *Et ſepem circumdedit ei,* inquit Chriſtus. *Et ſepiuit eam,* Eſaias. *Et fodit in ea torcular*, inquit Chriſtus. *Et torcular extruxit in ea*, Eſaias. *Et ædificauit turrim,* inquit Chriſtus. *Et ædificauit turrim in medio eius*,Eſaias. Solùm lapides elegiſſe ex ea plantatorem vineæ,plùs habet Eſaiacus textus. At id à Domino præſupponitur; eum,ſcilicet, qui plùs fecit, minùs feciſſe. Cæterum,plantata vinea,fructus Dominum illius,ſuo tempore, requiſiſſe,inquit Chriſtus,illamque,non ſolùm fructum non attu-

attuliſſe, verùm agricolas, ſeruos, & hæredem Domini vineæ occidiſſe. Et Eſaias id ſummatim complectens, inquit: *Expectaui, vt faceret vuas; & fecit labruſcas.* Vinea fructum non afferente, & agricolis peſſimè ſe gerentibus, *cùm venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* percontatur Hebræos Chriſtus. *Nunc ergo, habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & inter vineam meam,* Eſaias. Tandem, deſperata vineæ fructificatione per malos agricolas, inquit Chriſtus (Hebræorum dictum confirmans) *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Et Eſaias, fuſiùs id explicans, inquit: *Auferam ſepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam, & non potabitur, & non fodietur, & aſcendent ſuper eam vepres, & ſpinæ, & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.*

Videte (quæſo) quomodo concinnè, & ſymmetricè ſibimetipſis reſpondeant Chriſtus, & Eſaias, prophetia, & parabola. Quam, Deo adiuuante, exponere incipientes, & præcipuè, quò ad primam ſui partem (diuiditur enim in tres, in plantationem, fructuum expectationem, & agricolarum punitionem) dicemus, hanc vineam nihil aliud eſſe, quàm Synagogæ fundationem, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

PLantationem vineæ vtriusque hominis in terreſtri paradiſo formationem præſignare. Fuerunt enim Adam, & Eua, quaſi duo primi palmites, vniuerſalis vineæ propagationem
inchoantes. Aſſerunt id Hieron. ſuper Eſa. 5. *Hieron.*
Orig. ſuper Cant. Hom. 1. & 4. & ſuper Iere. *Origenes.*
Hom. 13. Baſil. Exam. Hom. 5. Amb. 3. Exam. 12. Bern. *Baſilius.*
ſuper Cant. ſerm. 63. & Beda ſuper Prou. 24. In qua vinea *Ambr.*
ſepes immortalitatis conſideranda eſt, claudens morti in- *Bernar.*
troitum, cùm homo potens eſſet non mori, nec vmquam *Beda.*
mortuus fuiſſet, ſi non peccaſſet. Super quo doctiſſimè Sco- *Scotus.*
tus in 2. d. 19. q. vnica, in qua & Bonau. & Thomæ rationes

confutat. Nec turri caruit iſta vinea, turri, inquam, altiſſimæ cognitionis,qua præditus fuit homo in ſtatu innocentiæ. De qua cognitione Scot. in 2. d. 3. q. 9. Alen. 2. par. vbi de primo homine,Tho. in 1. p. q. 94. ar. 1. & Bona.in 2. d. 23. q. 2. nec non cæteri Scholaſtici ſuis locis. Torculari tandem originalis iuſtitiæ ditata eſt, qua potens erat, dulciſſimos liquores exprimere pro ſe,& ſuis poſteris. De qua iuſtitia ſuis locis prædicti Scholaſtici.

Scotus. Ale. Alen. Thomas. Bonauen.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

TAnta eſt vineæ parabolæ dignitas, vt copioſam interpretandi, & circa illam allegorizandi ſemper præbuerit nonnullis materiam,& motiuum. Aliqui enim dixerunt, vineæ plantationem eſſe mundi totius creationem; & vineã, eſſe elementa,ea proportione,quòd,ſicut in toto mundo ſola elementa cauſa ſunt generationis, & corruptionis, ſic & in tota vinea,nec ſepes,nec turris, nec torcular generationis,& corruptionis cauſa ſunt,ſed ſolùm vinea. Cui ſepem aſſignant cœlum empireum,ea ratione, quòd, ſicut ſepes ſeparat, ſic cœlum empireum illas ſubſtantias ſeparat, quæ propriè ſeparatæ dicuntur. Torcular, dicunt,eſſe inferiores orbes;ſicut enim torcular liquores exprimit, adeò vt ſine illo non exprimerentur,ita & mundus (*quem oportet ſuperioribus lationibus eſſe congruum*)non niſi in virtute influentium orbium ſuarum operationum liquorem exprimit.Turrim ædificatam,aiunt, eſſe naturam angelicam, eo pacto; quòd ſicut in vinea omnium altior eſt turris, ita omnium creaturarum ſublimior eſt angelus.

Ariſt. 1. Meteo.ſti. 1.cap.2.

Alij dixerunt,plantare vineam, eſſe creare ſeptem ſphæras,iuxta Peripatheticos. Sepem firmamentum eſſe, ſeparans ſeptem ſphæras à ſuperioribus cœlis. Torcular eſſe Lunam,maximè influentem in hæc inferiora, & exprimentem ſenſibiliùs effectus. Et turrim eſſe Solem, qui ita eſt in medio ſeptem ſphærarum,vt turris in medio vineæ.

Alij dixerunt,plantare vineam, eſſe creare materiam primam; circundare vineam ſepe, eſſe, circundare materiam primam priuatione; extruere torcular, eſſe, dare materiæ

primæ

primæ potentiam,ad formas recipiendas (torcular enim eſt in potentia ad fructus recipiendos, vt materia ad formas) ac tandem ædificare turrim, eſſe, dare ei formas. Vt enim turris vineam facit à longè viſibilem,ita forma materiam arguit.

Alij dixerunt,plantationem vineæ eſſe formationem cuiuſlibet particularis hominis. In quo eſt ſepes corporis, quod vnum hominem ab alio ſeparat. Torcular voluntatis, expreſſiuæ actuum ſuorum, eliciendo, & inferiorum potentiarum, imperando. Ac turris intellectus, ſublimia ſpeculantis.

Alij tandem dixerunt,hanc vineæ plantationem, eſſe naturæ angelicæ creationem. Sepem, mediam hierarchiam, quæ infimam à ſuprema diſtinguit. Torcular infimam hierarchiam,quæ inferioribus generalibus,& corruptibilibus deputata eſt,vtque liquores illa exprimant,curat. Ac denique turrim,ſupremam hierarchiam,cæteris altiorem, Deoque magis vicinam. Atque ita diuerſi diuerſimodè de vinea loquuntur.

At nos in præſentiarum dicemus; hanc vineæ plantationem, eſſe primorum parentum formationem,&c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO

EST,

VIneæ plantationem eſſe Eccleſiæ inſtitutionem, aſſertoribus Beda ſuper Gen. 49. Orig. ſuper *Beda.*
Gen. Hom. 17. ſuper Matth. Hom. 18. & ſu- *Origenes.*
per Cant. Hom. 1. & 2. Arnol. ſuper Pſal. 79. *Arnol.*
Amb. Exæm. 12. & Serm. 21. ſuper Pſal. 118. *Ambr.*
ſuper Luc. 10. & de Virg. Hieron. ſuper Ezech. 15. & 19. & *Hieron.*
ſuper Aba. 3. In qua conſideranda venit ſepes cuſtodiæ fidei (de qua Chriſtus Petro: *Ego pro te rogaui Petre, vt non* *Luc.22.*
deficiat fides tua) ea ſimilitudine, quòd ſicut ſepes vnit vites,& ſeparat,ita nos fide *multi vnum corpus ſumus in Chri-* *Rom.12.*
ſto, à cæteriſque nationibus ſeparamur. Vel ſepes, Dei, & *1.Cor.10.*
angelorum cuſtodia, ſecundùm Orig. ſuper Matth. Hom. *Origenes.*
19. Hila. ſuper Matth. Can.22. & Hieron. ſuper Eſa.5. Tor- *Hilar.*
cular crux Chriſti, vt ferè omnes Patres exponunt, & præ- *Hieron.*
cipuè

Digitized by Google

Hieron. Ruper. cipuè Hierón. ſuper Eſa. 65. Ruper. ſuper Agge. 2. & ſuper Zach. 14. Ac deniquè ædificata turris, eiuſdem Eccleſiæ dignitas, diuinis fauoribus, gratijs, ſacramentis, beneficijſque decorata.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

IN ſacra Scriptura nonnulla legentibus obuiam eſſe, quæ non ſolùm à veritate aliena, immò potiùs impoſſibilia videntur, norunt hi, qui in eiuſdem lectione verſati ſunt.
Gen. 19. Huc enim ſpectat, *Loth proprias filias cognouiſſe, & non ſenſiſſe*;
Num. 22. *Balabami aſinam locutam fuiſſe; ſolem ſtetiſſe & retroceſſiſſe,*
Ioſ. 10. *Iordanem conuerſum eſſe retrorſum*, & his ſimilia.
4. Reg. 20. Sed cur ita Spiritus Sancti diſpoſitione factum ſit, quaue de
Eſa. 38. cauſa hæc nobis narrari voluerit, tres afferunt. SS. Patres
Pſal. 113. præcipuas rationes. Prima eſt, vt à ſacra Scritura contemptus, & deſpectus longè arceatur. Solent enim homines, ſuapte natura, facilia, peruia, ac planæ inueſtigationis faſtidire, & contemnere. Secunda, vt ex obſcuritate Scripturæ ad eius intelligentiam auidiùs inflammentur legentes, ingenium acuant, obſcura, etiàm ſub caligine reſeruata, intueri, ac proſpicere contendant, Deoque pro eius intelligentia humiliter ſupplicent, orationibuſque expoſcant, eius myſteria ſibi aperiri, ac reuelari. Tertia, vt hominum temeritas, arrogantiaque confundatur, qui, dum cœleſtia ſacramenta proprij intellectus viribus penetrare nequeunt, volentes, nolentes cum Eunucho exclamare coguntur: *Et*
Act. 8. *quomodo poſſum hæc intelligere, niſi aliquis oſtenderit mihi?* Quarta, vt, Scriptura obſcura remanente, tot in dies nouæ expoſitiones circa eius dubium, & varium intellectum prodeant, quæ & in Scripturæ dignitatem redundant, & per pulchram varietatem pariunt.

Vt in vineæ parabola (nec circa alia euagemur) contingit. Circa ipſam enim copioſæ leguntur SS. PP. expoſitiones, & præcipuè, vineam eſſe Eccleſiæ inſtitutionem, &c. vt ſupra.

QVIN-

QVINTA INVENTIO EST,

QVia vineæ plantatorem patrem familiam legimus, meritò dicendum, tot eſſe plantas vineas, quot familias ſub ſe continet iſte pater. Vndè, cùm triplex familia ſub Patris vniuerſalis regimine conſtituta reperiatur, ſcilicet, viatorum, purgantium, ac beatorum, totuplex etiam vinea conſtituenda erit. Viatorum enim congregationem vineam dici, iam ſupra oſtendimus. Purgantium verò congregationem, vineam etiam appellari poſſe, ex eo patet, quia, cùm quilibet homo vitis ſit, hominum congregatio vitium congregatio profectò erit. Maximè, quia diuerſitas ſtatus non variat rei ſubſtantiam, ac naturam. Cui purgantium vineæ ſepes tribuitur detentionis locus, & receptaculum, quod purgantes, ab alijs ſub terra exiſtentibus, ſeparat, ac diſiungit. Illius torcular tormenta ſunt, quæ purgantes ſubſtinent, non quidem à dœmonibus, ſed à Deo immediatè, cùm inconueniat, patrem per ſeruum verberare filium. Turris tandem extructa, alta in Deum ſpes, firmaque credulitas, indè tandem ſe exituros, ſolutis pœnis. Poſtremò beatorum congregatio, ac familia myſtica vinea eſt, de qua Prou. 31. *De fructu manuum ſuarum plantauit vineam.* Quæ habet ſepem cœlum Empireum, fulgidum ſanctorum cinctorium, torcular humanitatem Chriſti, ac tandem turrim diuinitatem illius.

D. Tho. in 4. Sent. d. 21. q. 1.

Prou. 31.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

PRimis rerum inuentoribus non vulgares gratias reddendas eſſe, vulgatum dictum; tum, quia, vſu, & inueſtigatione ea nobis elargiti ſunt, quibus antea deſtituebamur; tum, quia ad maiora reperienda nobis iter commoſtrarunt, lucemque dederunt. Hinc gratiæ debentur Iubal, qui muſicam adinuenit, Thubalcaim, qui artem fabrilem excogitauit, atque ita cæteris rerum inuentoribus. Inter quos

Gen. 4.

quos præcipuè Patriarchæ Noë gratiæ referendæ ſunt, qui
Gen. 9. vitium vſum adinuenit, vineas primus plantauit, & ſuauiſſimum ex vuis vini liquorem expreſſit. *Qui quidem* (vt in-
Iud. 9. quit Iohatas in parabola Iud. 9.) *lætificat Deũ, & homines.*

Tenemur autem illi, grateſque ei rependere debemus, non tam pro eo, quòd materialem vineam reperit, viteſque ad meliorem vſum redegit, ſed quia tot pulcherrimę doctrinæ, tot cæleſtia myſteria ex materiali vinea ad nos manarunt. Et præcipuè hæc, ſpiritualis, ſcilicet, vineæ plantatorē eſſe Deum; ſeipſum namque patri familias ſimilem facit, qui plantauit vineam, ſepem circundedit ei, ædificauit turrim, & torcular extruxit in ea, &c. Qui cùm diuerſas familias habeat, tot ab eo plantatas dicemus vineas, quot familias habet. Habet autem tres familias, ſcilicet, viatorum, &c. vt ſupra.

SABBATO SECVNDAE.

Homo quidam habuit duos filios, &c. Luc. 15.

PRIMA INVENTIO EST,

PEccati carnalis proprietates in adoleſcente filio, de quo in Euangelio, ad plenum deſcribi. Sunt autem illæ præcipuæ, temeritas, præceps reſolutio, elongatio, diſſipatio, vilitas, & mendicitas. Temeritas apparet in hominibus ciuitatis Sodomæ, fores domus Loth effringere
Gen. 19. tentantibus, & Loth vim facientibus, vt angelis, ſub iuuenum forma
Gen. 34. viſis, abuterentur. In Sichem Principe, Dinæ, filiæ Iacob, vim

inſerente,& eam violante. Nec non in Ægyptijs, tollenti- *Gen. 12.*
bus Saram, vxorem Abrahæ, in domum Pharaonis, contra
conſuetam hoſpitibus debitam humanitatem. Præceps re- *Gen. 38.*
ſolutio, in Iuda, cognoſcente Thamar; Amnon, ſtruprante *2. Reg. 13.*
ſororem ſuam; Olopherne, præcipitanter, & inconſideratè *Iudith. 12.*
in manus Iudith ſe tradente, &c. Elongatio in Dauide, qui *& 13.*
ferè per annum integrum manſit impœnitens; in Salomone, *2. Reg. 11.*
vsque ad idola colenda perducto, &c. Diſſipationis fidem *& 12.*
facit idem Salom. Prou. 29. *Qui nutrit ſcortum perdet ſub-* *3. Reg. 11.*
ſtantiam. Vilitas, Deut. 23. explicatur: *Non accipies* *Prou. 29.*
mercedem proſtribuli; & Eccli. 19. *Omnis mulier, quæ eſt for-* *Deut. 23.*
nicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur, & Dauid. Pſal. 82. *Eccli. 19.*
Diſperierunt in Endor, facti ſunt, vt ſtercus terræ; nec non *Pſal. 82.*
Eſa. 4. *Quaſi cadauer putridum non habebit conſortium.* *Eſa. 4.*
Mendicitas Eccli. 19. *Ne des fornicarijs animam tuam in* *Eccli. 19.*
vllo, ne perdas te, & hæreditatem tuam. Et idem cap. 9. *Pro-* *Eccli. 9.*
pter ſpeciem mulieris multi perierunt, &c. Sed ad rem.

Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit, ecce *Luc. 15.*
temeritatem. *Et, non poſt multos dies, congregatis omnibus,* *cum ſeqq.*
adoleſcentior filius, ecce præcipitem reſolutionem. *Peregrè*
profectus eſt in regionem longinquam, ecce elongationem.
Et ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam, &c. ecce diſsipationem.
Miſit illum in villam, vt paſceret porcos, ecce vilitatem.
Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci mã-
ducabant, & nemo illi dabat, ecce mendicitatem.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

EX peccato carnis multa, & hæc quidem grauia, damna
hominibus prouenire, teſtantur, & ſacræ litteræ, & SS.
PP. Id enim intellectum excœcat: *Supercecidit ignis* (luxu- *Pſal. 57.*
riæ) *& non viderunt Solem* (Chriſtum) Voluntatem depra-
uat: *Non dabunt cogitationes ſũas, vt reuertantur ad Do-* *Oſe. 5.*
minum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum. Animam
coinquinat: *Qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea.* Pro- *Eccli. 13.*
pter delectationem ad reiterationem inclinat: *Fornicati* *Oſe. 4.*
ſunt, & non ceſſauerunt. Diabolo ob viles illecebras animã
pretioſam vendit. *Quanta iniquitas, quanta peruerſitas,*
inquit

August. inquit Aug. lib. de honeſta. mul. cap. 30. *vt animam, quam
Chriſtus ſuo ſacro ſanguine redemit, luxurioſus quiſque, pro-
pter vnius momenti delectationem libidinis, diabolo, peſſimo
inimico ſuo, vendat, ac tradat. Verè nimirum miſeranda, &
plangenda conditio eſt, vbi citò præterit, quod delectat, &
permanet ſine fine quod cruciat.* Hominem cunctis inimicis
Eccli. 18. ſuis ridiculum facit, eosque lætificat: *Poſt concupiſcentias
tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si praſtes animæ
tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.*
Denique, vt ignis, omnes ſpirituales perfectiones, & cæleſtia
Iob 31. dona, in anima exiſtentia, deuorat: *Ignis vſque ad conſuma-
tionem deuorans.*

Accedunt his, & alijs innumerabilibus malis, ſex principalia, ac præcipua mala, in hoc Euangelio expreſſa, ſcilicet, temeritas, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

OMnium hominum, tum iuſtorum, tum pecca-
torum, tum tandem pœnitētium in hoc Euan
gelio deſcribi naturam, & proprietatem. Iu-
ſtorum quidem: Nam proprium illorum eſt,
Luc. 15. *ſeniores eſſe, in agro operari, non otioſè viuere,*
cum ſeqq. *mandatum Dei nunquàm præteriſſe, nunquàm hædum cum
amicis epulatos eſſe, & omnia patris ſua eſſe.* Peccatorum ve-
rò, *eſſe adoleſcentiores*, vera, ac matura conſideratione ca-
rentes, *diuidere ſubſtantiam, atque illam, in longinqua re-
gione, viuendo luxurioſè, diſſipare, famem ſpiritualem pati,
porcos paſcere, & rebus temporalibus ſatiari non poſſe.* Pœni-
tentium tandem proprium eſt, *in ſe reuerti, cogitare diuitias
paternæ domus, proponere ſurgere, & ire ad patrem, atque co-
ràm eo propria confiteri peccata.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

IMmenſitas beneficiorum Dei, omnium modum, omnemque excedens menſuram, ab humana virtute ſufficienter

cienter explicari non poteſt. Vndè Dauid per horas ſingulas, & momenta cuncta ea conſiderans, dicebat: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Quaſi diceret, ſecundùm Hieron. ſuper Pſal.125. *Quid habeo dignum, quod illi pro tantis beneficijs retribuam? Quodcunque illi dedero ipſius eſt, & magis illi reddo, quàm dono.* Idcircò Chryſ. in Lib. de compunct. cordis: *Et ſi milliès moriamur, & ſi omnes animi virtutes expleamus, nihil dignum gerimus, ad ea, quæ ipſi percipimus à Deo.* *Pſal.115.* *Hieron.* *Chryſoſt.*

Inter omnia autem omnipotentis beneficia, hoc præcipuum, & admirandum videtur, vt homines dicantur, & ſint filij Dei, Deumq́ue verè, ac realiter patrem vocare poſſint. Vndè 1. ſuæ Can.3. dicit B. Ioan. Apoſtolus: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Iſta enim filiatio ſpiritualem illam generationem arguit, de qua Paul. ad Rom.8. *Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Super quæ verba D. Thomas inquit, quòd, *ſicut filij carnales generantur à patre per ſemen carnale, ita filij ſpirituales procedunt à Deo Patre per ſemen ſpirituale, quod eſt Spiritus Sanctus.* Arguit etiam ſimilitudinem, qualis communiter inter patrem, & filium reperitur. Arguit quoque hæreditatem: *Si enim filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* In patre autem arguit amorem præcipuum, curam, diligentiam, ſollicitudinem, facilitatem ad veniam, & omnia illa, quæ in patre carnali erga filium communiter conſiderantur. *1.Ioan.3.* *Rom.8.* *Thomas.* *Rom.8.*

Hanc noſtram dignitatem non ſolùm dum boni ſumus, verùm etiam (quò ad aliqua) dum peccatores, dum pœnitentes, in propoſita parabola hodierni Euangelij nobis cōfirmat Chriſtus, dum ſe ſimilem dicit homini, qui habuit duos filios, vnum iuſtum, alterum peccatorem, & peccatorem, aliquando peccatorem, aliquando pœnitentem. Quorum conditiones, & proprietates exprimuntur in ea, vt, qui boni Dei filij ſunt, in bonitate perſeuerare conſtituant; qui peccatores, à peccato reſurgere, & ad Patrem currere proponant, & qui tandem pœnitentes, in recuperata iuſtitia vſque ad finem vitæ durare, firma voluntate decernāt. Iuſti filij conditiones, & proprietates ſunt, *ſeniorem eſſe, in agro degere, &c.* vt ſupra. *Luc.15.*

TER-

TERTIA INVENTIO EST,

DOmum patris familias eſſe mundum hunc. Symphoniam,& chorum eſſe muſicam, & concentum,quo mundus conſtat. Maiorẽ natu, qui hanc ſymphoniam, & chorum audit,eſſe,vel angelum,reſpectu hominis, aliarumque creaturarum; vel hominem, reſpectu cæterarum inferiorum creaturarum;vel hominem, reſpectu cæterarum inferiorum creaturarum;vel Iudæorum populum,reſpectu Gentilis; vel Chriſtianum,reſpectu & Gentilis, & cuiuſcunque alterius. Dicendum ergo conſequenter ad propoſitam Inuentionem, & de materia hæc concio tota formanda.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

BEnedictus Deus cum amico ſuo Iob loquens, eique narrans mirabilia,quæ fecit ab initio; quibus, non eſſe ſibi ſimilem,probare intendit, poſt nonnulla, à ſe diuinitùs operata,& eidem Iob in memoriam reuocata, inquit tandem: *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet*? Quaſi dicere vellet: Quis hominum vnquam,licèt multùm ſcire præſumat,acieque ſui naturalis intellectus quæcunque creata penetrare ſibi arroget, cœlorum rationem ad plenum intelligere,& enarrare valebit? eorum explicans materiam,compoſitionem, qualitates, affectiones, proprietates, virtutes, influentias? &c. Et quis etiam,apprimè eruditus,concentum cœli,cuiusmodi ſit,explicare poteſt? an,ſcilicet, ſenſibilis? an intelligibilis? quomodo cauſatus? qua ratione formatus? an perpetuus? an interruptus? an ſemper perſtrepet? an aliquando obdormiat? &,ſi quandoque dormit, quis illum dormire faciat? *Quis enarrabit cælorum rationem, &c.*

Iob 38.

Cœlorum rationes explicant Philoſophi, iuxta Ariſt. doctrinam:

ctrinam: *De cœlo, & mundo.* Explicant Aſtrologi, iuxta placitum Ptolemæi, Albumaris, Auempaces, & cæterorum. Explicant tandem Theologi in 2. Sent. diſt. 14. Eorundem concentum explicauimus & Nos in quadam Inuentione. At quomodo iſte concentus dormiat, explicant Hieron. ſuper Iob 38. & Greg. 3. Mor. 7. 8. & 9. dicentes; tunc dormire cœlorum concentum, cùm angelorum cantus, & concordes laudes, cœleſtiumque ſpirituum gaudia (qui cœli myſticè vocantur) à reproborum cordibus, iuſto Dei iudicio, abſconduntur. Adeò quòd, ſecundùm quid, & non ſimpliciter dormire dicitur. Dormit enim non quò ad ſe, ſed quò ad alios; non abſolutè, ſed reſpectiuè. Vel talis concentus dormire dicitur, ſecundùm Rup. 3. de glorif. Trin. 14. cùm angeli, eiecto Lucifero, in Deo magna cum pace quieuerunt. Vel, cùm in patria, conſummato ſæculo, vaticinia Prophetarum, & SS. prædicatio ceſſabit. Vel tandem, quicunque ſit ille concentus, vel angelorum, vel ſanctorum, vel quorumcunque, tunc dormire dicitur, cùm rudiores illum non percipiunt, aut ij, qui ſe ſapientes putant, non rectè intelligũt. Ita quòd, licèt in ſe nunquàm deficiat, nunquàm quieſcat, dicitur tamen dormire, vel quò ad non percipi, vel quò ad malè intelligi. Dormiat quibus vult, ſeniori patris filio dormire non poteſt; nam ex agro reuerſus, è mundanis occupationibus paululùm ſegregatus, & ad ſe ipſum receptus, audit ſymphoniam, & chorum in hac magna domo mundi, omneſque Dei creaturas in maxima proportione, & ſymmetria conſtitutas intelligit. Dicamus ergo, concentus huius auctorem eſſe patrem familias; locum, eſſe magnam domum mundi; & concentum, vel illum eſſe, de quo Nos loco citato, vel tot, quot modis myſticè in ſacra Scriptura accipiuntur cæli, &c.

Ariſtot. *Ptolem.* *Album.* *Auempac.* *Scholaſt.* *3. Fer. 4. Cine.* *Hieron.* *Gregor.* *Ruper.* *3. Fer. 4. Cine.*

QVARTA INVENTIO EST,

TRes *ex ordine* (vt D. Amb. lib. 7. in Luc. cap. de centeſima oue, verbis vtar) *Lucam parabolas proponere; ouis, quæ perierat, & inuenta eſt; drachmæ, quæ perierat, & inuenta eſt; & filij, qui erat mortuus, & reuixit*, vt, triplici

Ambr.

remedio prouocati, vulnera noſtra curemus. Chriſtus, vt paſtor, te ſuo corpore vehit; quærit, vt mulier, Eccleſia; recipit Deus Pater. Prima miſericordia, ſecunda ſuffragatio, tertia reconciliatio.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

INter nonnulla diuinæ electionis ſigna, bonorum operum exercitatio adeò peculiaris eſt, vt in poſſeſſione iã teneamus firma, quod per ſpem expectamus in nobis conſummari per gloriam. In quibus iam diu exercitatus Iob dicebat: *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum.* (Iob 29.) Ille enim, qui inter electos eſt connumerandus, dicitur oculus cœco, quia per verbum lucet, docendo opera iuſtitiæ. Eſt pes claudo, quia non ſolùm fide, & opere non claudicat, verùm etiam alijs, vt rectà ad cœlum properent, iter oſtendit, vireſque addit. Dicitur etiam pater pauperum, quia pauperes Chriſti magno charitatis affectu complectitur, eiſque manus porrigit adiutrices. Quibus virtutibus profectò deſtituitur, qui in mortali viuit, charitate deſeritur, iuſtitia priuatur, &, extra meritorias operationes, non niſi turpia, non niſi vilia operatur. A quo quidem ſtatu quàm citiſſimè reſurgere deberet, tum propter multa, & innumerabilia beneficia, quæ ex reſipiſcentia à peccato homini proueniunt, tum, vt in ſeipſo efficaciſſimum diuinæ electionis ſignum agnoſcat. Ad quem felicem ſtatum, vt pientiſſimus Dominus Fideles omnes faciliùs reducat, tres, ad id ſpectantes, parabolas in medium profert; ouis, quæ perierat, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO

EST,

QVid vnuſquiſque peccator poſt reſipiſcentiam à peccato in ſui iuſtificatione formali recipiat, Chriſtum Dominum docere, in propoſita parabola iuſtificati peccatoris Adoleſcentis. Recipit enim, antè omnia, in perſona ſto-

lam

lam primam primæ gratiæ, qua formaliter homo, ſecundùm Theologos, iuſtificatur. Secundò, anulum fidei formatæ, meritorijſque operibus coniunctæ, indigito. Tertiò calciamenta in bonorum affectuum in pedibus. Si enim *pes meus affe-ctus meus*, calciamentum, ornans pedes, bonitas affectuum erit, quandoquidem bonus modus rei rem ornat. Quartò, vitulus ſaginatus in gratiam illius occiditur, hoc eſt, Chriſtus (*qui*, quò ad determinationem diuinam, *pro mundi ſalute occiſus eſt ab origine mundi*, & in temporis plenitudine in Caluariæ monte) rurſus pro illo occiditur, hoc eſt, effectus paſſionis eius illi applicatur. Cuius poſteà (& quintum eſt) comeſtione dignus efficitur, dum illi vnitur in ſacramento, quod vnionis vocatur. Ac tandem vltimò audit ſymphoniam, & chorum, ſolùm cœleſtibus, & ſpiritualibus interiorem admouens auditum, pijs meditationibus, de cætero, ſuam vitam inſtituens, ſolis ſpectandis diuinis vacans, cætera faſtidiens, mundana contemnens, & per crebra ſuſpiria, & aſpirationes in Deum tendens. August. Apoc. 13.

Citò proferte ſtolam primam, & induite illum. ecce primũ. *Et date anulum in manu eius*, ecce ſecundum. *Et calciamenta in pedes eius*, ecce tertium. *Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite*, ecce quartum. *Et manducemus, & epulemur*, ecce quintum. *Audiuit ſymphoniam, & chorum*, ecce ſextum. Luc. 15. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVia Deus purus eſt ſpiritus, & omnis imperfectionis expers, ideò ſemper puritate gauiſus eſt, puros voluit habere miniſtros in cœlo, puram matrem in terra, puros diſcipulos, ſibi obſequentes, alioſque Fideles, quales deſcribit Greg. 8. Mor. c. 17. *Sancti viri* (inquit ille) *ad cordis ſecreta ſemper redeunt, & cùm ab hoc mundo, vel vltra votum proſpera, vel vltra vires aduerſa, patiuntur, exteriùs doloribus feſſi, quaſi ſtratum, vel lectulum, cubilia mentis petunt*. Idcircò tantoperè commedatur Iob, qui *ſimplex, & rectus, ac timens Deum deſcribitur*. Super quæ verba idem Greg. *Quiſquis æternam patriam appetit, ſimplex procul du-* Gregor. Iob 1. Gregor.

 bio, ac

bio, ac rectus viuit, ſimplex, videlicet, opere, rectus fide; ſimplex in bonis, quæ exteriùs peragit, rectus in ſummis, quæ in intimis ſentit. Qua ſimplicitate, & puritate præditi homines, fæliciſſimi ſunt, vt, experientia teſte, idem Greg. 12.
Idem. Mor. 61. c. probat, inquiens: *Nihil ſimplici corde fælicius, quia enim innocentiam erga alios exhibet, nihil eſt, quod pati ab alijs formidet.* Vndè iure meritò hortabatur Dominus
Matt. 10. diſcipulos ſuos, *eſſe prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbas.*

Hac puritate deſtituuntur, qui peccatis obnoxij ſunt, cùm
Eccli. 3. habeant *cor ingrediens duas vias*, non ambulent cum Deo confidenter, animam maculatam, ac fœdatam habeant vitijs, & culpis, ac voluntatem terrenis actibus implicatam, errorumque ſordibus commaculatam. Qualis erat Adoleſcens, profectus in regionem longinquam, & viuens luxurioſè cum mæretricibus. Ad quam tamen tunc redijt, cùm ad Patrem reuerſus eſt, qui ab illo fætorem abſtulit, & puritati conuenientia ornamenta ei donauit. Recepit enim primò, pro ſordida veſte, quam depoſuit, ſtolam primam; expurcatas manus non ſolùm abluit, ſed & anulum, ad decorem accepit; pedes nòn ſolùm emundauit, ab eiſque ſordes excuſſit, verùm etiam pulcherrimis calciamentis illos contexit; vilibus, & immundis non ſolùm ſe ampliùs non polluit, ſed saginatum vitulum, pro ſe occiſum (iam dignus effectus) comedit. Ac tandem ſpirituales aures nō ſolùm vanis cantilenis, & mundanis fabulis de cætero non præbuit, ſed cœleſtem ſymphoniam, & chorum audire meruit, &c. vt ſupra.

DOMI-

DOMINICA TERTIA.

Erat Ieſus eijciens dœmoniũ, &c. Luc. 11. *Luc.11.*

PRIMA INVENTIO EST,

QVia prima huius Euangelij verba ſunt: *Erat Ieſus eijciens dœmonium,* ideò in tota concione nihil aliud probetur, quàm, Ieſum ſemper fuiſſe, eſſe, & fore eijcientẽ dœmonium. Quod quidem probari poterit, tum ex ratione conditionis vtriusq́ue extremi, ad inuicem repugnantis, tum ex ratione finis, tum tandem ex ratione temporis, & loci. Primum tangit D. Paulus: *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?* *2.Cor.6.* Secundum ex parte Chriſti aperit etiam D. Paul. *Hæc eſt enim voluntas Dei ſantificatio veſtra.* *1.Theſ.4.* Nec nõ ipſe Chriſtus: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant;* *Ioan.10.* atq́ue Ioan. in calce ſui Euangelij: *Vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* *Ioan.20.* Ex parte autem dœmonis totum oppoſitũ conſiderandũ eſt. Vult enim, *vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui in ſordibus non eſt, ad ſordes ſe incuruet;* *Apoc.22.* propterea enim ſuggerunt dœmones: *Incuruare, vt tranſeamus.* *Eſa.51.* Tertium patet, quò ad tempus, in bello Luciferi cum Verbo, in ſuæ creationis primordijs, & in continua eiuſdem, per membra ſua, cum Deo pugna. A qua nunquã deſtitit, nec deſiſtet, quòusq́ue *interficiat Chriſtus Antichriſtum ſpiritu oris ſui, &c.* *2.Theſ.2.* Et quòad locum, cùm Ieſus dœmonium eiecerit, & è cœlo, & è paradiſo terreſtri, & de templis, ſimulachris, ac deſertis, tandemq́ue ex hominum cordibus, &c.

Vel dicendum: Hanc eiectionem probari à contrarietate

duarum ciuitatum, duarum congregationum, duorum re-
gnorum, & duorum exercituum. Cùm enim duæ ciuitates
referantur, à contrarijs amoribus ædificatæ (de quibus Aug.
in toto proceſſu libb. ciuit. Dei, & præcipuè libro 14.) non
ſolùm ciuitates contrariæ ſunt, verùm & Principes earum.
Apoc. 21. Contrariæ ſunt ciuitates; nam prima luminoſa eſt: *Lucerna*
Iob 10. *eius eſt Agnus*; ſecunda tenebroſa: *Operta mortis caligine*.
Eccleſia. Prima portas habet, nitentes margaritis: *Portæ nitent mar-*
Apoc. 21. *garitis*; ſecunda æreas, & nigras: *Contriuit portas æreas, &*
Pſal. 106. *vectes ferreos confregit*: Prima habet plateas, & muros ex
Eccleſ. ex auro puriſſimo: *Plateæ, & muri eius ex auro puriſſimo*; ſe-
Apoc. 21. cunda ex flammis ardentibus, & niuibus gelidiſſimis: *Ab*
Iob 24. *aquis niuium tranſibunt ad calorem nimium*. Prima habet
Eſa. 32. perpetuam pacem, & concordiam: *Sedebit populus in pul-*
chritudine pacis; ſecunda ſempiternum horrorem, & conti-
Iob 10. nuam confuſionem: *Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror*
inhabitat. Prima ciues, & habitatores habet angelos, & cæ-
Pſal. 83. teros beatos: *Beati, qui habitant in domo tua Domine*; ſe-
Matt. 25. cunda dæmones, & damnatos. *Ibunt hi in ſupplicium*
æternum. Prima poſſidet veram, & ſempiternam vitam:
Ioan. 10. *Ego vitam æternam do eis*; ſecunda, ſempiternam mortem:
Pſal. 48. *Et mors depaſcet eos*. Et, in ſumma, primæ ciuitatis Rex eſt
Eccleſia. Chriſtus: *Rex Regum, & dominus dominantium*; ſecundæ
Iob 41. verò dæmon; *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Quo-
rum quidem duorum Principum, ad inuicem pugnantium,
quia ſemper victus eſt Princeps ciuitatis infernalis, idcircò
Luc. 11. vera eſt propoſitio, quòd *Ieſus eſt eijciens dæmonium*.

Secundò, cùm duæ congregationes reperiantur, Eccleſia,
Pſal. 149. ſcilicet, Chriſti, in qua eſt congregatio Sanctorum: *Laus*
eius in Eccleſia Sanctorum, & congregatio Satanæ, in qua
Pſal. 25. eſt congregatio peſſimorum hominum: *Odiui Eccleſiam ma-*
lignantium, primæ Eccleſiæ Prælatus ſecundæ oppoſitæ Ec-
cleſiæ Præfectum anathemate innodatum, ſemper confudit,
Luc. 11. & à ſua facie eiecit, & *fuit eijciens dæmonium*.

Tertiò, cùm duo regna referantur, regnum, ſcilicet, Chri-
ſti, & regnum Satanæ; regnum Chriſti, de quo ſcriptum eſt:
Pſal. 144. *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum*, & regnum Sata-
Luc. 11. næ, de quo ipſemet Chriſtus: *Si Satanas in ſe ipſum diuiſus*
eſt, quomodo ſtabit regnum ipſius? & contraria ſint hæc re-
gna (Primum enim regnum menſuratur profunditate fidei,
altitu-

altitudine ſpei,& latitudine charitatis;ſecundum verò profunditate auaritiæ; altitudine ſuperbiæ, & latitudine luxuriæ: In ſuo Chriſtus habet pro ſede Cherubim, pro ſceptro iuſtitiam,pro corona gloriam, pro purpura charitatem, & pro duratione æternitatem. In ſuo Lucifer habet pro ſede flammas,pro ſceptro odium Dei,pro corona ſuperbiam,pro purpura tenebras, & pro duratione æternas pœnas) non mirũ, ſi horum regnorum Reges, ſemper ad inuicem oppoſiti, ſemper commiſere bellum. Et quia ſemper victoriam reportauit Chriſtus,ſemper *fuit eijciens dæmonium.* *Luc. 11.*

Quartò,& vltimò, cùm duo exercitus deſcribantur (de quorum altero ſcriptum eſt: *Caſtra Dei ſunt hæc. Caſtrorũ acies ordinata,&c.* & de ſecundo: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra,non timebit cor meum)* horum exercituum generales Duces,Chriſtus, *Deus exercituũ,* & dœmon, a *qui factus eſt, vt nullum timeat,* quia ſemper ad inuicem inimici, ſemper etiam decertarunt. Et quia *nemo poteſt facere,quod facere præualet Deus,* idcircò ſemper ſuperatus eſt Satan, inimici exercitus anteſignans,& *Ieſus fuit eijciens dæmonium.* *Gen. 32. Cant. 6. Pſal. 26. Pleriſq; in locis ſacræ Script. a Iob 41. Gregor. Hom. 34. Luc. 11.*

Introductio ad Inuentionem,& ad totam ſimul Concionem.

ESaias Propheta mundo prædicens, quæ facturus erat Dominus,ſub noſtra mortalitate diabolum debellaturus,inquit: *Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis,& in cauernam reguli,qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Perinde, ac diceret: Paruulus, vix ablactatus, penè auulſus ab vberibus, tantam expectationem concitabit,ſe in ætate perfecta,per antra,& ſpeluncas domiturum dracones,ſuffocaturum ſerpẽtes,vt, adhuc tenellus,paruula manu, infirmis digitis, è foraminibus terræ aſpides extrahere, eoſque occidere delectetur. Nec deſiſtet, quò ad vſque tandem in cauernam reguli manum ſuam immittat, eumque ſtrangulet,vitaque priuet. paruulus iſte ille eſt, de quo ſcriptum extat: *Paruulus natus eſt nobis,&c.* Chriſtus Dominus, inquam, qui paruulus per innocentiam, tenellus per aſſumptam humanitatem,aſpidem illam,de qua Dauid: *Sicut aſpidis ſurdæ,&c.* ex foraminibus humanorum corpo- *Eſa. 11. Eſa. 9. Pſal. 57.*

rum propria virtute eiecit, obſeſſos à dœmonibus liberans. Et poſtremò in ligno Crucis, anima Deo patri reddita, in cauernam reguli deſcendit, ibique, *pede conculcans tartara*, diabolicam poteſtatem ſibi penitùs ſubiecit. Congruè autem, duobus vſum fuiſſe Chriſtum Dominum, ad eijciendum dœmonem, innuit Eſaias, digitis, ſcilicet, & manu: Digitis, dum, veluti paruulus, iocans, & ludens, ſuper foramine aſpidis delectatus eſt; manu verò, dum, grandior effectus, in paſſione ſua Principem huius mundi eiecit foras, regulumque, aliorum ſerpentum Regem, domuit, ac potenter ſubiecit. Quam quidem differentiam, digitorum, ſcilicet, & manus, quibus diuerſimodè in operibus ſuis vtitur Deus, tangit alibi Spiritus Sanctus, creationem mundi, & paſſionem Chriſti commemorans, & creationem digitorum opus eſſe affirmans, redemptionem verò manuum. *Opera digitorum tuorum ſunt cœli*, inquit Dauid, Dominum alloquens, & creationem recenſens. *Manum ſuam miſit ad fortia*, inquit Salom. Prou. 31. de illo loquens, & paſſionem enarrans. Quando ergo poſt paſſionem ſuam totaliter Dominus diabolum eiecit, ac tortuoſum, callidumque ſerpentem contriuit, manu illum vſũ fuiſſe, dicit Eſaias. Quando verò, adhuc viuens, dœmonia è corporibus eiecit, non completè potentiam ſuam oſtendens, veluti paruulum, digitis eum vſum fuiſſe, affirmat. Idcircò enim dicit: *Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis*, pro primo; et: *qui ablactatus fuerit in cauernam reguli manum ſuam mittet*, pro ſecundo. Poſterius recenſent omnes Euangeliſtæ, primum hodie Lucas, licèt ſuis locis narrent etiam Matthæus, & Marcus.

Eccleſia. *Pſal.* 101. *Heb.* 1. *Prou.* 31. *Eſa.* 11. *Matth.* 9. & 12. *Marc.* 3.

Lucam nos etiam in hac concione ſequentes, oſtendemus, non ſolùm ſemel, atque iterum Chriſtum benedictum fuiſſe eijcientem dœmonium, ſed ſemper ab initio, ante, & poſt ſuam incarnationem. Propoſitio enim: *Erat Ieſus eijciens dœmonium*, quia indefinita, indefinitam etiam actionem, & dœmonis continuam eiectionem demonſtrat. Quod verum eſſe oſtendemus, tum ex parte conditionis vtriuſque, &c. vt ſupra.

Luc. 11.

SECVN-

SECVNDA INVENTIO EST.

IN hac dæmonis eiectione tria præcipuè conſideranda, ingreſſum, ſcilicet, illius, manſionem, & exitum. Circa primum doctè, fundatèque inquires: An propria virtute, an Deo ſolùm permittente ingrediatur. An exigentibus hominum culpis, vel etiam meritis. An tantùm in corpus, vel etiam in animam habeat poteſtatem. Quibus de cauſis ingrediatur, & ſimiles quæſtiones pertractare habebis. Quantùm ad ſecundum, ingreſſus, & manſionis illius effectus tres dices eſſe præcipuos: Hominem, ſcilicet, mutum, cæcum, & ſurdum reddere. Quòd enim mutus fuerit iſte, de quò in Euangelio fit mentio, teſtimonium perhibent Lucas, & Matthæus. Quòd verò fuerit ſurdus, aſſerit idem Matthæus. Quòd tandem cæcus, addunt Hieronymus, & Teophilactus. Quæ quidem tria pro myſtica interpretatione non paruam dicendi copiam tibi ſuppeditabūt. Effectus tandem, exitum dæmonis concomitantes, tres etiam ſunt: Vnus in perſona dæmoniaci curati, ſecundus in turbis, tertius in Phariſæis. Homo enim ille, à vexatione dæmonis curatus, ſtatim locutus eſt: *Et, cùm eieciſſet dæmonium locutus eſt mutus.* Turbæ admiratæ ſunt: *Et admiratæ ſunt turbæ.* Et Phariſæi miraculum calumniati ſunt, dicentes: *In Beelzebub, principe dæmoniorū, eijcit dæmonia.*

Luc. 11. Matth. 9. & 12. vbi ſupra. Hieron. Teophil.

Luc. 11. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SI talis, ac tanta eſt hominis dignitas, atque excellentia, vt ſolùm propter conuenientiam quandam, & ſymbolum, quem habent aliæ creaturæ cum ipſo, tanti æſtimentur inter animalia quadrupedia Simię, inter aues Pſitaci, inter piſces Syrenæ, inter frutices Mandragoræ, & inter gemmas Camæi, quid nam erit, quæſo, mirabilis hominis ipſius ſtructura? in quo curioſi inueſtigatores omnes planetas, & ſupe-

& ſuperiores cœlos metaphoricè contemplantur; duos eius oculos, dicentes eſſe Lunam, & Solem; duas aures Martem, & Mercurium; duas nares, Saturnum, & Iouem; os, Venerem; intellectum, Firmamentum; memoriam, Chriſtallinū cœlum; & voluntatem, primum mobile? Et quid mirum, ſi,propter tantam eius excellentiam, ac dignitatem, omnis ſpiritus, mente præditus, dominium illius deſiderat, in illo ius habere affectat? Et ſi immundum dœmonium, è cœlo eiectum, quaſi nobiliſſimam manſionem, & commodam domum, illius corpus maxima cum induſtria ſemper procurauit? Et, ſi Dominus Ieſus (quæ eſt ſua bonitas,& clementia) tamquàm legitimus hominis dominus, illud è corpore energumenorum, vt peſſimos effectus, quos in eis per ſuum ingreſſum producit, ceſſare faceret, alioſque, penitùs contrarios, induceret, ſemper eijcere ſtuduit?

Sed,quæſo, vt plenam huius doctrinæ intelligentiam conſequamur, inquiramus, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

Hominem dœmoniacum in anima, omnes illas proprietatas in ſe habere, & omnia illa ſibi conuenire, quæ de ſatana hodie dicuntur à Chriſto. Si enim diaboli membrum diabolus eſt, aſſertore Chriſto, qui de Iuda, diaboli membro, dixit alijs diſcipulis: *Et vnus ex vobis diabolus eſt*, citra iniuriam, & ſatis congruè, etiam diaboli proprietates talibus membris conuenient, applicarique illis poterunt. Cùm ergo de ſatana hodie dicatur, eſſe eiectum, victum, ſpoliatum, aduerſùm eſſe, diſpergere, immundum eſſe, & nequam, ac nequiorem. *Si autem fortior illo ſuperueniens, vicerit eum*, ecce victum eſſe. *Et ſpolia eius diſtribuet*, ecce ſpoliatum eſſe. *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit*, ecce aduerſùm eſſe & diſpergere. *Cùm immūdus ſpiritus exierit ab homine*, ecce immundum eſſe. *Aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus, nequiores ſe*, ecce nequam, & nequiorem eſſe.

Ioan. 6.

Luc. 11. cum ſeqq.

De homine quoque ſatanæ membro, hæc omnia dici poterunt,

terunt,& ſatis propriè. Si enim de ſatana dicitur, eiectum eſſe,de ſemetipſo, ſatanæ membro,dicit Cain, cum Deo loquens: *Ecce,eijcis me hodie à facie tua*. Et de primo homine peccante,poſt peccatum ſtatim eiecto,legimus: *Eiecitque Dominus Adam*. Si de ſatana dicitur,eſſe victum,de peccatore ſub nomine Moab,dicitur Iere. 48. *Confuſus eſt Moab, quoniam victus eſt*. Per Moab autem peccatores,& diaboli membra ſignificari,docent Hieron. ſuper Eſa. 15. ſuper Pſal. 82. ſuper Ezech. 25. ſuper Amos 2. & ſuper Soph. 2.Orig. ſuper Gen. Hom. 5. & ſuper Exo. Hom. 6. Greg. ſuper 1. Reg. 14. Baſil. & Hila. ſuper Pſal. 59. & Rup. ſuper Soph. 2. Si de ſatana dicitur, ſpoliatum eſſe, de peccatore, iræ Dei ſubiecto,Eſa. 10. legimus,Dominum loquentem: *Ad gentē fallacem mittam eum*(& loquitur de Aſſur, ſignificante diabolum, Aug. ſuper Pſal. 82. Greg. 9. Mor. 5. Beda ſuper Gen. 2. & Hieron.ſuper Iere. 2.) *& contra populum furoris mei mandabo illi,vt auferat ſpolia; & diripiat prædam, & ponat illum in conculcatione,quaſi lutum platearum*. Si de ſatana dicitur, aduerſum eſſe, peccatorem mille in locis legimus in Scripturis, contrarium eſſe Deo, ſed præcipuè Deut. 1. *Locutus ſum, & non audiſtis, ſed, aduerſantes imperio Domini,& tumentes ſuperbia, aſcendiſtis in montem*. Et Pſal. 3. *Aduerſantes mihi ſine cauſa*. Et 34. *Qui aduerſantur mihi iniquè*. Et 73. *Irritat aduerſarius nomen tuum in finem*,& alibi ſæpè. Si de ſatana dicitur, diſpergere, de peccatore quoque legitur, in perſona adoleſcentioris filij patris familias,omnem ſubſtantiam ſuam diſſipaſſe;& Iere. 3. dicit Dominus peccatrici animæ: *Veruntamen ſcito iniquitatem tuam; quia in Dominum Deum tuum præuaricata es,& diſperſiſti vias tuas alienis ſub omni ligno frondoſo, & vocem meam non audiſti*. Si de ſatana dicitur, immundum eſſe,de anima, coinquinata ob peccatum,dicit Dominus per Ieremiam c. 2. *Si laueris te Nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith,maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus*. Si tandem de Satana dicitur, eſſe nequam, & nequiorem, per ſuperlatiuum, & excedentiam hoc dicitur etiam de hominibus malis,Sap. 3. *Nequiſſimi filij eorum*.

Gen.4. Gen.3. Iere.48. Hieron. Origenes. Gregor. Baſilius. Hilarius. Ruper. Eſa.10. Auguſt. Gregor. Beda. Hieron. Deut.1. Pſal.3. Pſal.34. Pſal.73. Iere.3. Iere.2. Sap.3.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DOemonis potentia cùm maxima ſit, immò talis, ac
Iob 41. tanta, vt Iob affirmare audeat, *non eſſe poteſtatem, quæ poſſit ei compararı ſuper terram*, non mirum eſt, ſi ante incarnationem Chriſti, quando & attrahendi, & impellendi poteſtatem habebat etiam ſanctiſſimi viri de illius impetu, ac ferè ad malum violentia conqueſti ſunt; & Deum, vt illos ex eius manibus liberaret, inſtantiſsimè rogauerunt. Vndè
Pſal. 17. Dauid, ad Dominum conuerſus, petebat: *Libera me de inimicis meis fortiſſimis*. Et, ad alios ſermonem conuertens, ac
Pſal. 37. violentas præſſuras, quas patiebatur, referens, aiebat: *Vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Et certè, ſi Scriptu-
Merc. Triſ. ris Doctorum ſententias iūgere volumus, primus Ægyptiorum Sacerdos, *dæmonium improbam cogitationem* appellauit, *malorum operum principium, naturæ ſtimulum, ad bonum*
Tertul. *conturbans, ſemper mala ſuggerens*. Tertullianus, *operationē*
Lact. Fir. *eius*, dixit, *eſſe ſubuerſionem hominis*. Et Lact. Firm. aſſerit, dæmonem *naturalem inflammare ardorem, vitiji pabula, &
Dan. 3. fomenta miniſtrare, eiusque typum Babilonios gerere, in triū puerorum incenſam fornacem affatim picem ligna, aliasque ignis eſcas iactantes.* Origenes *cadentium ruinam* eum ap-
Origenes. 2. Cor. 4. pellat. Et Apoſtolus Paulus *Deum huius ſæculi.*

Hac dæmonis maxima poteſtate ſic intellecta, ac per Scripturas, & PP. præſuppoſita, ſi conſequenter philoſophari, ac theologari voluerimus, dicendum vtique nobis erit, quòd ſicut aliæ creaturæ maximæ actiuitatis, debiliores, & impotentiores ad reſiſtendum, deſtruunt, ac in ſui naturam conuertunt, vt patet de igne; & brutis, ſe inuicem deuorantibus, ita etiam dæmonem, qui maximæ virtutis eſt, & potentiæ, cùm hominem obſederit, rapuerit, ac deuorauerit
1. Pet. 5. (*circuit enim, vt deuoret*, & aliquando deuorare illi contingit, vt teſtatur Amos 3. cap. valorem Chriſti, iam deglutitā ouem ex ore Leonis infernalis extrahentis, commemorans:
Amos 3. *Quaſi, ſi eruat Paſtor extremum auriculæ, aut duo crura de ore Leonis*) ita illum in ſui naturam conuertere, vt iam non ampliùs homo, ſed dæmon appelletur, illiusque proprietates ei conueniant, &c. vt ſupra.

QVAR-

QVARTA INVENTIO EST,

TRiplicem ad Deum rationem, & reſpectum dœmonium habuiſſe,ab initio,ſcilicet,ſubditi, amici, & filij. Subditus enim illi fuit, & eſt per creationem, amicus fuit per gratiam, & filius primogenitus inter omnes creaturas per æuiternitatē. At, vbi Deo ſubeſſe noluit, immò illi ſimilis fieri appetijt, è ſubdito factus eſt impius rex,ex amico peſsimus inimicus,& ex filio contra Patrem ſæuus armatus. *Si autem, & ſatanas in ſe ipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum ipſius?* ecce primum. *Qui non eſt mecum contra me eſt*, ecce ſecundum. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum*,ecce tertium. *Luc.* 11. *cum ſeqq.*

Regnum Diaboli ſuper homines in tribus præcipuè conſiſtit, in dominio,nimirum,ſuper eorum animam, corpus,& externa bona. De primo namque: *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, &c.* De ſecundo: *Et illud erat mutum.* Et de tertio:*Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum,in pace ſunt omnia,quæ poſſidet.* Poſſeſſorum à dœmone duobus primis modis exempla frequentiſſima ſunt; tertij modi verò Iob, cuius *ſatanas omnem ſubſtantiam perdidit*. Inimicitia eius cum Deo perpetuatur ex eius ſuperbia; de ea enim legitur: *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*; ex conditione ſtatus, eſt enim in termino; & ex priuatione illius formæ, qua formaliter aliquis dicitur Dei amicus. Armamentum deniqne eiuſdem contra Deum ad hoc præcipuè ordinatur, vt Deo cultum, & latriā auferat,& homini ad illas ſedes aſcēsū prohibeat,à quibus ipſe miſerrimè cecidit. *Iob* 1. *Pſal.* 73.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MAximam metamorphoſim facere rationales creaturas per peccatum, tum ſacra Scriptura, tum SS. PP. doctrinis conſtat. Illi enim, qui priùs filij erant lucis, efficiuntur

ciuntur filij tenebrarum; qui erant rationales, efficiuntur bruta; qui erant ſpirituales, efficiuntur carnales; qui erant, veluti ciuitates plenæ diuitijs, efficiuntur deſolatæ; qui erãt veluti vineæ fructificantes, efficiuntur direptæ; qui erant, veluti agni, efficiuntur lupi, ac tandem qui erant, veluti ſtellæ lucentes, ne dum ecclipſantur, ſed de cœlo etiam cadunt, tanta eſt peccati malignitas, ac prauitas. Hieronymus enim in Epiſtola ad Demetriam hanc methamorphoſim optimè explicat, inquiens: *Feruentiſſimi in terrenis, frigidiſſimi in cæleſtibus ſumus, diuitiarum amor inſatiabilis eſt, expleri neſcit honorum cupido*. Gregorius etiam 8. Mor. 41. miſerorum mutationem à bono in malum exprimens, inquit: *Aduerſa impatienter ferunt, remiſſè in proſperis lætantur, ſola, quæ adſunt, cogitant, nec ad affectum cæleſtis patriæ vlla recordatione reſpirant. Gaudent ſibi ſuppetere bona, quæ cupiunt, atque, vbi carne requieſcunt, ibi & mentem extinguendo ſepeliunt. Quia, ſæcularis vitæ telo trucidati, terrenarum rerum aggerem, quem foris, exquirendo, multiplicant, hunc ſemper interiùs per cogitationem portant.* Pulcherrimè autem Hieronymus in Epiſtola, quæ incipit: *Ad te ſurgo*, auerſionem hominis iuſti à ſtatu gratiæ deſcribit his verbis: *Tu, qui ſæculum deſtitueras, iterum ibidem inueniris. Qui carnis ſuperbiam depoſueras, ſubmittis humerum, vt iterum portes. Qui auaritiæ dederas dorſum, denuò illi obuiam reuerteris. Qui vanitati remedium dederas, iterum reuerteris in gratiam eius. Qui pompam ſæculi fugiſti, iterum in manus illius incidiſti. Ambulans autem ſuperbus, & elatus ceruice, neſcis ſcriptum eſſe: Quid nobis profuit ſuperbia?*

Hieron. Gregor. Hieron. Sap. 5.

Quæ quidem auerſio, & in malum metamorphoſis, quia tunc fortior, deterior, & irreparabilior fit, quando ille, qui ſe à bono auertit, altioris eſt intellectus, & perſpicacioris conſiderationis, hinc eſt, quòd Doctorum, & eorum, qui aliquando *fuerunt illuminati, & guſtauerunt dona cæleſtia, bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi*, periculoſior ſit caſus, & quaſi impoſſibilis reparatio. Ait enim Chryſ. Hom. 43. oper. imperf. in Matth. *Clerici, ſi malè fecerint, inemendabiles ſunt, laici verò delinquentes facilè emendantur.* Omnium tamen rationalium creaturarum, quia angelus maxima præditus eſt intellectus perſpicacitate, &, dum fuit viator, omnia conſiderauit, quæ longiſſimo tempore conſi-

Heb. 6. Chryſoſt. Ex D. Th. 1. p. q. 64. art. 2. in

conſiderari poterant, omnia proſpexit, quæ ſuperuentura erant, tum bona, tum mala, tum lucra, tum damna, & tamen efficaciter voluit Dei contemptum, propriæ excellentiæ dignitatem, ita magnam fecit à Deo auerſionem, vt ſtatim fuerit in termino, & omnia ſibi remedia ademerit, per quæ ad nouam gratiæ vitam reſurgere poſſit. Non enim noua cogitatio, nouus diſcurſus, vt homines, poteſt intellectum eius illuſtrare, voluntatemque mouere, ad nouum actum circa Deum producendum. Cuncta enim tunc conſiderauit, dum viator fuit, nihil eum latuit, & ex mera malitia, ac prauo voluntatis actu peccauit. Vndè non mirum, ſi tam vehementer à Deo auerſus eſt, tot, tantaſque perniciofas metamorphoſes fecit, quas linguæ centum, oraque centum exprimere non valerent. *corp. q. ibi; Ad inquirendū ergo &c.*

Harum tamen tres à Luca referuntur, ſcilicet, factum eſſe illum, è ſubdito Dei, impium regem, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

QVia dupliciter dæmon rationali creaturæ nocuit, & nocet, ſpeciei, ſcilicet, & indiuiduis. Speciei quidem in terreſtri paradiſo, & deinceps. Indiuiduis verò, corpori, & animæ mala inferendo, idcircò, Dominum Ieſum, quia ſemper fuit eijciens dæmonium, damna hæc omnia abſtuliſſe, & dæmonium inſuper debitis pœnis affeciſſe. Quæ myſteria Ieremias vnico verſiculo perfectè comprehendit, vt in Introductione explicatiùs.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVæcunque fecit olim dæmon aduersùs Dominum ſuum; & Domini ſui creaturas, quæcunque item Chriſtus, vt prauas eius vias deſtrueret, damna tolleret, pœnasque debitas ei infligeret, eleganter Ieremias vnico verſiculo comprehendit, Chriſtum loquentem, & exterrentem dæmonem

Iere. 51. monem introducens: *Et ecce ego ad te, mons peſtifer, qui corrumpis vniuerſam terram, & extendam manum meam ſuper te, & euoluam te de petris, & dabo te in monte combuſtionis.* In quibus verbis prauas dœmonis operationes enumerans, ad quatuor eas reducit capita. Quòd eſt mons peſtifer, quòd corrumpit vniuerſam terram, quòd eſt in petris, & quod incendit; ex combuſtionis enim pœna hoc quartum colligimus, cùm peccatis conformes det Deus, infligatque pœnas: *Per quæ enim quis peccauit, per hæc & punitur.* Sap. 11.

Fuit namque mons peſtifer dœmon in Paradiſo & cæleſti, & terreſtri, inficiendo angelos, quos ſui ſequaces fecit, & homines primos, quos ſeduxit, ac ſubuertit, ex quo peſtiferi montis ſibi nomen vendicauit. Corrupit vniuerſam terram idolatria, & diuinæ legis violatione. Fuit & eſt in petris viuis, & animatis, hominibus, inquam (*petra enim angularis* Chriſtus, petræ ſub angulari homines, *ex quibus conſtruitur in cœlis ſuperna Ieruſalem*) eos vexando. Incendit tandem ſuggeſtione, & inſtigatione ad malum.

Matt. 21. Luc. 20. Ephe. 2. Act. 4. 1. Pet. 2. Eccleſia.

Mala hæc omnia correxit Chriſtus, dœmonemque puniuit. Si enim ille fuit mons peſtifer in vtroque paradiſo, extendit Chriſtus manum ſuam ſuper illum (diximus enim alias, etiam geſta à Deo ante incarnationem, per idiomatũ communicationem Chriſto competere) & eiecit eum de cœlo cum ſequacibus, maledixitque ei in paradiſo terreſtri, pœnam illi duplicem infligendo. Si corrupit vniuerſam terram idolatria, & peccatis, extendit Chriſtus manum ſuam ſuper illum, priùs ſui ipſius Mediatoris notitiam primis illis hominibus reuelando; viſibile ſignum, talem fidem proteſtans, deindè addendo; legem poſtremò, proprio conſcriptam digito, tradendo; & poſt incarnationem medijs diſcipulis ſuis, è templis, idolis, ſtatuis, ac ſimulachris, vbi reſponſa dabat, & in quibus diuinos ſibi honores exhiberi procurabat, eijciendo. Si fuit, & eſt in petris, quæ homines ſunt, eos vexando, euolutus eſt de petris, dum *erat Ieſus eijciens dœmonium* à corporibus obſeſſorum. Ac tandem ſi incendit tentationibus, & ſuggeſtionibus prauis, recepit conformem pœnam internæ combuſtionis, dum, ſuperatus à Sanctis, inceditur. Diriùs tamen cruciandum in fine ſæculi, dum in centro terræ totaliter recludetur, & in combuſtionis montem completè dabitur. Luc. 11.

SECVN-

SECVNDA TERTIAE.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac, & hìc, in patria tua, &c. Luc. 4. *Luc. 4.*

PRIMA INVENTIO EST,

QVia, in compenſationem beneficiorum, quæ in ingratos Nazaræos, conciues ſuos, contulerat Chriſtus, cum eis,per tot annos, vitam agendo; poſt inceptam prædicationem ad eos accedendo; concionem illuſtrem in eorum Synagoga habendo; infirmos eorum ſanando; & ſimilia apud illos operando,legitur in Euãgelio, quòd in fine concionis, propter aliquas benignas reprehenſiones, voluerunt præcipitare illum, ideò,circa hanc præcipitationem doctè, fundatèque diſcurrendum,tria præcipuè de illa conſiderando; ſcilicet impoſſibilitatem,inconuenientiam, ac turpitudinem.

Impoſſibilis erat primò talis præcipitatio: Nam, quæro, quid præcipitare volebant, aut diuinitatem, aut animam, aut corpus, aut totum compoſitum? Non diuinitatem,quia illa, cùm non circumſcribatur, nec definiatur à loco, ad locum moueri non poteſt. Maximè, quia mobile de loco ad locum, in loco, ad quem mouetur, non eſt; alioquin fruſtra tenderet ad vbi,quod iam haberet:Diuinitas autem vbique eſt, cùm non ſit locus, in quo non ſit, ait enim Deus de ſe: *Cœlum, & terram ego impleo.* Non animam, quia, cùm hic *Iere. 23.* ſit ſermo de deſcenſu deorſum, & clarum ſit, deorſum non moueri, niſi quæ grauitatem intrinſecum principium habẽt

ſui motus, anima, quæ tali principio caret, deorſum moueri non poterit, motu, inquam, tali, qui præcipitatio appellari poſſit. Quoniam, licèt anima, ſicut etiam angelus, moueatur deorſum, & ſurſum, & quorſum voluerit, dum ſeparata eſt à corpore (habet enim voluntatem, & virtutem, ſufficiens principium motus) præcipitari tamen, aut præcipitare ſe non poterit, cùm præcipitatio, vltra deſcenſum deorſum, includat etiam grauitatem, mobile deorſum trahentem, velit, nolit liberum, quod grauitatem prædominantem habet. Non corpus, quia iam diuina prædeſtinatione præfinitum erat, illud non præcipitandum, ſed crucifigendum, ſcriptum enim extat: *Videbunt in quem transfixerunt*, et: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Non denique totum compoſitum, quia partibus præcipitationem excludentibus, illa & à compoſito excluditur, cùm ſine illis præcipitari, aut alicubi eſſe nequeat: Non enim omnia, quæ diſtinguuntur realiter, ab inuicem ſeparari poſſunt, adeſt namque aliquando eſſentialis dependentia, & neceſſaria connexio inter illa.

Zach.12. *Ioan.19.* *Zach.13.*

Inconueniens etiam erat talis præcipitatio, propter diſſona multa, repugnantia, & verè inconuenientia, quæ ſecuta fuiſſent, ſi talis præcipitatio impedita diuinitùs non fuiſſet. Quod quidem oſtenditur primò à loco. Non enim Nazareth, ſed Ieruſalem prælecta eſt paſſioni: *Bethlehem enim enim praelegit natiuitati, Ieroſolymam paſſioni*, inquit Leo Papa. A tempore; nondũ enim, quãdo Nazaræi voluerunt illum præcipitare, venerat hora eius: Quam tanti fecit Chriſtus, vt ſemper illam Hebræis, ſuam mortem affectantibus, & accelerare volentibus, obiecerit, ac pro quodam retardatiuo illorum prauæ voluntatis, ſuique deſiderij, pro hominibus patiendi, in medium protulerit: *Nondum venit hora mea, &c.* Ab executoribus, cùm tantæ impietatis, mortis, inquam, filij Dei, executores non Hebræi, ſed Gentiles ordinati fuerint; ait enim Chriſtus: *Tradetur Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, &c.* Quod ſi præcipitatio iſta locum habuiſſet, Hebræi miniſtri fuiſſent occiſionis Chriſti, non Gentiles. Ab imitatione tandem; quia volens Chriſtus, vt ſua paſſio eſſet imitabilis (ideò enim inquit: *Qui vult venire poſt me, &c.*) fruſtra, ſi præcipitatus fuiſſet, mortem ſuam nobis imitandam propoſuiſſet.

Leo Papa Serm.1. in Epipha. *Ioan.2. & alibi ſæpè.* *Matt.20.* *Matt.16.*

fuiſſet. Non enim imitabilis eſſet.

Turpis denique fuit, propter aliqua tum ex parte Chriſti, tum ex parte Nazaræorum. Et parte Chriſti quidem, nã omnium peccatorum grauiſſimum eſt, mittere manum in Chriſtum Domini, & talem, qui ſit Filius Dei. Ex parte Nazaræorum verò, quia non aliqui peccauerunt, ſed omnes: *Repleti ſunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. Et ſurrexerunt, &c.* Vndè Amb. *Non mediocriter inuidia proditur, quæ, ciuica charitatis oblita, in acerba odia cauſas amoris inflectit.* Quibus accedit, peccatum eſſe commiſſum poſt agnitam veritatem: *Et omnes teſtimonium illi dabant.* In Eccleſia, & in die feſto: *Et intrauit ſecundùm conſuetudinem ſuã die Sabbati in Synagogam, &c.* Circumſtantia enim loci ſacri, & diei feſti aggrauat peccatum, & magis culpabilem actum reddit. Nulla etiam ad id, nedum impellente, ſed nec mouente cauſa. Et propter eiuſmodi conſiderationes turpis redditur talis attentata præcipitatio.

Luc. 4. cum ſeqq.
Lib. 4. in c. 4. Luc.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

LEgem timoris in legem amoris tranſiſſe in ſtatu gratiæ, tum vniuerſa; tum illud præcipuè oſtendit, Canticorũ, ſcilicet, librum (qui, ad exprimendam ſingularem incarnati Verbi erga humanam naturam charitatem, à Spiritu Sancto dictatus eſt) nullum illorum nominum in ſe continere, quæ Deum, aut zelotem, aut exercituum Dominum, aut armipotentem, aut Sadai, aut Iehoua, aut Sabaoth prædicant, &c. Sed horum loco alia aſcita, quæ diuini ſponſi benignitatem, & condeſcenſionem ſignificant. Puta Sponſus, Dilectus, Amicus, Candidus, & Rubicundus, Electus ex millibus, & his ſimilia.

Et certè, quòd *Deus vindictæ*, in noſtra carne, factus ſit a *Pater miſericordiarum, & nouum fecerit ſuper terram,* aut (vt veriùs loquamur) a nouũ quid factus ſit ipſe ſuper terram, vt omnes eius actiones, ab Euangeliſtis commemoratæ, ita ſingulariſſimè præſens Lucæ teſtatur hiſtoria. In eo namque ſtatu, in quo erat Deus vindictæ, non ſolùm eos, qui diuinæ ſuæ voluntati reſtiterunt, aut ſua præcepta violarũt,

Pleriſq; in locis ſacræ Script.
a 2. Cor. 1.
b Iere. 31.

cecidit flagellis,& vaſis mortis perſecutus eſt, verùm etiam illos,qui ſecum minùs reuerenter agere tentarunt,vel(quod minus eſt) curioſè, & indeuotè ſacra aſpicere auſi ſunt, puniuit. Vt patet de Oza, ligneam Dei arcam irreuerenter tangente, qui, à Domino percuſſus, interijt: Et de Bethſamitis, irreuerenter eandem arcam aſpicientibus. Legitur
2.Reg.6. enim de primo: *Poſtquàm autem venerunt ad arcam Nachor, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerant eam. Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi, iuxta arcam Dei.* De
1.Reg.6. Bethſamitis verò: *Percuſſit autem Dominus de Bethſamitis, eò quòd vidiſſent arcã Domini, & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* At in nouo gratiæ ſtatu non ſolùm horum nullum legimus, ſed eos, qui animatam arcam Dei viuentis tenuerunt, extra ciuitatem eiecerunt, &, vt præcipitarent, violenter rapuerunt, nullam inflixit pœnam,nec minimam intulit tam grandis ſceleris re-
Luc.4. tributionem, ſed, ſine aliqua ſacrilegorum offenſione, *tranſiens per medium illorum ibat.*

Quod, vt pleniùs intelligatur, quæſo, de hac præcipitatione, certè grauiſſima, diſcurramus, eius nedum turpitudinem, ſed & impoſſibillitatem, & inconuenientiam conſiderantes, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO

E S T,

TAmquàm repercuſſam ſilicem, tres ſcintillas,& micantes flammas emittere hodie Chriſtum Dominum, à Nazareis ter variè impetitum,ſcilicet, doctrinæ, operationis,& virtutis. Interrogatus enim; cur tot, tantaque miracula in Capharnaum patrarit, & tã pauca in Nazareth, Patria ſua,reſpondit,& reſpondendo, doctrinæ flammam emittit. In eiectione è Synagoga exagitatus, patientiæ lucẽ prodit;nihil enim niſi illius ſuſtinentiam in Euangelio legimus. Raptus tandem vsque ad montis ſupercilium, vt præceps

ceps daretur, virtutis, ac diuinitatis ex eo flamma proſilit. *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. In veritate dico vobis: Multæ viduæ, &c.* ecce primam. *Et repleti ſunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. Et ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem*, nulla Domini reſiſtentia, aut iniuriæ repenſione, poſt hæc verba, commemorata, ecce ſecundam. *Et duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem Ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens, &c.* ecce tertiam. *Luc. 4. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Petræ appellatione Chriſtum Dominum in ſacris Scripturis nominari, & id frequentiſſimè, præter loca Deut. 32. Gen. 28. & 49. Exo. 4. 17. & 33. Pſal. 117. 136. & 140. Num. 20. & 24. Cant. 2. Eſa. 2. 8. 28. 32. & 48. Prou. 30. Ioſu. 24. 1. Reg. 6. 7. 14. & 17. Zach. 3. & 4. Iob 29. & 38. eſt & communis SS.PP. doctrina, Aug. de 5. Hæreſi. Baſil. de Spiritu Sanc. 8. Amb. Prol. de Spiritu Sanc. & de Salom. 3. Hieron. ſuper Eſa. 8. 11. & 32. Greg. ſuper 1. Reg. 2. 6. & 7. Cyril. 4. ſuper Ioan. 51. Chryſ. ſuper Pſal. 93. & Rup. ſuper Abac. 2. & ſuper 9. Apoc. *Deut. cum rel. de tex. Auguſt. cum ſeqq.*

At nomine ſilicis reſtrictiùs, & preſſiùs à generali petræ nomine Chriſtum præfigurari, teſtis eſt Iob cap. 28. dum illum, ſilicem eſſe affirmat, ad quam Deus extendit manum ſuam. *Ad ſilicem extendit manum ſuam, ſubuertit à radicibus montes.* Exponente ita Hieron. prædicta verba, & aſſerente, tunc Deum ad hanc ſilicem mannm extendiſſe, cùm eum incarnari fecit. Silicis etiam proprietates in Chriſto ſunt: Nam, ſicut ſilex lapis eſt durus, qui ſilentem intra ſe ignem habet, percuſſu excitatum, ita Chriſtus Dominus myſtica ſilex eſt, qui humanis actibus, vel bonis, vel malis, veluti quibuſdam ictibus percuſſus, & excitatus, aut beneficiorum, aut pœnarum, aut doctrinæ, aut operationis, aut miraculorum, aut exemplorum, aut ſimilium, viuidos ignes emittit. *Iob 28. Hieron.*

Cuius rei, vt omittamus innumera, quibus plenæ ſunt Scripturæ teſtimonia, in promptu ſunt Nazaræi in hodierno Euangelio, ab hac ſilice actibus ſuis ignem excutientes. Dū

Luc. 4. cum ſeqq. enim interrogant,& petunt: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, &c.* doctrinæ (*Amen dico vobis, quia nemo Propheta, &c. In veritate dico vobis: Multæ viduæ, &c.*) ignem ab ea excutiunt,&c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

Iob 5. QVòd auis, *quæ ad volandum nata eſt*, non volet, quatuor impedimento eſſe. Proprium nidũ, nocturnum tempus, alarum præciſionem, & aëris tempeſtatem. Si enim auis in proprio nido ſit, non dicitur volare, ſed tantillùm expanſis alis, hinc indè moueri. Si nocturnũ tẽpus adſit, à volatu illa abſtinebit, ni auis nocturna, & noctiuaga ſit. Si alarum pennæ ei præcidantur, volatus illi omninò interdicetur. Si tandem contingat, imbres ruere, grandinem præcipitare, coruſcare fulgura, mugire tronitrua, non volabit, ſed ſeſe in abditum, ac tutum locum recipiet.

Conſimili modo, myſtica auis Chriſtus, propter eadem impedimenta, videtur mihi, à volatu abſtinuiſſe in ciuitate Nazareth. Fuit enim in proprio nido, in patria ſua. Nocturnum tempus obſtitit, infidelitatis Nazaræorum. Pennarum eiuſdem ſymbolicarum præciſio adfuit, facta, per duritiam cordis illorum. Ac tandem tempeſtas, & procella peccati in Spiritum Sanctum.

Luc. 4. *Mat. 13. Luc. 4. cum ſeq. *Amen dico vobis: Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua*, ecce primum.* *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum*, ecce ſecundum. *Et repleti ſunt omnis in Synagoga ira, hæc audientes. Et ſurrexerunt, &c.* ecce tertium. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, &c.* ecce quartum, inuidiam, ſcilicet, fraternæ gratiæ, exponentibus ita Amb. lib. 4. in Luc. in cap. 4. illius, & Aug. lib. 1. de ver. Dom. in mon. (Ambr. Auguſt.)

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ESaias Propheta, æternum Patrẽ de Filio, ſub auis ſymbolo, loquentem, eumq́ue mundo promittentem, introducens,

ducens,inquit 46. cap. *Vocans ab Oriente autem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ,& locutus ſum,& adducam illud,creaui,& faciam illud.* Et optimè quidem in hæc verba Eſaias: Nam,ab Oriente vocatum eſſe Chriſtum, immò eſſe ipſummet Orientem, Zacharias Propheta affirmat 3. cap. *Adducam ſeruum meum Orientem*. Et rurſus 6. cap. *Ecce vir,Oriens nomen eius*. Atque alter Zacharias,Spiritu Sancto afflatus: *In quibus viſitauit nos Oriens ex alto*. De terra etiam longinqua veniſſe Chriſtum, cum Eſaia concordat Dauid: *A ſummo cœlo egreſſio eius*. Quod verò non ſolū miſerit Pater Verbum in mundum,ſed cum illo ſemper fuerit,quod videtur tangere Eſaias,per illa verba:*Et adducam illud*,diuinum,ſcilicet,Verbum,aſtruit Chriſtus verbis illis: *Qui miſit me mecum eſt,& non reliquit me ſolum*. Neminē autem conturbet,diuinum Verbum dici ab Eſaia creatum, nam loquitur in eo ſenſu,in quo Eccleſiaſticus,dicens: *Prior omnium creata eſt Sapientia*.Quòd tandem(& eſt propoſitum noſtrum) ſub auis typo rectè,ac congruè promittat Crhiſtū Pater,docent Hieron. ſuper hunc locum, & ſuper 31. cap. eiuſdem Eſaiæ,nec non Greg. 18. Mor. 21. & Hom 19. in Euang. Verè auis Chriſtus, qui non ſolùm, quaſi quodam volatu ſublimi,de cœlis ad terram deſcendit,verùm etiam, in terris exiſtens,de loco ad locum volitare nunquàm deſtitit, *circuendo ciuitates, & caſtella, diſcurrendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.*

Eſa.46. *Zach.3.* *Idem 6.* *Luc.1.* *Pſal.18.* *Eſa.vbi ſupra.* *Ioan.8.* *Eccli.1.* *Hieron.* *Gregor.* *Matth.9.* *Marc.6.* *Luc.8.* & *Act.10.*

A quo tamen volatu(quemadmodum & materiales aues) nunquàm ceſſauit, niſi quando retardatiua impedimenta reperijt. Quæ ad quatuor potiſſimū reducuntur,&c. vt ſup.

QVARTA INVENTIO EST,

QVia occaſione horum verborum: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum,&c.* communiter à Concionatoribus agi ſolet, & tractari de miraculis Chriſti, idcircò, methodicè ab vniuerſalioribus ad magis particularia deſcendendo,hæc quatuor,circa illa,inquirenda. An vera miracula fecerit Chriſtus.An maiora alijs Prophetis.An eiuſmodi, quæ probauerint, ipſum eſſe verum Meſſiam. An horum multa debuerit facere in Capharnaum.

Luc.4.

Tractando primum, DD. conſules, qui de requiſitis a[d] vera miracula abſolutè tractant, eaque omnia fuiſſe in miraculis Chriſti, oſtendes. Cùm enim verorum miraculorum conditiones quatuor præcipuæ ſint, ſcilicet, quòd fiant diuina virtute, ſupra naturæ potentiam, in inſtanti, & ad manifeſtandam veritatem, hæc omnia fuiſſe in miraculis Chriſti, probabis.

Tractando ſecundum, miracula Chriſti maiora fuiſſe miraculis aliorum Prophetarum, probabis, à modo; imperando enim Chriſtus, deprecando alij Prophetæ miracula fecerunt. A tempore; Prophetæ enim certis locis, ac determinato tempore miracula feciſſe dicuntur, Chriſtus verò die, noctuque, [a] *diluculo*, [b] *hora ſeptima*, [c] *cùm Sol occubuiſſet*, [d] *in vigilia noctis*, [e] *ſemper denique* abſque vlla horarum, aut temporis diſcretione. A multitudine; cuiuſlibet enim Prophetæ, quædam tantùm miracula narrantur, de Chriſto verò inquit Ioannes: *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*. A facilitate; Elias enim Eliſæus, & cæteri Prophetæ multùm inſudarunt, vt vel miraculum vnum præſtare poſſent, Chriſtus verò totus ſcatebat miraculis: *Virtus enim de illo exibat, & ſanabat omnes*. A ſubiecto; nam alij Prophetæ in ſubiectis, à ſe diſtinctis virtutes fecerunt, non in ſe ipſis, ſaltem, quò ad earum maximum, Chriſtus verò, & in alijs, & in ſe miracula fecit, & miraculorum maximum, ſe ipſum, ſcilicet, de morte, ad vitam reuocando. A nobilitate operationum; nam alij Prophetæ corporales tantùm virtutes operati ſunt, Chriſtus verò animæ etiam iuſtificationem, per peccatorum remiſſionem. Atque ita alios communes locos, his, quos nos tetigimus, affines conſules.

a *Ioan.* 8.
b *Ioan.* 4.
c *Luc.* 4.
d *Mar.* 6.
e *Luc.* 6.
Ioan. vlt. & 20.
Luc. 6.

Tractando tertiū, principales quæſtiones * Scholaſticorū reperies, qui ex profeſſo tractantur difficultatem hanc. *An miracula Chriſti ſufficienter probauerint, ipſum eſſe verum Meſſiam.*

* *præcipuè Tho.* 3. *p. q.* 43. *art.* 4. & 3. *ſent. d.* 15. *q.* 1. *art.* 1. *ac d.* 16. *q.* 1. *art.* 3.

Tractando tandem quartum, euangelicos Expoſitores conſules, vbi de ciuitate Capharnaum loquuntur, & ſuper verba Euangeliſtæ: *Venit*, ſcilicet, Chriſtus, *in ciuitatem ſuã*, nimirum Capharnaum. Quæ ciuitas, cur ſua dicatur, apud ipſos, vt propoſito deſeruit, reperies, &c.

Matth. 9.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVibus prærogatiuis,& excellentijs in aſſumpta carne fulgere debebat Chriſtus, mundum renouaturus, & Lex, & Prophetæ, Vaticinia, & Oracula cuncta prædicunt. Illarum tamen duas fore præcipuas, aperit Dauid Pſal. 95. dicens: *Sanctitas, & magnificentia in ſanctificatione eius.* *Pſal.95.* Cùm enim omnia Chriſti, vel ad ſe, vel ad aliud conſiderari poſſint, pro primo ait: *Sanctitas*; pro ſecundo: *Magnificentia.* Sanctitas enim animam Chriſti reſpicit, magnificentia eos, in quos beneficia contulit. Et hæc quidem, *in ſanctificatione eius*, dum, ſcilicet, mundum ſanctificare venit, eluxerunt. Vel certè tunc, *cùm Pater filiũ ſanctificauit.* *Ioan. 10.* Chriſti ſanctitate intractata pro nunc, nam propoſito noſtro non deſeruit, de magnificentia eius aliquid dicturi, quæ in miraculorum illius operatione reſplenduit, notandum,quòd, quamuis Chriſtus variè magnificentia decoretur in ſcripturis (dicitur enim *magnificè feciſſe* in redemptione humani generis, dum in mari rubro, ſuæ paſſionis, *Exo.15.* myſticum Pharaouem demerſit.Et *magnificentia eius futura* *Pſal.67.* *deſcribitur in nubibus*, cùm ad iudicandum venerit.Atque ita diuerſimodè de eius magnificentia ſcriptum reperimus) quod, ad inſtitutum tamen noſtrum attinet, cùm *magnificentia ſit virtus, ad quam pertinet facere magna*, vt inquit Thom.2.2. q. 134. art. 2. & 3. proculdubio magnificentia *Thomas.* erit in Chriſto, qui tot mirabilia fecit. Quod, ipſum alloquens, fatetur Dauid: *Multa feciſti, tu, Domine, Deus* *Pſal.39.* *meus, mirabilia tua.* Et alibi: *Mirabilia opera tua.* Quæ etiã non tantùm operatus eſt, ſed cum ea animi amplitudine, quæ ad magnificentiam requiritur. Ad magnificentiã enim, animi amplitudinem requiri, docet Tullius in Rethorica ſua dicens: *Magnificentia eſt rerum magnarum, & excelſa-* *Lib.2. de* *rum, cum animi quadam ampla, & ſplendida propoſitione,* *Inuent.* *cogitatio, atque adminiſtratio.* Quæ verba intelligenda ſunt, ſecundùm Thomam, vbi ſupra, art. 2. vt cogitatio referatur *Thomas.* ad interiorem intentionem, adminiſtratio verò ad exteriorem executionem. Vndè congruè figuratur Chriſtus

per Sa-

3.*Reg.* 10. per Salomonem, de quo 3. Reg. 10. dicitur, ***magnificatum eſſe ſuper omnes Reges terræ.*** Nam, cùm tunc magnificatus dicatur Chriſtus, cùm per magna opera oſtenditur magnus, vt exponunt Hila. ſuper Pſal. 56. & 57. nec non Orig. ſuper Ioſu. Hom. 5. magna opera fecit Chriſtus in miraculorum, & ſignorum operatione.

Hilarius. *Origenes.*

Luc. 4. De quibus miraculis, occaſione verborum: ***Quanta audiuimus facta in Capharnaum, &c.*** Nos hodie aliquid dicturi, quatuor inueſtigabimus: Num, ſcilicet, Chriſtus vera miracula fecerit, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

NAaman Syri, & Sareptanæ viduæ exemplis, in medium à Chriſto adductis, vt Nazaræis rationem redderet, cur non in patria ſua, ſed in Capharnaum, miracula faceret, inſtrui, (quod ad myſticum ſenſum attinet) Fideles omnes, tum bonos, tum malos, tum iuſtos, tum peccatores, qua ratione à malis liberari queant, & ſpiritualia bona recipere. A malis enim liberari poterunt, ſi myſticus Naaman ſint, Syrus, ad Eliſæum confugiant, & ſeptiès in Iordane lauentur. Bona verò merebuntur recipere; ſi Viduæ perſonam induant, & Sareptanæ, & hoſpitis Eliæ.

Origenes. *Bernar.* *Hieron.* *Ambr.* *Philo.*

Malum lepræ peccatum ſignare, docent Orig. in diuer. Hom. 5. Bern. Serm. 3. de Reſur. Hieron. ſuper 7. Mich. Amb. ſuper Luc. 4. & Philo: *Quòd Deus ſit immutabilis.* A quo liberabuntur peccatores, ſi erũt Naaman, hoc eſt, motum præparantes (ſic enim Naaman in Sancta lingua interpretatur) motum, inquam, reditus, & conuerſionis ad Deum. Quo abſoluto, pulchri, & decori efficientur, quæ eſt alia Naaman interpretatio. Sed non ſufficit Naaman eſſe, ſed Naaman Syrum eſſe oportet. Nam cùm Syria, excelſa, & ſublimis interpretetur, intelligimus, non ſatis eſſe, ad Deum conuerti, ſed oportere, de virtute in virtutem aſcendere, donec ad ſublimitatem, & celſitudinem perueniatur. Et quia in ſpirituali ſtatu ſemper Deo indigent Fideles,

atque

atque ita, vt ſine illo, nec cogitare bonum poſſint, nec ſine ſpeciali ſuo auxilio meritorium opus, nedum abſoluere, ſed nec incipere, idcircò ad Eliſæum (qui quidem Deus ſaluans interpretatur, & Chriſtum figurat, vt exponunt Orig. ſuper Luc. Hom. 33. Chryſ. ſuper Pſal. 22. Hieron. ſuper Pſal. 97. Greg 9. Mor. 32, Aug. ſuper Pſal. 83. & de verbis Apoſtoli Serm. 11. & Bern. ſuper Cant. Serm. 16.) confugere debent, *à quo omne bonum eſt*, & qui *noſtra eſt iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*. Ac tandem, quia *ſeptiès in die cadit iuſtus*, ſeptiès in Iordane lauari, per pœnitentiam debent, virtute meritorum Chriſti, vt exponunt Orig. ſuper Luc. Hom. 21. & Bern. Serm. 3. de Reſur.

Origenes. Chryſoſt. Hier. Gre. Aug. Ber. Iac. 1. 1. Cor. 1. Prou. 24. Origenes. Bernar.

Vt bona verò ſpiritualia, & diuinas gratias recipere mereantur, oportet illos eſſe Viduam (de qua Dauid Pſal. 145. *Pupillum, & Viduam ſuſcipiet*, & Iob 29. *Et cor Viduæ conſolatus ſum*. Animam, inquam, cui crucifixus eſt mundus, vt eleganter quidem annotarunt Hila. ſuper locum Pſal. adducti, & Greg. 19. Mor. 16.) Et Viduam Sareptanam eſſe oportet, ea duplici interpretatione, qua Sarepta interpretatur. Si enim duæ dictiones ſint, anguſtia buccellæ, vel panis dicitur. Si verò vna tantùm, incendium appellatur. Opus enim eſt, abſtinere à mundi illecebris, (quas per panem accipit Greg. ſuper 1. Reg. 14. & 15. Mor. 5.) & incendium amoris Dei toto pectore procurare. Vt, vel ſic, non ſolùm per tranſitum, Eliam, qui Deus Dominus dicitur, hoſpitio recipere mereamur, ſed perenniter ei coniungi per gratiam conſummatam digni efficiamur.

Pſal. 145. Iob 29. Gregor. Idem.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ANno ſecundo ſuæ prædicationis, innumeris iam patratis miraculis, vt conciuium ſuorum, qui de eo multa audierant, deſiderio ſatisfaceret, venit Nazaret Chriſtus. Et, vt moris ſui erat, *die ſabbati Synagogam ingreſſus, omnium oculos in ſe conuertit* Intendebant enim, vt diuinam illius ſapientiam audirent. Cupientes autem de eo periculum facere; an ſcilicet cum aliqua, memoriæ tradita, concione aduentaſſet, *datus eſt illi liber Eſaiæ Prophetæ*, vt, ſcilicet,

Luc. 4. cum ſeqq.

ſcilicet, ſuper aliquo illius paſſu, ex improuiſo ſermonem haberet, atque ita conſpicuum fieret, num eximius ille Prædicator eſſet, quem illum eſſe, dicebant. Et ipſe expe-
Eſa.61. ctationi eorum ſatisfaciens, *reuoluit librum, & inuenit locum* Eſai.61. cap. *vbi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris. Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.* Circa finem autem Concionis obiectioni ſatisfaciens; cur, ſcilicet, apud ipſos miracula, & ſigna non faceret, de quo ipſi ſæpè ſæpiùs conqueſti fuerant, & in eo ſcandalizati, dixit: *Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cura te ipſum; quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. In veritate dico vobis: Multæ Viduæ erant*
3.Reg.17. *in diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cælum annis tri-*
Iac.5. *bus, & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leproſi erant in*
4.Reg.5. *Iſraël ſub Eliſæo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus.*

Quibus ſcripturis, & propoſito inſeruienctibus exemplis, non ſolum eorum murmurationi ſatisfecit, & incomprehenſibilia Dei iudicia, in gratiarum ſuarum diſpenſatione, aperuit, verùm etiam Eccleſiam ſuam inſtruxit. Si. n. erit quis Naaman, & Syrus, & ad Eliſæum accedat, &c. vt ſupra.

TERTIA

TERTIA TERTIAE.

Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolũ, &c. Matth. 18. *Matt. 18. cum ſeqq.*

PRIMA INVENTIO EST,

IN modum experti Chirurgi ſe gerere Chriſtum Dominum, circa materiam fraternæ correptionis, hodie in Euangelio propoſitæ. Si enim ille ſaucium membrũ curet, lenia medicamenta, in morbi principio, adhibet. Si hæc parum proficere conſpicit, potentiora, & mordicatiua ſuperimponit. Si neque his principium ſanitatis aduertit, ſed in deterius curam prolabi videt, ſanie, & putredine in vulnere excreſcentibus, ferrum, ignemque arripere non recuſat. Si tandem deſperata res ſit, in eam determinationem venit, vt marcidum, putridumque membrum ſecet, ne putridum, tangens non putridum, putridum faciat, totumque corpus inficiat. In modum huius inquam, Chriſtus ſe gerere, mihi videtur. Nam, ad corripiendum fratrem, primò lenia, ac facilia medicamenta præcipit: *Vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Secundò, ſeueriora, his non proficientibus, iubet: *Si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, &c.* Tertiò, ferro, atque igne, re in deterius vergente, manum admouet: *Si illos non audierit, dic Eccleſiæ.* Ac tandem, deſperata correptione, membrum myſtici corporis Eccleſiæ præcidendum mãdat: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, tamquàm Ethnicus, & Publicanus*; vtique per excommunicationem, qua methaphoricum

phoricum membrum à ſymbolico Eccleſiæ corpore præciditur, ne alia membra inficiat.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Eſa.61. SPiritualis, & corporalis item, cæleſtis Medicus Chriſtus (de quo Eſa. 61. cap. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me,*
Sap.16. *vt mederer contritis corde, &c.* Et Sap. 16. *Etenim neque verba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia*) ad ſanandos homines cùm venit in terras, optimi Medici officio functus eſt; omnes Medicinæ partes perfectè præſtando: Διαιτητικῆν, Φαρμακευτικῆν, ϗ Χειρουργικῆν, ſcilicet, illam, quæ victu, & pharmacis, & manu medetur. De
Celius. quibus Cel. lib. 1. Medelam namque primò attulit nobis
Matth.6. Chriſtus, circa victum regulas dando: *Cùm ieiunatis, &c.*
Luc.21. et: *Attendite, ne grauentur corda veſtra in crapula, vel ebrietate.* Medicamentis, & pharmacis idem etiam præſtitit, cuibet morbo obuiantia, adhibendo medicamenta. Ac tandem
Luc.4. manu; legimus enim: *Singulis manus imponens, ſanabat eos.*
Sed, quod ad ſpiritualem, & myſticum ſenſum attinet, manu medicatus eſt Chriſtus, dum in modum perfecti Chirurgi, qui quidem manu medetur, ſe geſſit, circa materiam fraternæ correptionis. Sicut enim Chirurgus, in curando alicuius membri vulnere, &c, vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

COrreptionis fraternæ, de qua hodie ſermo in Euangelio, & præceptum, & ordinem, & modum, & vtilitatem à nobis inueſtiganda, vt abſolutè hanc materiam tractemus. Primum
Matt.18. cum ſeqq. in Euangelio exprimitur, cùm dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Secundum, cùm ſubiungitur: *Inter te, & ipſum ſolum.* Et: *Adhibe tecum vnum, uel duos.* Et: *Dic Eccleſiæ.* Tertium, vt,

ſcilicet,

Digitized by Google

ſcilicet, fiat cum manſuetudine, & benignitate, licèt non expreſsè habeatur in Euangelio, niſi in etymo vocabuli (*corripe*) id eſt, cor rape, habetur tamen in plerisque Scripturæ locis, & veteris teſtamenti figuris. Vndè meritò affirmat Dauid: *Superuenit manſuetudo, & corripiemur.* Quaſi, ſi ipſa non ſuperueniat, correptio non ſequatur. Quartum tandem exprimitur, cum concluditur: *Lucratus eris fratrem tuum.* *Pſal. 89.* *Matt. 18.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

NOn vnum, ſed multiplices eſſe mundos, norunt ij, qui apud varios Doctores, tum noſtros, tum exteros, & Archetypum, & Angelicum, & Cæleſtem, & Sublunarem, & Μικροκόσμον legerunt. Sed, cur materialis hic mundus, in cōparatione humani mundi, maior vocetur, non vna apud omnes ſententia. Aliqui enim aſſerunt, vocari maiorem, ratione quantitatis, & molis. Aliqui ratione temporis, & antiquitatis, quòd prior conditus ſit. Aliqui, ratione continentiæ; iſte enim continet, ille continetur. Alij, ratione durationis, iſte enim permanet, ille de die in diem occidit. Atque ita varij varia protulerunt. Sed, quod ad rem noſtram attinet, materialem hunc mundum, homini comparatum, maiorem ideò appellari credimus, quia ille hominem docet, & circa ipſum præceptoris officio fungitur; ille diſcipuli formam ſubit, & inſtruitur. Verum eſt enim, quod inquit Paulus: *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi, &c.* Et Iob 12. cap. *Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris.* Et 35. cap. *Qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cæli erudit nos.* *Rom. 1.* *Iob 12. & 35.*

Innumera ſunt, quæ hominem docet mundus iſte. Quæ tamen (ne per ſingula vagari nobis contingeret) ad tria reduxerunt Philoſophantes. Nimirum, ad ea, quibus homo inſtruitur, quomodo erga Deum, quomodo erga ſe, & quomodo erga proximum ſe gerere debeat. Vel, vt bimembris diuiſio fiat, quomodo ſe habere debeat ad ſe, & ad alterum, & hoc, vel creatum, vel increatum. Deo enim parere debet,

obſequi,

Digitized by Google

obſequi, famulari, & cætera præſtare, quæ ratione creationis, & gubernationis, & redemptionis, & iuſtificationis, & glorificationis præſtare tenetur. Sibi verò ſanctificationem, & puritatem quærere; *hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio noſtra.* Proximo tandem auxilium, iuuamen, & reliqua, quæ in hoc maiori mundo, magiſtro ſuo, à materialibus creaturis (vt vna alteri profit) præſtari conſpicit. In hoc enim mundo nihil ocioſum, omnia agunt, omnia patiuntur, vnumquodque dat, vnumquodque recipit. Cœli influunt, terra germinat, mare producit, aqua fœcundat, aër ſubuenit, &, vnctæ creaturæ ſibi inuicem id bonitatis impertiuntur, quod à Creatore acceperunt.

1. Theſ. 4.

Hanc doctrinam completè obſeruare debemus, vt Saluatori noſtro Chriſto placeamus. Præcipuè autem in correptione fraterna. Fratrem noſtrum enim debitè corripientes, & erga proximum, & erga Deum, & erga ſe ipſum benè ſe vnuſquiſque noſtrum geret. Erga proximum quidem, illum in ſpirituali neceſſitate (reſurgendi, ſcilicet, à peccato) adiuuando. Erga Deum verò, illius mandatum obſeruando: *Vade, corripe, &c.* Erga ſe tandem, meritorium opus operãdo, & pretioſum quid, quod deperditum erat, acquirendo: *Lucratus eris fratrem tuum.* Verùm, vt diſtinctè hanc materiam tractemus, fraternæ correptionis, & obligationem, & ordinem, & modum, & vtilitatem inueſtigemus, &c. vt ſupra.

Matt. 18. cum ſeq.

TERTIA INVENTIO EST,

TRia illa, ad quæ vniuerſas leges reduxerunt Iuriſperiti, ne illarum multitudo nos tædio afficeret, ſcilicet, honeſtè viuere, alterum non lædere, ius ſuum vnicuique tribuere, præſtanda eſſe in correptione fraterna. Honeſtè viuere quidem; cùm neceſſe ſit, corripientem priùs in ſe habere eam bonitatem, quæ ab eo in alijs deſideratur; præceptum enim eſt: *Eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucã de oculo fratris tui.* Quod & Poëtæ viſum eſt æquiſſimum, cecinit enim:

Matt. 7.

Cùm

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis, Hor. lib. 1. Ser. Sat. 3.
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quã, aut Aquila, aut ſerpens Epidaurius? At tibi contra
Euenit, inquirant vitia vt tua rurſus & illi.

Licèt in mortali exiſtens à præcepto fraternæ correptionis non eximatur. Alioquin lucrum reportaret ex dolo, & peccatum ſuum ſibi ſuffragaretur. Alterum non ſolùm non lædit, ſed iuuat, correptione proximum ad melioris vitæ vſum reuocando. Et ius ſuum vnicuique tribuit; obedientiam, ſcilicet, Deo, qui hoc præcipit, fratri auxilium, & ſibi meritum, ac ſpirituale lucrum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Licèt mortalium nullus legum præſtantiam, & dignitatem perfectè verbis aperire queat, ex antiquitate tamen, vtilitate, & maieſtate illarum, dignitas, & excellentia earum, aliqua ex parte, dignoſcitur. Antiquæ enim adeò leges ſunt, vt cum homine incœperint, immò cum mundo ipſo; (vt interim archetypam legem, Deo coëternam, omittamus) cum illo coaluerit, & cum illo in cœlo duratura ſit ſemper. Vtiles in tantùm ſunt, vt ſine ipſis omnia confuſa, omnia deordinata, omnia à ſuis ſedibus exulantia, præpoſtera vniuerſa exiſtant. Maieſtate denique tanta decorantur, vt ſecundùm leges, à ſe conditas, Deus operetur, legibus obtemperauerit Chriſtus, homines hominibus reuerendos, timendoſque illæ reddant, & vniuerſam hanc mundi rempublicam, ea, qua decet, dignitate firment, & conſtabiliant.

Hæ, quia multa prohibent, multa iubent, multæ ſunt; & certè plures, quàm humanus intellectus, hominum mens retinere valeat. Vndè hanc multiplicitatem cognoſcentes, & humanam imbecillitatem non ignorantes primi legum conditores, ne re, tam neceſſaria homines deſtituerentur, illas ad tria capita reduxerunt, ſcilicet, honeſtè viuere, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

Matt. 18. cum ſeqq. IN præcepto, quod Hebræis olim dedit Deus, de ſubleuando proximi iumento, ſub onere iacente, optimè deſcribi fraternæ correptionis obligationem, eiuſque ordinem, & vtilitatem. *Frater tuus*, ecce iumentum. *Si peccauerit in te*, ecce onus. *Vade, & corripe eum*, ecce ſubleuationem. Cuius quidem ſubleuationis, & ordo, & vtilitas ſubiungitur. Ordo quidem, cùm dicitur: *Inter te, & ipſum ſolum, &c.* vtilitas verò, cum audis: *Lucratus eris fratrem tuum.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

1. Cor. 9. DIuus Paulus Apoſtolus probans, in Epiſtola prima ad Corinthios, *licere his, qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edere, & qui altari deſeruiunt, cum altari participare; cùm Dominus ordinauerit, ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere,* rationes, authoritates, & exempla, ad id confirmandum, adducit. Rationes quidem, dicens: *Quis militat ſuis ſtipendijs vnquàm? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Scripturas verò: *Nõ alligabis os boui triturãti,* Deut. 25. & Deut. 18. *Sacerdotes, & Leuitæ ſacrificia Domini; & oblationes eius comedent.* Exempla tandem, cùm ait: *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi? Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ego ſolus, & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi? Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potiùs nos?* (Deut. 25. & 18.)

Probãs autem propoſitum per locum Deut. 25. ſubinfert: Deut. 25. *Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtique dicit?*

Nam

Nam propter nos ſcripta ſunt; quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Quaſi dicere vellet Apoſtolus: Licèt Deus vniuerſa gubernet, & omnibus creaturis de cibo, ſuæ naturæ conuenienti, prouideat (*paſcit enim volatilia cœli, dat eſcam omni carni, dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum, inuocantibus eum*) Matth.6. Pſal.135. non tamen, tanta ſibi cura eſt de brutis, vt, vel propter ipſa, eorumque ſuſtentationem, legem condere voluiſſet; & Pſal.146. in ſpecie hanc: *Non alligabis os boui trituranti.* Altius quid, Deut.25. dignius aliquid intendit Deus in figuralibus præceptis veteris teſtamenti, vult dicere Paul. ſpiritualem, inquam, ſenſum, & myſticam intelligentiam, ſcilicet, non fraudandos eſſe mercede ſua in Dei ſeruitio laborantes, &c.

Hac Pauli doctrina ego inſtructus, legens, præceptum olim fuiſſe Hebræis: *Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo,* vtique excla- Exo.23. mare coactus ſum: Numquid Deo tanta cura de iumentis? adeò ſollicitus eſt Dominus de ſalute vnius bruti, vt, vel propter ipſum tantùm, legem condere voluerit? An forſan non propter nos hæc ſcripta ſunt, vt aliquid dignius, & excellentius ex illis hauriamus? Id quidem. Dicam ergo, ad rem propoſitæ figuræ, iumentum hoc peccatorem eſſe, ſarcinam peccatum, ſubleuantem corripientem, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

CVm duo fratres, & hi quidem vterini, in quolibet homine ſint, homo, inquam, ſpiritualis, & homo animalis; & ad ſpiritualem pertineat, animalem corripere (vt de ſe dicebat Paulus: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*) 1.Cor.9. allegoricè, & tropologicè dicendum: *Si peccauerit in te,* Matt.18. hoc eſt, contra te, frater tuus animalis, *vade, & corripe eum* cum ſeqq. *inter te, & ipſum ſolum,* per ſecretam reprehenſionem, quæ & compunctionem pariat, & melioris vitæ propoſitum inducat. Quod, ſi non proderit, *adhibe tecum vnum, vel duos teſtes:* vnum, ſacrorum librorum codicem, in quo Sanctorum exempla, ad noſtram inſtructionem, narrantur; duos, ieiu-

nium, & orationem. Quæ ſi non ſatis ſunt, *dic Eccleſiæ*, iungere eccleſiaſticis, & religioſis perſonis, offerens eis eleemoſinas, eoſque deprecans, vt pro te orent, & diuinam tibi implorent pietatem. Ac tandem, ſi ille carnalis homo adhuc delinquit, & bonum operari renuit, *ſit tibi, tamquàm Ethnicus, & Publicanus*, hoc eſt, ita cum illo age, ac ſi tuus inimicus eſſet, in nullo ſecum conuenias, in omnibus ei contradicas, flagellis, cilicio, aſperitate vitæ, cæteriſque pœnalibus
Auguſt. exercitijs eum affligas, *vt modò vſtus, & ſectus, in æternum illi Deus parcat*.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

IN vnoquoque noſtrûm duos homines reperiri, teſtis eſt
2.Cor.4. D. Paulus. 2. Cor. 4. *Licèt is, qui foris eſt, homo noſter corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem.*
Rom.7. Et Rom. 7. *Secundùm interiorem hominem* (datur enim etiam exterior) *condelector legi Dei*. Qui quidem duo homines varia, & diuerſa, immò oppoſita vita viuunt. Homo enim exterior viuit vita naturali, humana, & animali, homo verò interior viuit vita ſupernaturali, diuina, & ſpirituali. Licèt in hoc conueniant, quòd vterque habet eſſe, viuere, ſentire, moueri, & cætera, quæ perfecto homini conueniunt. De naturali homine non eſt dubium, de ſpirituali audias.
1.Cor.15. *Gratia Dei ſum id, quod ſum, &c.* ecce eſſe. *Viuo ego, iam non*
Gala.2. *ego, viuit verò in me Chriſtus*, ecce viuere. *In odorē vnguen-*
Cant.1. *torum tuorum curremus*, ecce motum. *Fructus eius dulcis*
Cant.2. *gutturi meo. Audi filia, & vide.* [a] *Chriſti bonus odor ſumus*
Pſal.44. *in omni loco.* [b] *Tenui eum, nec dimittam*, ecce ſenſus. Diffe-
a *2.Cor.2.* runt tamen in principijs, ex quibus originem trahunt. Pri-
b *Cant.3.* mus enim *ex ſanguinibus, & voluntate carnis genitus eſt*,
Ioan.1. ſecundus verò *ex Deo natus eſt*.

Carnalis homo, quia ſolùm illicita appetit, *nititur in vetitum ſemper, cupitque negata*, legem Dei violans, eiuſque
Ouidius. præcepta tranſgrediens, à ſecundo indiget corripi, & in viam ſalutis ſapienter dirigi. Quod allegoricè, ac tropologicè ſimul docet hodie Chriſtus in materia fraternæ corre-
Matt.18. ctionis dicens: *Si peccauerit in te, &c.* vt ſupra.

QVAR-

QVARTA TERTIAE.

Acceſſerunt ad Ieſum ab Ieroſolymis Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui, &c. Matth. 15.

Matt. 15. cum ſeq.

PRIMA INVENTIO EST,

HYpochritas vocante hodie Chriſto (quemadmodum & aliâs) Scribas, & Phariſæos, qui ante conſpectum ſuum apparent, diſcipulos eius accuſantes, quòd Seniorum traditiones transgrederentur, non lotis manibus, panem manducando, eorum naturam, ſub arundinis typo, & analogia à nobis indagandâ eſſe. Vt enim arundo, inter alias proprietates, has præcipuè habet; arenam appetere, vento facillimè agitari, medullam non habere, ſed vacuam eſſe, & citò eradicari; ita Scribæ, & Phariſęi, quos hypochritas hodie vocat Chriſtus, has omnes conditiones in ſe habere Euangelicus textus oſtendit.

Quia enim docebant, filios familiàs, magis illos mereri, ſubſtantias ſuas templo offerendo, quàm parentibus, in neceſſitate conſtitutis, ecce radices cordis eorum in arena temporalium rerum defixas. Fiebat enim, vt munera, templo oblata, in Sacerdotum lucra cederent; quod & ipſi peſtifera illa doctrina intendebant. Leuitas, & facilis agitatio, ex facto ipſo intelligitur. Quæ enim maior leuitas, vt Doctores, & viri Religioſi, apud populum in honore habiti, ab Ieroſolymis diſcedant, & vſque Geneſareth ſe transferant, quæ 70. milliaribus ab Ieroſolymis diſtat, vt hanc futilem, & riſu dignam calumniam deferant: *Quare diſcipuli tui, &c.*

Subſtantialem medullam eos non habere, ſed exteriorem, tantùm pulchritudinem, vt arundo, fatetur Chriſtus verbis illis Eſaiæ: *Populus hic labijs me honorat, &c.* Ac tandem, veluti arundinem, citò, facillimèque eos eradicandos, prædicit Chriſtus Apoſtolis in hoc eodem Euangelio: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur, &c.*

Eſa.29. *Matt.15.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

A Corporalibus ad ſpiritualia, & à ſenſibilibus ad intelligibilia homini, pro ſtatu viæ, proficiſcendum eſſe, præter ea, quæ Nos ſparſim in alijs Inuentionibus, & Introductionibus diximus, eſt exemplum, & auctoritas, ratione his duobus coniuncta. Exemplum quidem Iudicum cap. 9. quod attulit Ioathas viris Sichem: Nimirum, arborum, Regem ſibi ipſis quærentum. a Authoritas Ariſt. qui aſſerit, à ſenſu ad intellectum proficiſcendum eſſe, b & notitiam in homine triplici virtute perfici, ſcilicet, ſenſu, imaginatione, & ratione. Ab ipſis enim exterioribus primò fit motus in ſenſu. Ab ipſo autem ſenſu, in actu ſecundo, fit motus in phantaſia. Vndè ipſemet Philoſophus ait, quòd phantaſia eſt motus, factus à ſenſu, ſecundùm actum. Et, licèt Auicenna diſtinguat imaginationem à phantaſia, ponens eas potentias, realiter diſtinctas, motus ea ratione, quia phantaſia non ſolùm phantaſiatur, ſed componit, vt in omni chimera videri poteſt, tamen, quia iſta compoſitio eſt tantùm in homine, nec in alijs ab homine reperitur, idcircò, cùm & ad phantaſiandum, & ad componendum ſufficiat phantaſia, ideo alij dicunt, eandem eſſe potentiam imaginationē, & phantaſiam. A qua fit tranſitus deindè ad intellectum, qui res, potentia intelligibiles, facit actu intelligibiles, & intellectas. De primo ergo ad vltimum, à ſenſibilibus, & corporalibus homini, pro ſtatu viæ, proficiſcendum eſſe, ex his conſpicuum. Accedit his ratio: Quod enim competit alicui, ſecundùm ſuæ naturæ conditionem, illi ſemper coniunctum eſt. Competit autem homini viatori ſic moueri à ſenſibilibus, poſt peccatum; nam antea quidditates rerum immediatè

Iud.9.
a *de ſenſu, & ſenſa.*
b *2.de An. t.c.153.*
6.Nat.p. 4.c.1.

diatè intelligere poterat, abſque ordine potentiarum; ergo ſemper, pro ſtatu iſto, illi coniunctum erit, à ſenſibilibus ad intelligibilia progredi.

His ſtantibus, dico, ad hypochritarum naturam, & proprietates intelligendas, congruè Nos arundinis ſimilitudinem deſumpſiſſe, vt ex illa oſtendamus ea omnia, quæ Chriſtus Dominus de hypochritis Scribis, & Phariſæis in Euangelio affirmat, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

ISTam ſolùm interrogatiuam propoſitionem in tota Concione pertractandam, &, quantùm ad moralem ſenſum attinet, expendendam: *Quare, & vos transgredimini mandatū Dei* diligentiùs, ac ſubtiliùs, inquirendo ab Auditoribus Fidelibus; quare transgrediantur mandata Dei, quo fundamento peccent, quaue ratione ad offendendam diuinam bonitatem inducantur. Et perquirendo cauſas, propter quas tranſgrediuntur, eas potiſſimùm, quas illi pro ſe afferre ſolent, proferas; eas reijciendo, &, quòd non ſufficientes ſint, vt Deus offendatur, oſtendendo. *Matt.* 15.

In peccati excuſationem, degeneres Chriſtiani hæc potiſſimùm adducunt; naturam vulneratam, difficultatem obſeruantiæ legis, dæmonis tentationes, carnis illecebras, mundi reſpectum, aſperitatem ſtatus pœnitentiæ, ſalebroſam, & arctam vitæ viam, ac tandem virium imbecillitatem. Quæ quidem omnia explodes, & rationibus, authoritatibus, atque exemplis probabis, hæc nullo pacto in cauſa eſſe, vt Deus offendatur, & diuina eius mandata violentur. Vndè concludes, propter traditionem noſtram nos tranſgredi mandata Dei, &c. vt ſupra.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVemadmodum mirari non deſinit euangelicus ſeruus, viſis exortis in medio tritici zizanijs (ꝑpterea enim,

conuerſus ad Dominum ſuum, admiratione plenus interro-
Matt.13. gat: *Domine, non ne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vn-dè ergo habet zizania?*) ita & ego, miniſter Euangelij, ſeruus Chriſti, viſis tot zizanijs peccatorum (per zizania enim
Orig. Baſi. peccata, & vitia figurari docent Orig. ſuper Ioſu. Hom. 1. &
Ambr. ſuper Iere. Hom. 1. & ſuper Matth. cap. 13. Baſil. Exæm.
Hieron. Hom. 5. Amb. Epiſ. 12. Hieron. ſuper Agge. 1. & ſuper Zach.
Ruper. 4. & Ruper. ſuper Agge. 2.) non poſſum, non admirari, &
Matt.13. Dominum meum alloquens, non dicere: *Domine, non ne bonum ſemen,* verbi tui, & cunctarum virtutum (ſic enim ſe-
Hieron. men accipiunt Hieron. ſuper Eſa. 54. & ſuper Zach. 8. & ſu-
cum ſeqq. per Ezech. 44. Amb. ſuper Rom. 9. Greg. 6. Mor. 14. Tert. de Præſcript. Aug. de Gen. cont. Mani. 18. & ſuper Pſal. 36. & 111. nec non idem Hieron. ſuper Pſal. 24. & 36. idem Amb. de Noë 23. atque idem Greg. ſuper Ezech. Hom. 5.) *ſeminaſti in agro tuo,* hoc eſt, Eccleſia (exponentibus Orig. ſuper Matth. cap. 13. Hieron. ſuper Pſal. 7. Iſych. ſuper Leuit. 27. Greg. 16. Mor. 23. & ſuper Ezech. Hom. 6. Auguſt. Epiſt. 80. & ſuper Pſal. 36.) *Vndè ergo habet zizania?* Quare, quare Chriſtiani tranſgrediuntur mandatum tuum? Forſan propter naturam vulneratam, & debilitatam? &c. vt ſup.

TERTIA INVENTIO EST,

ASTrologi, de Saturno ſcribentes, eius penè innumeras proprietates, & omnes ferè malas, recenſent. Inter eas has præcipuè. Quòd malignus Planeta ſit, tardus, fœtui nociuus, frigidus, & retrogradus. A quo nihilò diuerſus, ſpiritualiter malus Saturnus hos omnes prauos effectus in perſonis, in Euangelio expreſſis, olim induxit. Quia enim eſt malignus, ecce malignitatem Scribarum, & Phariſæorũ
Matt.15. **aduerſus Apoſtolos: *Quare diſcipuli tui, &c.* Quia tardus,**
cum ſeqq. **ecce tarditatem in ijſdem Apoſtolis, qui, licèt Chriſti per multos menſes diſcipuli, ſimplicem tamen, ac materialem parabolam non intelligunt, & idcircò petunt: *Ediſſere nobis parabolam iſtam.* Quia fœtui nociuus, ecce nocumentũ ſpirituale in filios familias, tunc temporis inductum, per Scribarum,**

barum, & Phariſæorum falſam doctrinam, magis, ſcilicet, honorandum eſſe cœleſtem Patrem, quàm terrenum, & munera potiùs illi offerenda, quàm proprijs egenis parẽtibus. Quia frigidus, ecce frigiditatem: *Hypocbritæ, benè de vobis prophetauit Eſaias: Populus hic labijs me honorat, &c.* Eſa. 29. Quia tandem retrogradus, ecce Scribas, & Phariſæos cum murmuratione retrogradientes: *Tunc accedentes diſcipuli eius dixerunt ei: Scis, quia Phariſæi, audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? &c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ASTrologi, de Planetis, & errantibus ſyderibus ſcribentes, effectus illorum varios eſſe, dicunt. Aliqui enim in ſuis effectibus ſunt boni, ſcilicet, Iuppiter, & Venus, nulli enim nocent, ſed tam ſuos, quàm non ſuos adiuuant, & curant, in quantùm poſſunt. Alij ſunt mali, ſcilicet, Mars, & Saturnus, qui ſuis tantùm proſunt, non ſuis autem ſemper obſunt. Alij denique ſunt mediocres, ſcilicet, Sol, Luna, & Mercurius, nam ſuis bona ingerunt, nõ ſuis autem modò bonum, modò malum. Cum bonis namque boni, cum malis mali ſunt, ſecundùm quòd bonis, vel malis Planetis in diuerſis ſignorum domibus coniunguntur. Quòd verò inter omnes Saturnus maleuolus, & peſſimarum operationum ſit, patet & in generatione, & in vita hominis. In generatione quidem, nam circa fœtum non habet, niſi, frigiditate ſua, & ſiccitate coagulare, & condenſare. Vndè, dicunt Alcabitius, Petrus de Aliaco, & alij Aſtrologi, nec non Galenus, & alij Medici, quòd Saturnus, in primo menſe generationis fœtus, materiam in matrice frigiditate, & ſiccitate ſua coagulat, & condenſat. Iuppiter ſecundo menſe ſpiritum, & membra tribuit. Mars tertio menſe ſubtiliat ſanguinem, & humorẽ condenſat, ordinat, & componit, Sol quarto menſe vitalem calorem, & ſpiritum epati, & cordi tribuit, Venus quinto menſe organa ſenſibilia, & officialia membra aures, ſcilicet, naſum, & huiuſmodi perficit, & diſponit, Mercurius ſexto mẽſe omnia corporis foramina, & poroſa membra, vt nares, & linguam, &c. componit, Luna ſeptimo menſe ſuis limitibus mem-

Alcabitius Petrus de Alia. Galenus.

bus membra diuidit,& diſtinguit, & ideò tunc fœtus naſcitur vitalis,& ſalubris.Si verò naſci diſtulerit vſque ad octauum menſem,tunc fœtus moritur;& hoc, quia Saturnus tūc malignitate ſua redit,qualitate frigida,& ſicca reſtringens, & mortificans. In vita hominis idē patet; nam Luna incipit ab egreſſu pueri ab vtero, & diſponit vitam ſecundùm quantitatem annorum nutritionis,ſcilicet,per quatuor annos. Mercurius regit per decem ſequentes. Venus deindè per octo annos alios. Poſtea Sol diſponit per decem,& nouem annos. Mars diſponit per quindecim annos. Iuppiter per duodecim annos. Vltimò Saturnus ducit hominem vſque ad finem vitæ,illius interitum conſequens. Patet ergo praua illius conditio.

Aliqui eius effectus,ſecundùm myſticum ſenſum, & ſpirituale ſymbolum, in hodierno Euangelio manifeſtantur, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO
EST,

Plin. Nat. hiſ. 37. c. 5.

ONychini lapidis naturam, & proprietatem Naturales deſcribentes,quò ad formam, dicunt,eſſe ſimilem humanæ vngui. Quò ad effectus,excitare lites,& rixas. Et quò ad impedimentum,in præſentia Sardij nocere non poſſe. Quæ omnia Scribis, & Phariſæis,Apoſtolos accuſantibus,conuenire, ſatis liquet, ex his, quæ in Euangelio narrantur. Quòd enim vnguis proprietatem in ſe ipſis habeant,patet ex doctrina, quam ſatis perniciosè docebant,vt bona filiorum raperent; debere, inquam, filios familias munera offerre Deo,nō parentibus egenis, eo prætextu, quòd Deus primus omnium parens ſit cæteris dignior. Quæ quidem munera,ſic oblata, in eorum lucra cedebant. Quòd lites,& rixas excitent, eorumdem accuſatio, & impoſtura: *Quare diſcipuli tui, &c.* nec non ira, & indignatio, poſt Domini reprehenſionem: *Scis, quia Phariſæi* (referunt Apoſtoli) *audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt?* manifeſtè produnt. Quòd deniquè,licèt in eis, *mala mens, malus animus,* in præſentia Sardij nocere non poſſint, hoc eſt, in præ-

Matt. 15. eum ſeqq.

Terent. in Andr. act. 1. ſce. 1.

in præſentia Chriſti (qui myſticus Sardius eſt, habet enim, vt naturalis Sardius, terrere monſtra, & beſtias, curare dolores, ac propellere moleſtias) Apoſtolis nocere nequeant, per accuſationem: *Quare diſcipuli tui, &c.* videmus ex defenſione ipſius Chriſti: *Quare, & vos transgredimini, &c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ONychini lapidis proprietates varias DD. conſiderantes, variè etiam circa illum ſymbolizant. Aliqui enim dicunt, cùm Onyx, circa centrum, coloris terrei ſit, & in circumferentia cœleſtis biuium hæc duo denotare mortalium gradientium; ſunt enim quidam terrena, quidam cœleſtia ſapientes. Alij dicunt, Onychinos eſſe, qui in centrali natura terrei ſunt, mente verò, & affectu cœleſtia contemplantur. Alij, quia Onyx naſcitur in Phiſon, hoc eſt, in *Glo. Ord.* prudentia, ſignificare ſpem, miracula, & martyrium. Ijdem, *ſuper Gen.* Onychinos lapides duos in ſuperhumerali Pontificis deſi- *2. & ſuper* gnare fidem, & vitam Patriarcharum, quæ debet Pontifex *Ezech. 28.* imitari. Alij, quia Onyx in ornatu regis Tyri, ponitur, *Glo.Ord.* Ezech. 28. & 39. vnum ordinem angelorum ſignificare. Ij- *ſuper Exo.* dem deniq́ue, vt Onyx ponitur in quarto ordine Rationalis, *28.* abſtinentiam ſignificare. Et vt habet rubri coloris circulos, *Ezech. 28.* albis cingentibus zonis; charitatis ardorem, vel ſcientiæ *& 39.* lucem denotare, comitante zona caſtitatis. Atq́ue alij *Exo. 28.* aliter. *Glo.Ord.*

At Nos, vt præſentis Euangelij tractationi congruit, dicemus, cùm ille habeat humanæ vnguis formam, &c. vt ſupra. *ſuper Exo. 28.*

QVINTA INVENTIO EST,

QVinque cœleſtes aſpectus, de quibus latiùs Aſtrologi, & Nos in Introductione, in myſtico cœlo huius Euangelij apparere. Coniunctum, nimirum, Oppoſitum, Sextilem, Tertium, & Quartum. Sicut enim Coniunctus malus eſt, propter

propter coniunctionem Planetarum maleuolorum, vt dicemus, ita mala eſt hæc coniunctio Scribarum, & Phariſæorũ, aduersùs Apoſtolos: *Acceſſerunt ad Ieſum, ab Ieroſolymis, Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui transgrediuntur, &c.* Sicut etiam Oppoſitus innuit nobis inimicitiam, & diſcordiam Principum, ita Principum Principis Chriſti, Principum Apoſtolorum, & Principum Synagogæ inimicitia, & diſcordia deſcribitur in Euangelio (non enim conuenire poterant filij lucis, & filij tenebrarum, humiles, & ſuperbi, iuſti, & peccatores) dum Chriſtus in Scribas, & Phariſæos, contra Apoſtolos commotos: *Quare diſcipuli tui, &c.* iuſta indignatione commouetur, dicens: *Quare & vos transgredimini, &c.* Scribæ, & Phariſæi ex Domini reprehẽſione iniuſtè ad iracundiam commouentur: *Scis (* referunt Apoſtoli Chriſto) *quia Scribæ, & Phariſæi, audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt?* Et Chriſtus aduersùs nimiùm rudes, & carnales Apoſtolos ſanctè indignatur: *Nunquid & vos ſine intellectu eſtis? &c.* Sicut Sextilis eſt bonus, & ſignum domus dilectionis, propter concordiam Signorum in vna qualitate, ita hunc aſpectum deſiderat Deus in nobis Fidelibus, ſcilicet, vt labia, & cor in vnum conueniant ad eius obſequiũ, vt patet per verba Chriſti, Phariſæos, & Scribas reprehendentis: *Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* Si enim interior, & exterior Dei cultus in vnum conueniant, aſpectus bonus eſt, Sextilis eſt, Signum domus dilectionis Dei eſt. Sicut præterea Tertius aſpectus optimus eſt, cùm ſit in Signo, ſecundùm Miſaëlem, per fidem amicitiæ, non enim in hoc aſpectu eſt contrarietas in qualitatibus Signorum, præcipuè ſi fuerint Planetæ in qualitatibus concordantes, ita Turbæ ſemper cum Chriſto, vel in totum, vel aliqua ex parte, concordarunt, & fidem amicitiæ cum illo ſeruarunt, ſequentes eum, magnificantes, publicè collaudantes. Quam amicitiæ fidem etiam Chriſtus eis rependit, immò prior impendit, conuocans eas, verbumque diuinum eis proponens. Vndè, frequens eſt horum verborũ in Euangelio ſonus: *Conuocatis Ieſus Turbis. Dixit Ieſus Turbis, &c.* Et hodie, indignatis Scribis, & Phariſæis, fidem amicitiæ cum Turbis ſe habere oſtendens: *Conuocatis illis, dixit eis: Audite, & intelligite, &c.* Sicut tandem Quartus aſpectus eſt malus, quia ruinas, & deſolationes minatur, ita hunc

Matt. 15. cum ſeqq.

Eſa. 29.

Miſaël.

Matt. 15. cum ſeqq.

Digitized by Google

hunc aſpectum, eiuſque effectus ſuper Scribas, & Phariſæos venturos, minatur hodie Chriſtus: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DE Planetarum aſpectibus Aſtrologi loquentes, eorum quinque præcipuè enumerant, videlicet, Coniunctum, Oppoſitum, Sextilem, Tertium, & Quartum. Coniunctus eſt, quando duo Planetæ maleuoli, vt Saturnus, & Mars, coniunguntur in Signo eiuſdem complexionis, vt Aries, & Taurus. Oppoſitus eſt, quando duo Planetæ contrariarum qualitatum ſunt in oppoſitis Signis, vt eſſet Venus in Signo Arietis, & Saturnus in Signo Libræ. Sextilis eſt, quando inter duos Planetas mediant duo Signa integra, adeò vt Planeta in aliquo Signo aſcendente, tertium ante ſe, & tertium poſt ſe aſpiciat. Tertius eſt, quando duo Planetæ ſunt in Signis ſimilibus. Quartus denique eſt, quando inter duos Planetas ſunt tria Signa integra, & in talibus Signis contrarietas eſt; puta, ſi Sol fuerit in Ariete, & Saturnus in Cancro. Qui quidē omnes aſpectus in myſtico cœlo præſentis Euangelij myſticè apparent, &c. vt ſupra.

QVIN-

QVINTA TERTIAE.

Luc.4. cum ſeq.

Surgens Ieſus de Synagoga, intrauit in domum Simonis, &c. Luc. 4.

PRIMA INVENTIO EST,

QVia de ſole fit hodie mentio in Euãgelio: *Cùm ſol autem accidiſſet, &c.* idcircò de Chriſto, ſub ſolis typo, verba facturi, dicamus; ea illi conuenire, quæ de ſole præcipuè narrantur, ſcilicet, nobilem eſſe in ortu ſuo, ſublimem in ſitu, efficacem in effectu, velocem in motu, & indifferentem in communicando ſuam virtutem. Quod non vagè, & liberè probandum, ſed per ea, quæ habentur in præſenti Euangelio.

Act.8. *Eſa.1.* Dicendum ergo, eſſe nobilem in ortu ſuo, quia, poſtquàm occidit Iudæis, *duræ ceruicis, & incircumciſis cordibus, & auribus, ſemini nequam, filijs ſceleratis,* ortus eſt domui Simonis, ſanctæ, ſcilicet, Eccleſiæ, populo humili, diuinæ cognitionis auido, & ad exequenda Dei mandata paratiſſimo: *Intrauit in domũ Simonis.* Eſſe ſublimẽ in ſitu: *Stans ſuper* *Luc.4. cum ſeqq.* *illam, impetrauit febri.* Eſſe efficacẽ in effectu: *Continuò ſurgens, miniſtrabat illis.* Eſſe indifferentẽ in cõmunicanda ſua bonitate: *Singulis manus imponens, ſanabat eos.* Eſſe deniq́ue velocem in motu: *Et erat prædicans in Synagogis Galilææ.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SAcram diuinam Scripturam, propter innumera, quæ cõtinet, myſteria, & ſacramenta, varijs nominibus appellari,

lari, non ignorant ij, qui in eius lectione detriti ſunt. Ap-
pelatur enim *lux, ignis, ſemita, ſpiritus, oculus, turris, aurū,* *Cōſule pro*
regina, &c. At inter alia vocari *diem*, fidem aſtruit Dauid *his nomini*
illis verbis :* *Dies diei eructat verbum, &c.* Quæ quidem *bus Conc.*
propoſitio, licèt exponi poſsit, pro Deo Patre diei filio eruc- *Bibl. &*
tāte verbum diuinæ eſſentiæ(per diem enim Patrem, & Fi- *Sylu. Alle.*
lium intelligunt Hieron. ſuper Pſal. 80. Clem. Alex. 6. * *Pſal. 18.*
Strom. Aug. 9. in Exo. 98. Philo. 1. Allego. & Rup. 2. ſu- *Hieron.*
per Gen. 13.) Quamuis etiam exponatur de Patre, dicente: *cum ſeqq.*
Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. De *Matt. 17.*
Chriſto, docente Apoſtolos. De Spiritu Sancto pro ſpiritua- *Mar. 9.*
libus proferente plenitudinem ſapientiæ Dei, quæ Chriſtus *Luc. 9. &*
eſt. Pro Petro, & Paulo, ex intimo cordis theſauro fidem *2. Pet. 1.*
Chriſti prædicantibus. Pro Fidelibus, ſcientiam vocis pro-
pagantibus, vt videntur exponere Aug. Hila. & Arn. proxi- *Auguſt.*
mò citati, nec non idem Aug. ſuper Pſal. 73. Chryſ. ſuper *cum ſeqq.*
Pſal. 96. Euch. 9. in Pſal. & Amb. 3. de Virgi. tamen non
incongruè pro Sacra Scriptura dies accipitur à Hier. ſuper
Iob 42. & ſuper Pſal. 95. Beda ſuper Gen. 8. Orig. ſuper
Leui. Hom. 5. & ſuper Iudi. Hom. 3. & ſuper Pſal. 36. Hom.
3. & ſuper Rom. 14. Greg. ſuper 1. Reg. 1. & Arn. ſup. Pſal. 135.

Hæc igitur dies diei homini (vt hominem pro die acci-
piunt Aug. 3. de Gen. cont. Manic. 23. & Beda ſuper Gen. 1.) *Auguſt.*
eructat verbum cognitionis myſteriorum Dei, & Sacramē- *Beda.*
torum theſauri illius. Quæ etiam mihi hodie hoc verbum
cognitionis eructauit, vt de Chriſto, ſub typo, & ſimilitudi-
ne ſolis, de quo mentio in Euangelio, aliquid proferrem.
Nimirum, quòd, ſicut ſol præcipuè in ſe habet, vt ſit nobi-
lis in orto ſuo, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO

E S T,

CVratæ ſocrus Simonis accidentia cuncta dili-
genter deſcribere Lucam. Qualitatem morbi,
mediatores ſalutis, modum curationis, effec-
tum virtutis Medici, & ſignum perfectæ ſani- *Luc. 4.*
tatis. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis* *cum ſeqq.*
febribus,

febribus, ecce primum. *Rogauerunt illum pro ea*, ecce ſecundum. *Stans ſuper illam, imperauit febri*, ecce tertium. *Et dimiſit illam*, ecce quartum. *Continuo ſurgens, miniſtrabat illis*, ecce quintum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

PHariſæos, qui ſe iuſtos, & non peccatores iactitabant, per ironiam Dominus carpens, & iuſtè deſpiciens, dixit aliquando: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Quibus in verbis, præter ſcomma, & tacitam Phariſæorum reprehēſionem, tres hominis ſtatus, docet Chriſtus; ſanitatis, ſcilicet, infirmitatis, & recuperatæ ſanitatis. Quos quidem ſtatus, & quò ad animam, & quò ad corpus, homines experiūtur, & à mūdi primordijs ſemper experti ſunt. Fuit.n. homo primò ſanus, & iuſtus, deindè infirmus, & peccator. Tertiò iterum ſanus, & iuſtificatus. Non enim eſt veluti angelus, qui quidem non patitur medium ſtatum infirmitatis, ſed, vel eſt ſanus, vel mortuus, vel in gratia, vel ſub peccato, abſque recuperandæ ſalutis ſpe.

Matt. 9.

Quò ad corpus etiam nullus fortaſſe hominum eſt, qui omnes hos ſtatus in ſe expertus non ſit, ſanitatis, ægritudinis, & recuperatæ ſanitatis. Socrus Simonis priùs ſana, Medico non indigebat, & benè valenti Medicus opus non erat, at in morbum incidens, multarum, & magnarum febrium, Medico excellenti indiguit, qui eam è mortis faucibus eriperet, ac priſtinæ ſanitati reſtitueret. Et ecce, *ſurgens de Synagoga, & intrans in domum Simonis*, inuiſit illam Chriſtus, cœleſtis Medicus, qui eam ab infirmitate liberauit, & perfectam ei ſanitatem reſtituit. Cuius quidem infirmitatis, & curationis hiſtoriam narrans Lucas, omnia diligenter deſcribit. Magnitudinem quidem infirmitatis, &c. vt ſupra.

Luc. 4.

TERTIA

TERTIA INVENTIO EST,

PRincipalia huius Euangelij myſteria in verbis Iob cap. 27. perfectè deſcribi. Sunt autem illa: *Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, et lapis, calore ſolutus, in æs conuertitur. Cùm autem Sol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille, ſingulis manus imponens, curabat eos,* ecce argentum ſanitatum. *Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia. Quia tu es filius Dei,* ecce aurum veritatis (veritas enim à quocunque ſit, etiam à dæmone, à Spiritu Sancto eſt) *Quia & alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideò miſſus ſum. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ,* ecce ferrum prædicationis. *Turbæ requirebant eum, & venerunt vſque ad ipſum, et detinebant illum, ne diſcederet ab eis,* ecce lapidem cordis, ſolutum in æs confeſſionis diuinæ virtutis; & propriæ indigentiæ. Quòd autem argentum ſignificet ſanitatum beneficium, aurum veritatem, ferrum prædicationem, & lapis cor humanum, hæc in Introductione probata accipies.

Iob 27.

Luc. 4. cum ſeqq.

Communiter Schol.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

NAturales theſauros, ſub terra latitantes, Iob cap. 27. deſcribens, inquit: *Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis, calore ſolutus, in æs conuertitur.* Quod quomodo naturaliter verum ſit, norunt ij, qui philoſophicè, & empiricè naturalium rerum cauſas, effectus, & tranſmutationes diutino labore inueſtigarunt. Nos, vt noſtro propoſito hæc Iob authoritas inſeruit, ſecundùm myſticum ſenſum eam interpretantes, dicemus: Argentum figurare opitulationes curationem, aurum veritates fidei catholicæ,

Iob 27.

ferrum euangelicam prædicationem, & lapidem calore ſolutum, & in æs conuerſum; durum humanum cor, calore Spiritus Sancti ſolutum in lachrymas compunctionis, & conuerſum in æs, ſonans peccatorum confeſſionem, Dei laudem, &c.

Quòd enim argentum ſignificet beneficium curationum, & ſanitatum, quas miraculoſè Chriſtus hominibus impendit, figurant *argentea propugnacula*, de quibus Cant. 8. maximè cum verbi Dei prædicatione coniuncta, vt erant miracula Chriſti, ordinata ad confirmandam veritatem ſuæ prædicationis, vt docet Greg. ſuper dictum Cant. locum. Quòd etiam aurum ſignificet veritates fidei catholicæ, affirmant Greg. 4. Mor. 35. & 18. Mor. 14. & 16. Mor. 9. Aug. q. in Exo. 105. Hieron. ſuper Zach. 14. Greg. Hom. 10. in Euang. Bern. de dilig. Deo, Ric. de S. Vict. 2. de Arca myſti. 10. & Beda ſuper Exo. 25. Quòd ferrum prædicationem innuat tradunt Greg. 34. Mor. 5. & Hieron. ſuper Iere. 1. Gregorius quidem exponens illa verba Iob cap. 41. *Reputabit, quaſi paleas, ferrum, &, quaſi lignum putridum, æs. Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam.* Dicit enim Gregorius, Antichriſti tempore, Leuiathan reputaturum iacula ferrea ſacræ prædicationis, quaſi paleas, & non formidaturum virum ſagittarium, ſcilicet, Prædicatorem, ſed, quaſi ſtipulam, deriſurũ ſagittas verbi Dei. Hieron. verò exponens verba Ieremiæ: *Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram Regibus Iuda, & Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ.* Ait enim, diuini verbi Prædicatorem debere eſſe columnam ferream, hoc eſt, fortem, & patientem, ſicut fuit Ieremias, ex præcepto Domini. Quòd denique lapis, calore ſolutus, cor humanum ſit, docent Hier. ſuper Eccl. 3. & ſuper Gal. 3. Amb. ſuper Luc. 19. Hila. ſuper Matth. Can. 6. & 33. Clem. Alex. adhor. ad Gent. & Greg. in pluribus locis Moralium, ſed præcipuè lib. 14. c. 26. & lib. 20. c. 22.

Cant. 8. *Gregor. cum ſeqq.* *Iob 41.* *Iere. 1.* *Hieron. cum ſeqq.*

Quæ cuncta, ſic myſticè expoſita, & ſparſim alibi conſiderata, collectiuè in hodierno Euangelio reperiuntur. Argentum enim miraculorum, &c. vt ſupra.

QVAR.

QVARTA INVENTIO EST,

QVia Lucas Medicus, ſocrus Simonis infirmitatem deſcribens, inquit, quòd *tenebatur magnis febribus*, non ab re, nec à Concionatore euangelico alienum erit, inquirere: Quomodo verum ſit, prædictam fœminam multis, & his quidem magnis, febribus laboraſſe. Nam, licèt curatio miraculoſa fuerit, infirmitas tamen non fuit niſi naturalis. Vndè, ſatis curioſum erit, inueſtigare, quomodo hæc mulier ſimul, & ſemel multas habuerit febres, & has magnas; vt verè dicat Lucas: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Ad quod ritè, & ſcitè inueſtigandam, iſta percurres. Quidnam ſit febris. Quot febris ſpecies, per ſcientificam ſufficientiam. Quænam febris ſit, quæ & multæ, & magnæ febres eſſe dicatur. Qua laborauerit ſocrus Simonis, vt multis, & magnis febribus verè laboraſſe perhibeatur. Quibus litteraliter pertractatis, ad tropologicum poſtea ſenſum deſcendendo, inquirere poteris: Quid nam ſit febris ſpiritualis. Quot illius ſpecies. Qui nã peccatores multas, & magnas febres habere dicantur. Et quis modus, quæ remedia, ſpirituales febres curandi. *Luc. 4. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

OMnes artes, cunctaſque naturales ſcientias, tamquàm dominæ, ſacræ Theologiæ ancillari, tum Scripturæ, tum SS. PP. teſtantur. Scripturæ quidem; nam ſcientiæ naturales figurantur per *luminare minus*; Theologia per *luminare maius.* *Gen. 1.* Illæ per ſeruam *Agar*, iſta per dominam *Saram.* *Gen. 16.* Illæ per populum, *ad radices montis* expectantem, iſta *Exo. 19.* per *Aaron cum Moſe aſcendentem.* Illæ per Sidonios, *ligna, in templi ædificium, cadentes*, iſta per *templum ingredientes*. *3. Reg. 5.* Illæ denique per *argentum, & aurũ, aliaque vaſa, ex Aegypto exportata*, iſta per *vaſa, Dei cultui conſecrata*. Patres *Exo. 13.* *Exo. 25.*

Hieron. cum ſeqq. verò, Hieron. ſuper Nahum. 3. Aug. ſuper Pſal. 57. Bernar. Serm. paruo. 60. & ſuper Cant. Serm. 27. Ric. de S. Vict. de 12. Patriarch. 69. Arn. ſuper Pſal. 135. & complures alij. Vndè, concluditur, non eſſe inconueniens, Theologum pertractare peregrinas ſcientias, in ordine ad Theologiam, ſicut nec inconuenit, ancillas ſequi dominam ſuam.

Qua fundamentali doctrina ego roboratus, à nobis alienum non iudicaui, occaſione præſentis Euangelij, in quo Lucas Medicus, de febribus agit (vt naturam, & affectiones morbi febricitantis ſocrus perfectè cognoſcamus) ſcitè, & methodicè inquirere: Quid nam ſit febris, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO

E S T,

Surgendo de Synagoga, hoc eſt, relinquendo Iudæos, & intrando in domum Simonis, hoc eſt, eligendo Gentiles, quidnã fecerit Chriſtus, diuino illuſtratum lumine, in præſenti Euangelio aperire Lucam. Sanauit enim primò ſocrum Simonis, hoc eſt Gentilitatem, *Hilar. Ambr. Ruper.* vt exponit Hilar. ſuper Matth. Can. 7. & 10. Amb. ſuper Luc. 4. & Ruper. 7. ſuper Matth. Quæ dicitur ſocrus ea ratione, qua in humanis vxoris mater ſocrus dicitur. Sponſa enim D. Petri eſt Eccleſia, cuius mater eſt Gentilitas, ad fidem conuerſa. Quod ergo de perſona ſocrus Simonis febricitantis legimus: *Luc. 4. cum ſeq.* *Socrus autẽ Simonis tenebatur magnis febribus*, hoc de Gentilitate, peccatorum magnis febribus laborante, intelligendum; quæ vti ſocrus Simonis, à Chriſto ſanata eſt, dum, ſtans ſuper illam in Cruce, & proprium effundens ſanguinem, in pretium ſimul, & lauacrum, imperauit febribus peccatorum, & dimiſerunt illam. Secundò, per dæmoniorum os, filius Dei dicitur: *Exibant autem dæmonia à multis, clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei.* Quoniam futurum erat, vt etiam à malis hominibus, diaboli membris, verus Dei filius prædicaretur, & *Pſal. 112.* *à ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile fieret nomen Domini*. Tertiò, per manus impoſitionem omnem languorem curat, quia multa

multa miracula operaturus, erat per Diſcipulos ſuos, ad prædicandum Euangelium deſtinatos, qui manus Chriſti dicuntur, ſecundùm Gregorium 18. Mor. 22. Hilar. ſuper Matth. Can. 12. & Ambr. ſuper Pſal.138. Serm.22. Apoſtoli enim poſt occaſum huius myſtici ſolis, reſpuentibus Hebræis prædicationem Euangelij in Gentibus maxima miracula operati ſunt. Dixeruntque ad eoſdem Hebræos: *Vobis quidem priùs oportebat prædicari regnum Dei, ſed, quia reſpuitis illud, ecce conuertimur ad Gentes*. *Luc.4.* *Gregor.* *Hilar.* *Ambr.* *Act.13.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

CHriſtum repudiaturum Synagogam, & Iudæorum populum, & electurum Gentilitatem, nouamque Eccleſiam, non nullæ Scripturæ atteſtantur, præter communem SS. PP. ſententiam. Id enim *repudiata Vaſthi, & electa Heſter ſunt*; id *ſpoliata Aegyptus, & ditatus Hebraiſmus*; id *lumbare priùs poſitum circa lumbos, deinde abiectum, & putrefactum*; id *tranſlatio mortui Patriarchæ Ioſeph in terram Iſraël*; id vaticinium: **Vocabo non plebẽ meam plebem meã, & miſericordiã non conſecutã, miſericordiã conſecutã*; id verba illa: *Vos non populus meus, & ego non veſter Deus*; id verſus Cãtici Mariæ Virginis: *Et miſericordia eius à progenie* Iudęorũ, *in progenies* Gentiliũ; *à progenie*, in ſingulari; *in progenies*, in plurali; *à progenie* motiuè, *in progenies* permanſiuè; Id tandẽ multæ Chriſti parabolæ, & expreſſa verba. *Parabola* quidẽ *Vineæ, cuius agricolæ mali malè perditi, & illa locata alijs agricolis: Magna cœna, ad quã inuitati venire recuſãtes; cæci, & claudi, & debiles in eorum locum ſuffecti ſunt*: Et aliæ multæ. Verba autem, præter cætera: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent, &c. Filij autem regni, &c. Auferetur à vobis regnum Dei, &c.* Patet ergò propoſitũ repudiationis Synagogę, & electionis Gẽtilitatis. *Heſt.1.et 2.* *Exo.13.* *Iere.13.* *Gen.50.* *Oſe.2.* *Rom.9.* *1.Pet.2.* **Oſe.1.* *Luc.1.* *Matt.21.* *Luc.14.* *Matth.8.* *Matt.21.*

Sed quidnam eligendo Gentilitatem, acturus eſſet in eius beneficium Chriſtus, per expreſſa in hoc Euangelio myſticè innuit Lucas. Nimirum, quòd curaturus erat ſocrum Simonis, hoc eſt, Gentilitatem à multis, & magnis febribus idolatriæ, cæterorumque peccatorum, &c. vt ſupra.

SEXTA TERTIAE.

Ioan.4. cum ſeqq.

Venit Ieſus in Ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, &c. Ioan.4.

PRIMA INVENTIO EST,

EA omnia, quæ ad plenam Chriſti ſpiritualem poteſtatem ſuper homines pertinent, in couerſione Samaritanæ mulieris elucere. Poteſtas autem Chriſti ſuper homines, vt dicemus in Introductione explicatiùs, eſt circa corpus, & animam. Et circa animam, ſupra intellectũ, & voluntatem. Habet námque purificare corpus, ſanctificare animam, illuminando intellectum, rectificando voluntatem; illuminando intellectum veritate, rectificando voluntatem gratia; illuminando intellectum de diuinis, & humanis, rectificando voluntatem erga Deum, erga ſe, erga proximum.

Quinque viros habuiſti, & hunc, quem habes, non eſt vir tuus, ecce poteſtatem ſupra corpus. *Deus ſpiritus eſt, &c.* ecce poteſtatem ſupra intellectum, de diuinis illuminando ipſum. *Scio, quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus*, ecce poteſtatem ſuper eundem, de humanis erudiendo illum. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuæ, &c.* ecce poteſtatem ſuper voluntatem, per gratiæ collationem. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*, ecce rectificationem voluntatis erga Deum. *Dixit mihi omnia, quæcunque feci*, ecce rectificationem eiuſdem erga ſe ipsã. *Iam non propter tuam loquelam credimus* (dicebat enim Samaritana conciuibus ſuis: *Nunquid ipſe eſt Chriſtus? &c.*) ecce rectificationem eiuſdem erga proximum.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

POteſtatem Chriſti ſuper homines fuiſſe temporalem, & ſpiritualem, nulli dubium. Sed tantùm ſpiritualem oſtendiſſe, patet ab hæreditate; nam fuit oriundus ex ſemine Iechoniæ, de quo Ieremias: *Scribe virum iſtum ſterilem; virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur, nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda.* Poteſtatem autem, quam angelus futuram illius dixit Mariæ, non temporalem, ſed ſpiritualem nouimus. Patet etiam ab electione; nam cuidam reſpondit: *O homo, quis me conſtituit iudicem ſuper vos?* ſcilicet, nec Rex, nec populus. Patet quoque à vi bellica; nam verum eſt, quod canit Eccleſia: *Non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia.* Et quod ipſemet dixit Pilato: * *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Patet tandem à facto, & re ipſa; nam ad oſtendendum, ſe non exercere temporalem poteſtatem, in caſu adulteræ, ſibi adductæ, nil aliud agere voluit, quàm ius naturæ interpretari. Inter duos fratres, de quibus Luca 8. cap. iudicare recuſauit. *An cenſus dandus eſſet Cæſari, an nō,* iudicialiter reſpondere noluit. Ac tandem, vt expreſsè id oſtenderet, voluit ſoluere tributum. *Et iuſſit ſolui didracma.* Non enim venerat regnare, ſed ſubditum eſſe, *non miniſtrari, ſed miniſtrare.* Patet ergo, ſpiritualem tantùm poteſtatem Chriſtum oſtendiſſe.

Iere. 22. *Luc. 1.* *Luc. 8.* *In Hymno Epiphania* **Ioan. 18.* *Ioan. 8.* *Luc. 8.* *Matt. 22.* *Matt. 17.* *Matt. 20.*

Quæ quidem ſpiritualis poteſtas ampliſſima. Nam, cùm ordinaretur ad dandam ſalutem hominibus, &, ad hoc præſtandum, neceſſarium eſſet, aliqua circa intellectum, & aliqua circa voluntatem agere, ideò illuminauit intellectum, rectificauit voluntatem ſufficienter, & efficaciter. Primum præſtitit, docendo, & faciendo miracula; ſecundum, conferendo gratiam in Sacramentis, & extra; qua homo & in corpore, & in anima rectificatur, & benè erga Deum, ſe, & proximum ordinatur.

Hanc tamen ſpiritualem poteſtatem, in conuerſione Samaritanæ mulieris, oſtendere mihi videtur Chriſtus, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

Illuſtris nimiùm conuerſionis mulieris Samaritanæ cuncta accidentia diligentiſſimè annotare Ioannem;perſonam, ſcilicet,conuertentem, & conuerſam,tempus,horam,locum,occaſionē, modum,& effectus,indè ſecutos. *Venit Ieſus, &c. Et ecce mulier,&c.* hæ ſunt perſonæ,conuertens,& conuerſa. *Quatuor menſes ſunt,& meſſis venit,* hoc eſt tempus. *Hora erat,quaſi ſexta,* hæc eſt hora. *Venit in ciuitatem Samariæ,quæ dicitur Sichar,iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph,filio ſuo.Erat autem ibi fons Iacob,*hic eſt locus. *Ieſus ergo, fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſuper fontem. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Diſcipuli eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent,*hæc eſt occaſio. *Dixit ei Ieſus: Da mihi bibere, &c.* hic eſt modus. *Reliquit hidriam ſuam mulier, &c. Multi Samaritanorum crediderunt in eum,* hi ſunt effectus, indè ſecuti.

Ioan.4. cum ſeqq.
Gen.33.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Exo.2. DVx populi Dei Moſes, à furore Pharaonis fugiens, laſſus ex itinere, ſedebat iuxta puteum, cùm, venientibus Sacerdotis Iethro filiabus,ad greges adaquandos,vnam illarum,nomine Sephora, in coniugium accipere meruit.

Gen.29. Patriarcha Iacob,irati fratris Eſau furorem declinans,fatigatus & ipſe,apud puteum quieſcebat,dum formoſæ Rachelis honeſto amore ſuccenſus eſt, eamque tandem in vxorem poſt varios labores, & diſcrimina duxit. Et Rebecca pulcherrima iuuenis,Iſaac,filio Abrahæ, apud puteum, per expoſtulatum à ſeruo ſignum,incipit,futuri cōnubij primitias benignè,humaniterque concedere.

Baſilius. cum ſeqq. Si ſic iſta,quid mirum, Chriſtum Dominum, miſticum Moſen(aſſertoribus Baſi. de Spir. San. 14. Greg. Niſſe. de vita Moſ. Tert. aduer. Mar. 2. Cyril. 1. de Trin. Aug. 22. cont. Fauſt. 90.& Serm.86.Beda ſuper Exo. 2. Bern.Serm.1.

Oct.Paſch.& ſuper Cant.Serm. 86.Greg. ſuper 1. Reg. 7. & eodem Cyril.4. ſuper Ioan. 40. & 8. cont. Iul.) myſticum Iacob(affirmantibus Hieron. ad Damaſ. q. 3. & ſuper Eſa. 49. Amb.2. de Iacob 5. Aug.Serm. 79.& 80. Greg. 30.Mor. 31. Rup.5.de glori. Trinit. 5.) & myſticum Iſaac (annuentibus Tert. aduer. Iudæ. Clem. Alex. 1. Pæda.5. & 1.Strom. Orig.ſuper Gen.Hom.8.& 13.Amb de Iſaac 1.& Chryſ.ſuper Gen.Hom.47.) dũ venit in ciuitatem Samariæ, fatigatus ex itinere,iuxta puteum deſponſaſſe ſibi in fidem mulierem Samaritanam,& ex mæretrice ſui ſponſam eam effeciſſe? Nihil profectò. Vt autem hæc electio, & deſponſatio illuſtrior appareat,huius mulieris conuerſæ ad ſponſum ſuum accidentia cuncta, circumſtantias omnes deſcribit Ioannes, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO
EST,

ECho huius Euangelij(ad vocem Ioannis: *Venit Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar,iuxta prædium,quod dedit Iacob Ioſeph,filio ſuo. Erat autem ibi fons Iacob.Ieſus ergo,fatigatus ex itinere,ſedebat ſic ſupra fontem. Hora autem erat, quaſi ſexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam)* ſex alias voces reddere; quarum vnaquæque geminatur. Vocem, ſcilicet, Chriſti ad Samaritanam,quæ à Samaritana ad Chriſtum reſultat. Vocem diſcipulorum ad Chriſtum,quæ à Chriſto ad diſcipulos reuertitur. Vocem diſcipulorum inter ſe, quæ ad Chriſtum peruenit,& ab illo ad eos reflectitur. Vocem Samaritanæ ad conciues ſuos,quæ ab illis ad Chriſtum tendit. Vocem Chriſti ad Samaritas,quæ ab illis in mulierem redit.

Ioan.4. cum ſeqq.

Da mihi bibere,ecce primam vocem. *Quomodo tu Iudæus cùm ſis,&c.* ecce reflexionem. *Interea rogabant eum diſcipuli,dicentes: Rabbi manduca*, ecce ſecundam. *Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare,quem vos neſcitis*, ecce reflexionem. *Nunquid aliquis attulit ei manducare*, ecce tertiam. *Meus cibus eſt,&c.* ecce reflexionem. *Reliquit ergo hidriam ſuam mulier,& abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus.*

minibus: Venite, & videte hominem, &c. ecce quartam. *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia, quæcunque feci. Cùm veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret,* ecce reflexionem. *Et manſit ibi duos dies, & multò plures crediderunt, propter ſermonem eius,* ecce quintam. *Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator mundi,* ecce reflexionem.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DE Echo varij variè ſcripſerunt. Aliter enim illam Poëtæ, aliter Philoſophi conſiderant; & Philoſophi aliter in realitate, aliter in Allegoria. Poëtæ, Nympham illam effingunt, odio Iunonis in ſaxum conuerſam, alienas voces *Ouidius.* reddentem. Vel, vt inquit Ouid. lib. 3. Meta. Echo Nympha fuit, quæ, cùm à Narciſſo, cuius amore deperibat, ſperneretur, longo mœrore contabuit, & corpore demum in ſaxum conuerſo, nihil, niſi vocem, retinuit. Quæ omnia vnico Di-*Sanazar.* ſticho eleganter comprehendit Sanaz. lib. 1. Epigr.

Vidi, triſi, fleui, triſtemque (heu fata) repulſam
Spreta tuli, ſum nunc vox, ſonus, aura, nihil.

Ariſtotel. Philoſophi, & præcipuè Ariſtoteles 2. de Ani. Echo vocem, vel ſonum repercuſſum definiunt. Quoniam non ſolùm vo-*Auerrois.* ces, ſed ſonos etiam illa reddit. Auerroïs appellat eam, ſo-*Plato.* num, vel vocem iteratam. Plato in Phœdro, reſultantem. *Auſ. Gall.* Auſon. Gall. relatricem alienarum vocum, dicens:

Aëris, & linguæ ſum filia matris inanis,
Indicij vocem, quæ ſine mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata ſequor verba aliena meis.

Macrob. Secundùm allegoriam autem, cùm Macrob. lib. 2. Sat. cap. 22. dicat, Pan (apud Arcadas in honore habitum, & Deum ſyluarum, & paſtorum creditum) Nympham Echo vehementer adamaſſe; aiunt illi, Vniuerſum, quod Πᾶν Græcè dicitur, *Pier. Val. lib. 44.* concentum amare, quo conſtat. Vndè, addunt alij, hac de cauſa

cauſa inſtrumentum fiſtularum ſeptem in manu gerere,quia Vniuerſum ſeptem ſphærarum harmoniam in ſe habet. Plato 7. dial. Reip. volens oſtendere corruptibilium omnium vanitatem, inquit, quòd ſicut in ſpelunca voces reſultantes nō veræ voces ſunt, ſed imagines vocum, ſic in mundana hac fabrica non vera bona, veraque pulchritudines ſunt, ſed ficta omnia, imago, & ſimilitudo quædam. Theologi de Echo ex profeſſo non loquuntur, ſed ab alijs dicta, ſecundùm ſpiritualem, & myſticum ſenſum, ſpiritualibus myſticè applicant, ab Ægyptijs vaſa mutuantes, vt diuino cultui illa dedicent, & ad ſacra transferant. *Plato.* *Theologi.* *Exo. 25.*

Hanc ſpiritualem Echo in præſenti Euangelio audire mihi videor, & quidem multiplicem. Nam ad vocem Ioannis, &c. Quæ quidem voces reſpondentes, licèt non ſint propriè Echo, ſecundùm materiales ſyllabas, & realem formam, ſunt tamen ſecundùm myſterium, vt tetigimus. Neminem ergo offendat diſſimilitudo vocum in formatione, cùm non de materiali Echo ſit Nobis ſermo, ſed ſpirituali. Delectet ergo Auditores ſpirituale Symbolum, & appoſita ſacris vocibus reſponſio. Dicemus ergo, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

Gentilem fœminam, ac multos Gentilium ad veram fidem Chriſtus conuertens, doctrina, & exemplo rectam viuendi formam eis tradere. Doctrina quidem, quia de Dei adoratione, & veritate Meſſiæ cum muliere altiſſimè loquitur; & quia manſit apud Samaritas duos dies, prædicans, & euangelizans regnum Dei. Exemplo verò, omnium vitiorum oppoſitum in ſe oſtendens, quæ Gentiles illi ex Planetarum numero ad ſufficientiam reducebant. Enumerant autem illi ſeptem capitalia vitia, iuxta ſeptem Planetarum numerum, & influentiam. A Saturno enim dicunt procedere inclinationem ad pigritiam; à Ioue ad vanam gloriam, diuitiarum pompam, & in veſtimentis iactantiam; à Marte ad iram; à Venere ad luxuriam, & voluptates; à Sole ad auaritiam; à Mercurio ad furtum, & fraudes; & à Luna ad mœrorem, ac triſtitiam.

Iſta,

Iſta, inquam, vitia, per aſtronomicam ſufficientiam ab antiquis Gentilibus ad ſeptenarium numerum redacta, quia cum Gentilibus agebat Chriſtus, & Gentiles lucrifacere intendebat, per ſeptem oppoſitas virtutes hodie confutat, vt ſimul verbo, & exemplo eos doceat. Pigritiæ enim opponit ſollicitudinem, & continuum diſcurſum, ad peccatores conuertendos; legimus enim aliàs *illum circuiſſe Ciuitates, & Caſtella*, & hodie * *veniſſe in ciuitatem Sichar*. Vanæ gloriæ, diuitiarum pompę, & mundano honori opponit laborioſum inceſſum: *Fatigatus ex itinere*. Iræ opponit manſuetudinem, & mititatem: *Sedebat ſic ſuper fontem*. Luxuriæ, & voluptatibus, quibus Mulier Samaritana detinebatur, opponit exhortationē ad caſtam, & cœlibem vitam: *Hunc, quem habes, non eſt vir tuus, &c.* Auaritiæ opponit liberalitatem, & liberalitatem diuinam, reuelationis, ſcilicet, huius magni ſecreti: *Ego ſum, qui loquor tecum*, & huius altiſſimæ doctrinæ: *Veri adoratores, &c.* Furto opponit largitionem æternæ vitæ, & regni cœlorum. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuæ, ſalientis in vitam æternam.* Mœrori tandem, & triſtitiæ opponit gaudium, & lætitiam mulieris peccatricis, & Samaritanorum, ad fidem conuerſorum. Mulieris quidem, nam præ gaudio ſe continere non valens, ingreſſa ciuitatem, incœpit clamare: *Venite, & videte hominem, &c.* Samaritanorum verò, quia gaudentes dicebant mulieri: *Iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus, & ſcimmus, quia hic eſt verè Saluator mundi.* Quod quidem gaudium ab ipſomet Chriſto originatum, nemo ambigit. Patet ergo propoſitum.

*Matth. 9. Mar. 6. Luc. 8. et 9. * Ioan. 4. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVia ad vitia, & virtutes, atque etiam ad artes inclinationes ex natura inſunt hominibus, ex parte corporis, corporaliſque complexionis, quam anima, vt plurimùm ſequitur, cùm ſit coniuncta appetitui ſenſitiuo, & nata illi condelectari, idcircò Gentiles Aſtrologi hominum diuerſas naturas, & diſpoſitiones conſiderantes, nec non vires, & dominium diuerſorum Planetarum, quò ad illud, in

Sco. 14. 2. q. 3.

quo,

quo, ſuper corporalem complexionem, aſtrorum influentia, & motus poteſt, virtutes, vitia, atque artes prædixerunt diuerſorum hominum. Aiunt enim Saturnum diſponere homines ad doctrinam, Iouem ad honeſtatem, Martem ad fortitudinem, Venerem ad amicitiam, Mercurium ad eloquentiam, Solem ad dignitates, rectè exercendas, & Lunam ad caſtitatem. Similiter, quantùm ad vitia, dicunt Saturnum diſponere ad pigritiam, Iouem ad vanitates, Martem ad iram, Venerem ad luxuriam, Solem ad auaritiam, Mercurium ad furtum, & fraudes, & Lunam ad mœrorem, & triſtitiam, rixam, & anxietatem, fugam, & mutabilitatem. Quòd etiam ad artes pertinet, Saturnum, affirmant, diſponere homines ad terrarum culturam, ſcriptitationem, & vt ſint grauium ponderum portitores, nec non argenti campſores. Iouem ad ſectandam curiam, & magnorum Principum conſuetudines. Martem ad artes ferrarias, & cæteras, in quibus ignis vſus eſt. Mercurium ad eloquentiam, vſum calculi, & computi. Venerem ad cantum, & muſicam, ſpecierum confectionem, &c. Solem ad tractandum aurum, ipſumque fabrefaciendum; ſi fuerit in exaltatione ſua, ſin autem, ad opera æris. Lunam denique ad piſcationem, & alias artes nauticas, & aquaticas, &c.

Vitiorum, ſecundùm Planetarum numerum acceptorum, apud Samaritanos hodie diuertens Chriſtus, oppoſitum in ſe oſtendit, exempla eis dans ſanctarum operationum; & cœleſti etiam doctrina eos inſtruit, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

IN verbis Iob 40. cap. *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius, circundabunt eum ſalices torrentis,* ad plenum deſcribi, quæ in anima Samaritanę mulieris operatus eſt Chriſtus. Nimirum, idolatriæ, aliorumque peccatorum fugam, expulſionem inhabitantis dæmonis, & repletionem vacuitatis calami, animæ illius, affluentia gratiarum *Iob 40.*

tiarum

tiarum ſuarum. Ad expellendam idolatriæ vmbram, lucem doctrinæ adorationis Dei emittit: *Veri adoratores, &c.* Ad fugandas ſuperinductas tenebras, aliorum peccatorum, modeſtè mulierem de carnali ſua vita reprehendit: *Benè dixiſti, quia non habeo virum; quinque enim viros habuiſti, &c.* Ad eijciendum dœmonem, animam eius vacuam inhabitantem, vocem veritatis: *Ego ſum, qui loquor tecum*, dœmonibus formidoloſæ, profert. Hac enim voce audita, ſtatim reliquit hydriam ſuam mulier, cucurrit in ciuitatem, & Chriſtum annuncians, Apoſtola effecta eſt. Ac tandem vacuum calamum animæ eius gratia ſua replet, quam ſub aquæ metaphora ei liberaliter repromittit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, &c.*

Ioan. 4. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DOctiſſimus Iob, poſt nonnullas peſſimas proprietates, & pernicioſiſſimos effectus de Behemoth deſcriptos, illius inquietum, & vigilantiſſimum ſomnum narrans 40. cap. inquit: *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus. Protegunt vmbra vmbram eius. circundabunt eum ſalices torrentis.* Quaſi diceret: Behemoth, à luce gratiæ, & gloriæ ſeparatus, ſub vmbra idolatriæ, aliorumque peccatorum, in locis humentibus propter luxuriam, & immunditiam dormit, in ſecreto vacui, & inanis calami, hoc eſt peccatoris, vacui gratia, & donis ſpiritualibus, Amb. ſuper Luc. 7. Euch. for. Spir. 4. Greg. 33. Mor. 4. Hila. Can. 12. & 33. in Matth. & Baſil. Reg. breu. 291. Quam illius vmbram, etiam vmbræ aliorum peccatorum, ſuperinductæ, & multiplicatæ à peccatoribus produnt. Circundatus interim ſalicibus infructuoſis torrentis inferni, tantùm naturalem pulchritudinem habentibus, aliorum, ſcilicet, malorum ſpirituum.

Iob 4.

Ambr. cum ſeqq.

Hanc idolatriæ vmbram, ſicut in animas peccatorum infidelium, induxerat ille in animam mulieris Samaritanæ, & aliàs ipſa ſuperinduxerat, multiplicando peccata. Nec non in loco humenti, corporis illius, propter humorem libidinis,

dinis, in ſecreto calami vacui animæ eius dormiebat, quando, veniens Christus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, vmbram idolatriæ, ab illo inductam, fugauit, docens, & obiectum veræ latriæ: *Veri adoratores adorabunt Patrem*, & modum adorandi: *In ſpiritu, & veritate*. Vmbras etiam alias, à muliere ſuperinductas, peccatorum, ſcilicet, fornicationis, & libidinum expellit, reprehendens illam, licèt leniter, & benignè: *Benè dixiſti, quia non habeo virum, quinque enim viros habuiſti, & hunc, quem habes, non eſt vir tuus.* A pernicioſo deindè ſomno excitat eam, reuelans illi aduentũ ſuum: *Ego ſum, qui loquor tecum*. Quæ quidem vox tonitruum fuit, terrens Principatus, & Poteſtates, & profundum inferni. Ac tandem excuſſit eundem de ſecreto calami vacuæ animæ mulieris, replens illam gratia ſua: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuæ, ſalientis in vitam æternam*. *Ioan. 4. cum ſeqq.*

Chriſtus ergo, vt lux, fugat tenebras Behemoth; vt Sol, exiccat humorem luxuriæ; vt vox, excitat à ſomno eundem Behemoth, & in fugam conuertit, & vt ſubſtantia Patris, vacuitatem calami, ab eo inhabitati, ſua gratia replet. Fugans ergo vmbram idolatriæ, dat mulieri Samaritanæ altiſſimam lucem de Dei adoratione, &c. vt ſupra. *En tibi nouã Inuentionem.*

SABBA-

SABBATO TERTIAE.

Ioan. 8. cum ſeqq.

Perrexit Ieſus in montem oliueti, & diluculò iterum venit in templum, &c. Ioan. 8.

PRIMA INVENTIO EST,

Liberationi, & abſolutioni mulieris adulteræ, omnia fauere, quæ, huc principaliter reſpicientia, in Euangelio narrantur. Locum, ſcilicet, vndè venit Chriſtus, ad eam liberandam; locum, in quo ſtat, ad eius cauſam iudicandam; modum, quem tenet, in ea defendenda; verba, quæ dicit, patrocinium eius ſuſcipiendo, & ſtatum, in quo miſella, ante Chriſti conſpectum manet. *Locus, vndè venit Chriſtus, mons Oliueti eſt*, mons pietatis, & miſericordiæ. *Locus, in quo ſtat, templum eſt*, ad remittenda peccata ſpecialiter ordinatum. *Modus, quem tenet, in ea defendenda, eſt inclinatio, & in terra ſcriptitatio. Verba, quæ profert, patrocinium eius ſuſcipiendo. Qui ſine peccato eſt veſtrum* (loquebatur Senioribus, accuſatoribus) *primus in illam lapidem mittat: Status tandem, in quo illa manet*, ſtatus confuſionis; & erubeſcentiæ eſt, quæ mirum in modum adiuuant, ad grauitatem peccati minuendam, illiuſque veniam impetrandam.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Matt. 11. ILlemet Chriſtus, qui de ſe ipſo affirmabat: *Mitis ſum, & humilis corde*, hanc mititatem in alijs etiam deſiderabat,

bat,&,quantùm in ſe fuit,omni ſtudio in eis inducere curauit. Eſt enim manſuetudo ornamentum bonorum omnium, quæ numquàm ſola eſt in homine, de dilectionis,& charitatis virtutibus generata. Vndè,Moſes, propter manſuetudinem ſuam,diuina apparitione dignus fuit. De hac Auguſtinus in Manuali: *Qualem te præparaueris Deo, talis oportet, appareat tibi Deus. Suauis enim, & mitis, & multæ miſericordiæ,ſuaues,mites,humiles, & miſericordes requirit. Cùm enim mitis ſit,quem non rancor, vel ira afficit, non irritat, nec irritatur,non nocet,nec nocere cogitat.* Dei naturæ,profectò admodum ſimilem naturam habent, & Chriſto benedicto,dum inter nos degebat,multùm conformes, qui omnia patienter ſuſtinent, *non reddentes malum,pro malo,nec maledictum pro maledicto. Mites enim ſunt*, inquit idem Auguſtinus de Serm. Dom. in mon. *qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt malo, ſed vincunt in bono malum.* Et D. Amb. lib. 5. in Luc. tractans illud: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt Regnum Dei*, de ſe ipſo loquens ait: *Cùm depoſuero omne peccatum,& exuero omnem malitiam, & ſimplicitate contentus fuero,inops malorum,ſupereſt, vt mores meos temperem. Quid enim mihi prodeſt carere ſæcularibus, niſi fuero mitis,atque manſuetus? Nam, qui ſequitur viam rectam ſequitur vtique illum, qui ait. Diſcite à me, quia mitis ſum,& humilis corde. Depone igitur,quæ improba ſunt,egeto vitijs,ſecundùm bonam paupertatem, mitiga affectum tuũ, vt non iraſcaris, aut certè iratus, ne peccaueris, iuxta quod ſcriptum eſt: Iraſcimini, & nolite peccare. Præclarum eſt enim,motum temperare conſilio,nec minoris virtutis docetur, cohibere iracundiam,indignationem compeſcere, quàm omninò non iraſci,cùm plerumque illud lentius, hoc fortiùs æſtimetur. Cùm hoc feceris,memento, quia peccator es, & lugeto peccata tua,lugeto delicta.* Hæc Amb.

Auguſt. *Pſal.* 85. *1. Pet.* 3. *Auguſt.* *Rom.* 12. *Ambr.* *Matt.* 5. *& Luc.* 6. *Matt.* 11. *Pſal.* 4.

Scribis,& Phariſæis vtique lugendum,qui non ſolùm hac virtute carebant, non ſolùm iracundiæ motus non compeſcebant,non ſolùm iraſcebantur, ſed ſemper Domino decipulas,& retiacula tendebant,vt illum,vel ſaltem in Sermone,caperent,atque ita accuſare poſſent. *Frequenter Phariſæi commouentur*, inquit Hila. in Matth. Can. 23. *& occaſionem inſimulandi eum habere ex præteritis non poſſunt, cadere enim vitium in geſta eius,& dicta non poterat,ſed de ma*

Hilarius.

litia affectu, in omnem ſe inquiſitionem reperiundæ accuſationis, extendunt. Adducunt ergo, vt Dominum in aliquo capiant, *mulierem, deprehenſam in adulterio, & ſtatuunt eam in medio, & dicunt ei. Magiſter, hac mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant tentantes eum, vt poſſent accuſare eum. Sed intelligamus* (inquit Aug. Tract. 33. in Ioan.) *admirabilem manſuetudinem in Domino fuiſſe, quæ illorum nequitiæ oppoſita, malignis non ceſſit, improbitate non diminuta fuit.* Nam eorum malignitas, illum ad iracundiam non concitauit, nec ipſorum crudelitas eum erga adulteram minùs benignum reddidit. Sed, quî ſecus eſſe poterat, ſi, vltra Chriſti naturalem, & genuinam bonitatem, ſpectemus etiam locum, vnde venit, &c. vt ſupra.

Ioan. 8. *Leu. 20.* *Auguſt.*

SECVNDA INVENTIO EST,

TRia illa, quæ ſingulariter ſplendere debebant in Chriſto, ex Dauidis vaticinio, ſcilicet, veritas, manſuetudo, & iuſtitia: *Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam deducet te mirabiliter dextera tua*, in Adulteræ huius liberatione ſimul, & ſemel illum oſtendere. Per veritatem enim, de crudelitate, & nequitia Scribas, & Phariſæos, mulieris accuſatores, redarguit, cuncta eorum peccata in memoriam illis reuocando: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*. Per manſuetudinem peccatricem liberauit: *Nemo te condemnauit mulier, non ego te condemnabo*. Et per iuſtitiam illi præcepit: *Noli ampliùs peccare.*

Pſal. 44. *Ioan. 8. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DEum eſſe miſericordiam, adeò frequens eſt ſcripturarum authoritas, vt eas adducere non opporteat. Magis eſſe

gis eſſe miſericordem, quàm iuſtum, hoc eſt, plures effectus miſericordiæ, quàm iuſtitiæ illum oſtendere, teſtatur Dauid: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius*. Teſtatur & Iacobus: *Miſericordia ſuperexaltat iudicium*. Sed in quibus præcipuè Dei miſericordia appareat, Deumque miſericordem eſſe, dignoſcatur, docent Sacri Doctores, dicentes: Deum benedictum miſericordiam ſuam primò oſtendere in mundi gubernatione, humanique generis conſeruatione. Vndè, hoc tangens Dauid, dicebat: *Miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe*. Et Chriſtus: *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*. Secundò in afflictorum conſolatione, ac deſtitutorum ſubleuatione; & ſanctiſſimus Rex Ioſaphat, in tribulatione illa, dum vidit filios Moab, & Ammon cum multitudine magna venire ad pugnandum contra ſe, ad Dominum conuerſus, in perſona omnium afflictorum, dixit: *Cùm ignoremus, quid agere valeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros derigamus ad te*. Tertiò in expectando peccatores ad pœnitentiam; vt ſimiliter, ad Dominum conuerſus, dixit olim Salomon: *Miſereris omnium, quia omnia potes, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam*. Ac tandem miſericors eſt Dominus, vt noſtro deſeruit inſtituto, in recipiendo peccatores ad veniam, & indulgentiam; nam, *quantùm ei diſplicet* (inquit Bernardus) *impudentia peccatoris, tantùm placet ei erubeſcentia pœnitentis*.

Pſal. 144. *Iac.* 2. *Pſal.* 110. *Matth.* 5. 2. *Par.* 20. *Sap.* 11. *Bernar.*

Quod, oſtendit Chriſtus in parabola Luc. 15. in qua patrem, prodigi filij introducit (dum ille ad eum reuertitur) accurrentem, & ſuper collum eius cadentem, illumque oſculantem, nec non cætera præſtantem, quæ ibi narrantur. At non minùs expreſſè, & clarè hodie in abſolutione, & liberatione mulieris adulteræ, quam non ſolùm non condemnat, ſed ab accuſatoribus defendit, miſericordiam ſuam ei impendit, & de adultera ſponſam ſuam ſpecialem facit. Conſideranda tamen in hac liberatione, non tantum manſuetudo Domini, ſed etiam alia duo, quæ illum demonſtraturum præcinit Dauid, ſcilicet, veritatem, & iuſtitiam, &c. vt ſupra.

Luc. 15.

TERTIA INVENTIO EST,

Mulieris humanæ naturæ, in ſpirituali adulterio deprehenſæ, paulò poſt ſui creationem, typum eſſe mulierem hanc, quam in vero adulterio deprehenſam fuiſſe, Ioannes commemorat. Sicut enim de hac legitur: *Modò deprehenſa eſt in adulterio*, ita etiam de illa omnes creaturæ, poſt peccatum eius in terreſtri paradiſo, vindictam à Deo expoſcebant, cùm per peccatum hominis omnes deordinatæ, & quandam contraxerint impuritatem, & dicebant: *Hæc mulier, modò* creata à te, bone Deus, *deprehenſa eſt in ſpirituali adulterio*. Et ſicut accuſatores huius mulieris, de qua in Euangelio, dicebant: *In lege autem Moyſes mandauit huiuſmodi lapidare*, ita etiam adulteræ humanæ naturæ omnes creaturæ idem ſupplicium à Deo precabantur. *In lege enim ſua*: *De omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas*, ſi illam tranſgrederetur, *mandauit* myſticus *Moyſes* Deus *huiuſmodi lapidare*, hoc eſt mori: *In quacunque hora comederitis ex eo, morte moriemini.* Per lapidem enim legem mortis ſignari docet Hieron. exponens ſuper Mar. 16. verba illa: *Et reſpicientes, viderunt reuolutum lapidem*. Ait enim; *lapidem ad oſtium monumenti* Chriſti, legem mortis ſignificare, quæ etiam infantes in vtero tangit. Sed reuolutus eſt à Chriſto reſurgente; *vitam enim reſurgendo reparauit, ſicut mortem noſtram moriendo deſtruxit*. Et reſponſum ab illo extorquentes, dicebant: *Tu autem quid dicis?* Reſpōdit autē factis, *inclinādo ſe*: *Inclinauit cœlos, & deſcendit; & ſcribēdo in terra* illa benedicta, de qua legitur: *Terra dedit fructum ſuum, digito Dei*, hoc eſt, virtute Spiritus Sancti, verba illa: *Et verbum carum factum eſt.* Ad quam inclinationem, aliam inclinationem magis ſalutiferam adiunxit (*nihil enim naſci profuit, niſi redimi profuiſſet*) inclinationem, inquam, ſub pondere crucis: *Baiulans ſibi crucem*, *&c.* & inclinationem capitis in Cruce, cùm omnia conſummauit: *Et inclinato capite*, *&c.* Quibus pietatis operibus, & miſericordiæ

Ioan. 8. cum ſeqq. — *Leu. 20.* — *Gen. 2.* — *Hieron. Mar. 16.* — *Eccleſia.* — *Ioan. 8.* — *Pſal. 17.* — *Pſal. 60.* — *Ioan. 1.* — *Gr. in Cāt. exultet iā, &c.* — *Ioan. 19. cum ſeq.*

ſericordiæ factis adulteram naturam humanam à lapidatione liberauit, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ADultera mulier, vt hæc à Scribis, & Phariſæis Chriſto adducta, ſecundum myſterium à DD. variè exponitur. Aug. 9. in Iud. 49. & Orig. Hom. 7. ſuper Matth. Synagogam adulteram vocant, cùm à vero ſponſo ſuo receſſerit. Quam tamen adulteram dicebant Iudæi erga Chriſtum, quem putabant non ſeruare legem. Ruper. 7. ſuper Ioan. dicit, adulteram ſignificare Eccleſiam, quæ erat adultera in Gentilitate, ſed præſentata Chriſto, conuerſa eſt. Adultera mulier, quæ, viuente viro, alteri coniungitur, dicitur is ab Amb. ſuper Rom. 6. qui nititur ſeruare veterem legem cum Euangelio. Adultera mulier ab Orig. ſuper Matth. cap. 16. & Hieron. ſuper Oſe. 1. appellatur anima, recedens à Fide, & veritate, & declinans à lege, & præceptis, atque adhærens alteri viro, nempe diabolo, & errori. Huius figuræ ſunt Thamar Gen. 38. mater Iephte, Iud. 11. vxor Amaſiæ, Amos 7. & habetur ex locis Num. 5. Deut. 22. 4. Reg. 9. Prou. 18. & 30. Eccli. 9. 23. 41. & 42. Eſa. 57. Ezech. 16. & 23. Oſe. 1. 3. & 4. Amos 7. & Matth. 12. & 16.

Auguſt. Origenes. Ruper. Ambr. Origenes. Hieron. Gen. 38. cum rel. de tex.

At Nos in præſentiarum dicemus; mulierem hanc ſignificare naturam humanam, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

COngruè ex Olíueti monte Dominum deſcendere, ad Iudæorum malignitatem confundendam, & mulierem adulteram liberandam. Habet enim Chriſtus (qui per oleum ſignificatur, Pſalm. 44. Cant. 1. & Leu. 8. nec non apud Clem. Alex. 2. Pæda. 8. Greg. ſuper Cant. 1. & Bern. ſuper Cant. Serm. 15.) olei naturam, proprietates, & effectus. Nam, ſicut oleum alijs liquoribus ſupernatat, ita etiam,

Pſal. 44. Cant. 1. & Leu. 8. Cle. Alex. Gre. Bern.

etiam, Iudæorum malignitati ſuperior Chriſtus, mulieris accuſatores hodie confundit. Sicut etiam oleum dolores vulnerum mitigat, & vlcera ſanat, ita dolorē mulieris adulteræ ſua benignitate mitigat, & vlcera luxuriæ eius ipſe medicatur. Sicut præterea oleum, dum effunditur, quietè, & non cum ſonitu cadit, ita Chriſtus, licèt, Scribarum, & Phariſæorum magna impudentia, temeritate, & malitia perſpecta, in iuſtum furorem prorumpere debuiſſet, tamen ſine ſtrepitu, ac rumore eorum ſubdolæ interrogationi: *In lege autem Moyſes mandauit huiuſmodi lapidare. Tu autem quid dicis?* humili facto reſpondit: *Inclinans ſe, digito ſcribebat in terra,* & lenia verba protulit: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Rurſus, ſicut oleum lucet, ita Chriſtus mulieri, in tenebris peccatorum exiſtenti, lucet per doctrinam: *Noli ampliùs peccare.* Sicut illud tandem in ſacrificio pacificorum ponebatur, ita Chriſtus diſcordem à ſe per peccatum mulierem adulteram ſibi pacificat, iuſtitiam, & miſericordiam in vnum connectens: *Nemo te condemnauit mulier, nec ego te condemnabo.*

Leu. 20. Ioan. 8. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Alcuinus. D*Ominus, maximè circa ſuam paſſionem*, inquit Alcuinus, *hanc ſibi effecerat conſuetudinem, vt in die quidē in templo, quod erat Ieroſolymis, verbum Dei prædicaret, ſigna, & miracula oſtenderet, ſerò reuertebatur in Bethaniam, vbi apud ſorores Lazari hoſpitabatur, & manè iterum ad ſimile opus reuertebatur. Igitur, ſecundùm hunc morem, cum in vltimo die Scenopegiæ toto die in templo prædicaſſet, veſperè perrexit in montem Oliueti, & diluculò iterum venit in templum.* At certè vndè nam propriùs, & conuenientiùs ad mulierem adulteram liberandam venire poterat Chriſtus, quàm ex Oliueti monte? Oleum enim Chriſtus eſt, qui in ſemetipſo omnes olei proprietates continet. Vndè, idem Alcuinus: *Vnctio enim olei feſſis, & dolentibus membris ſolet afferre leuamen. Mons etiam oliuarum ſublimitatem dominicæ pietatis deſignat; ἔλεος enim Græcè, Latinè, miſericordia. Natura quoque olei myſterio aptiſſimè congruit; ſuperfertur*

Idem.

ſertur enim omnibus liquoribus; & ſicut ait Pſal. Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Hæc ille. *Pſal.144.*

Quas proprietates, vt ad plenum, & ordinatè Chriſto conuenire oſtendamus, animaduertendũ,&c.vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

Solem Chriſtum rectè diluculò venire in templum,ad tenebras Scribarum, & Phariſæorum coarguendas. Tenebrarum autem proprietates, vt noſtro deſeruit inſtituto, præcipuæ hæ ſunt,viſionem impedire, verecundiam diminuere, caſum inducere,greſsũ prohibere,ac timorem incutere. Quæ quidem omnes Scribis,& Phariſæis,de quibus in Euangelio,conueniunt. Viſione enim carebant maximè. Sapientiæ, & excelſæ diuinitatis Chriſti. Vndè putabant, ſe illum in Sermone capere poſſe; *dixerunt enim apud ſe ipſos*(inquit Aug. Tract. 33. in Ioan.) *Auguſt.* *Si eam dimitti cenſuerit,iuſtitiam non tenebit;lex enim quod iniuſtum erat iubere non poterat,& ideò legem inducunt,dicentes: In lege autem mandauit nobis Moyſes huiuſmodi lapidare. Vt autem manſuetudinem non perdat,in qua iam populis amabilis factus eſt,eam dimitti debere,dicturus eſt. Vndè,eius ſententiam requirunt, dicẽtes:Tu ergo quid dicis? Hinc nos inueniemus ad accuſandum occaſionẽ, & reum faciemus, tamquàm legis præuaricatorem. Vndè, Euangeliſta ſubdit: Hæc autem dicebant,tentantes eum,vt, ſcilicet, poſſent accuſare eum.* Huc vſque Aug. Verecundia etiam carent, dum pleni peccatis non verecundantur peccatricem accuſare,illus lapidationem procurare, & Dominum in Sermonis lapſum ſollicitare. Cùm tamen verum ſit, quod inquit Greg. 14. Mor. 13. *Qui priùs ſemetipſum non iudicat, quid in alio rectum iudicet,ignorat. Et ſi nouit etiam per auditum, rectè tamen aliena merita iudicare non valet, cui conſcientia innocentia propria nullam iudicÿ regulam præbet.* Caſum quoque in eis tenebræ inducunt, ait enim Aug. vbi ſupra: *Cùm eos,* (ſcilicet,Phariſæos)*telo iuſtitiæ percuſiſſet, hoc certè: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat, quæ vox* *Greg.14. Mor.13. in nou. exempl.& 15.in anti. Ioan.8. cum ſeqq.*

iuſtitia eſt;puniatur peccatrix,ſed non à peccatoribus;impleatur lex,ſed non à prauaricatoribus legis, nec dignatus eſt eadentes attendere, ſed auertit ab eis obtutum. Vndè ſequitur: Et iterùm ſe inclinans,ſcribebat in terra. Hæc ille. Timorem tandem in eis tenebræ cauſant,nam ab eo perculſi, *audientes hæc,vnus poſt vnum exibāt,incipientes à Senioribus.* Patet ergo propoſitum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DIuini verbi Concionatores lucem eſſe teſtatur Chriſtus, qui ſeipſum, & ſuos Apoſtolos lucem mundi dixit. Se quidem: *Ego ſum lux mundi.* Suos verò Apoſtolos: *Vos eſtis lux mundi.* Luci autem, propter ſexcentas conuenientias Concionatores comparauit, quas hic referre non eſt opus. Sed propter duo potiſſimùm, quæ noſtro inſtituto deſeruiunt,ad præſens Euangelium explicandum. Primò, quia lux illuminat; ſecundò, quia, ſi illuminare non poteſt, quæ in tenebris ſunt,redarguit. Vndè,optimè dicebat Chriſtus: *Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras,quàm lucem, erant enim eorum mala opera. Omnis enim,qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem,vt non arguantur opera eius.* Et D. Paulus ad Epheſios ſcribens: *Nolite communicare*,inquit, *operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt dicere. Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur; omne enim, quod manifeſtatur,lumen eſt.* Primus effectus,illuminare,ſcilicet, à SS.Prędicatoribus eſt per ſe intentus;ſecundus verò tenebras videlicet & in tenebris exiſtentes redarguere, propter hoc ſolùm, vt tenebricoſi inexcuſabiles ſint, & ſemper eis probro verti poſſit,quod habentes lucem,& tenebras appoſitas,dilexerint magis tenebras, quàm lucem.

Ioan. 8. *Matth. 5.* *Ionn. 3.* *Ephe. 5.*

Chriſtus benedictus,qui hæc duo inceſſanter præſtitit,ſuæ prædicationis miniſterium implens, peculiariter in facto mulieris adulteræ,ſibi oblatæ, oſtendiſſe,mihi videtur. Illuminauit enim mulierem illam in tenebris exiſtentem, vel potiùs tenebras illius fugauit,& diſperſit. Scribas verò, &

Phari-

Phariſæos,ne dum in tenebris degentes, ſed tenebras ipſas, redarguit: Quòd verò Scribæ, & Phariſæi tenebræ fuerint, &c. vt ſupra.

DOMINICA QVARTA.

Abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis,&c. Ioan. 6.

Ioan.6. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

Lautiſſimum eſſe, omnibusque numeris abſolutum conuiuium, quod Chriſtus in monte turbis,illum ſequentibus,fecit. Cùm enim conuiuium nobilitari poſſit ex parte cõuiuatoris, conuiuarũ, loci, menſæ, miniſtrorum, vaſorum, & ciborum, propter hæc omnia Chriſti conuiuium vndèquaque magnum, dignumque apparet. Conuiuator enim ipſemet Chriſtus eſt; conuiuæ, ferè quinque millia hominum, *ſine paruulis, & mulieribus*; locus, mons apricus; menſæ, molle, ac viride fœnum; miniſtri, Apoſtoli; vaſa, duodecim cophini; ac denique cibi, quinque panes hordeacei, & duo piſces. *Abijt Ieſus*, ecce conuiuatorem. *Et ſequebatur eum multitudo magna*. *Erat autem turba hominum, ferè quinque millia*, ecce conuiuas. *Subijt ergo in montem Ieſus*, ecce locum. *Erat autem fœnum multum in loco, & diſcubuerunt*, ecce menſas. *Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Colligite, &c.* ecce miniſtros. *Impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum*, ecce vaſa. *Ex quinque panibus, & duobus piſcibus*, ecce cibos. *Matt.14.*

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

EVangelium, à Sancta Eccleſia propoſitum, cõſiderantes ſacri DD. illius varias, ſecundùm myſticum ſenſum, afferunt interpretationes. Quinque panes, quinque Moſis libros ſignificare, & duos piſces, gentem regiam, ac ſacerdotalem, docet Aug. 83. qq. q. 61. Duos rurſus piſces, eſſe dicta Prophetarum, & Pſalmorum, tradit Alcuinus, à Catena citatus. Theophilactus hæc exponens, inquit: *Dat nobis Chriſtus, qui quinque ſenſibus ſubiecti ſumus, rationales panes quinque, quia & ipſi quinque ſunt; vnicuique enim ſenſui conuenientem panem dat, id eſt, ſermonem, ſicut & Paulus* 1. Cor. 14. *dicit: Volo quinque ſermones in Eccleſia loqui, qui quinque ſenſuum ædificationi conueniant*. Tert. lib. de Bapt. circa principium, piſciculos, homines eſſe docet, inquiens: *Nos piſciculi, ſecundùm* ἰχθὺν *noſtrum, Ieſum Chriſtum, in aqua naſcamur, nec aliter, quàm in aqua permanendo ſalui ſimus*. Opta. lib. 3. cont. Parme. hos duos piſces pro humana, & diuina Chriſti natura accipere videtur, Chriſtum, piſcem eſſe intelligens, his verbis: *Piſcis Chriſtus intelligitur, qui in Baptiſmate, per inuocationem, fontalibus vndis inſeritur, vt, quæ aqua fuerat, à piſce etiam piſcina vocitetur*. Cui conformis eſt Aug. 18. de Ciui. Dei cap. 23. qui ex capitalibus verſuum Sibillæ Erithrææ litteris aggregationem quandam, & accumulationem nominum reddi, ait, quæ ita Græcè ſonant Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ; hoc eſt: *Ieſus Chriſtus, Dei filius, Saluator*. Quorum nominum ſi primas adhuc litteras iungas, erit, ἰχθὺς, id eſt *piſcis*, in quo nomine myſticè Chriſtus intelligitur.

August. *Alcuinus.* *Theophil.* *1. Cor. 14.* *Tertull.* *Optatus.* *August.*

Quæ omnes expoſitiones ſi in medium afferrentur, vel iniocundæ eſſent, vel res nimis abſtractæ à ſenſibus, vel parùm his temporibus congruentes. Agamus ergo, allegoricis, & ſymbolicis, his ſenſibus relictis, de conuiuio Chriſti; & illud lautiſſimum, magnificum, & ex omni parte abſolutum eſſe oſtendamus, &c. vt ſupra.

SECVN-

SECVNDA INVENTIO EST,

Conuiuium hoc, Euchariſtiæ Sacramentum
præſignificare. Quod ita eſſe, ex conteſtu Euã
gelij demonſtrabitur. *Abijt Ieſus transmare* *Ioan.6.*
Galilea, inquit Ioannes in Euangelio, & Chri *cum ſeqq.*
ſtus (quia Galilæa tranſmigratio interpreta-
tur) Euchariſtiæ Sacramentum inſtituens,
tranſmigrare fecit typum in prototypum, & figuras in fi-
guratum. Typos, inquam, & figuras panum propoſitionis,
mannæ, benedictionis Iacob, &c. *Quod eſt Tiberiadis* (ſequi-
tur textus) à Tiberio dictæ; qui, cùm Princeps fuerit, huic
deſeruit interpretationi; nam Euchariſtia *panis angelorum,* *Pagninus*
& robuſtorum dicitur, & cibus grandium, &c. Et ſequeba- *ex Heb.*
tur eum multitudo magna; quod quidem eſt mirabile in hoc *Pſal.77.*
Sacramento, captu difficillimo, & ſenſui repugnantiſſimo;
audiuimus enim aliquando dictum: *Durus eſt hic ſermo, &c.* *Ioan.6.*
At quis non ſequeretur Chriſtum, omnibus difficultatibus,
circa Sacramentum occurrentibus, tam faciliter à Docto-
ribus explicatis, ac tot, tantiſque viſis miraculis? Si enim dif-
ficilis videtur tranſubſtantiatio, Chriſti præſentia ſub ſpe-
ciebus, non confractio, non diuiſio, non multiplicatio ad lo-
corum multiplicationem, &c. ecce, iſtæ omnes difficultates
faciliter enodantur. Trãſubſtantiatio enim nil aliud eſt, &c.
Subijt ergo in montem Ieſus, ac in montem talem, ad rem *Ioan.6.*
noſtram, qui & Sinai, & Sion, & Oreb meritò dici poteſt. Cũ
enim Sinai inimicitia interpretetur, inimicitiam cum hoc
Sacramento habent Hæretici, ſed confutantur, & autoritati-
bus, & rationibus, & exemplis, &c. Cùm etiam Sion aceruus
dicatur, Sacramentum hoc mirabilium Dei aceruus eſt, cõ-
pendiũ, & memoriale, &c. Cùm etiã Oreb veſpertinus expo-
natur, Chriſtus, *quando tranſiturus erat ex hoc mundo ad Pa* *Ioan.13.*
trem, Sacramentum huiuſmodi inſtituit, &c. *Et ibi ſedebat cũ* *Ioan.6.*
diſcipulis ſuis; & Chriſtus in Sacramento quãuis non ſedeat, *cum ſeq.*
nec alias actiones habeat, modo exiſtendi naturali compe-
tentes, quia, &c. habet tamen actiones ſpirituales, quia, &c. *Ex Scoto*
& naturales, non vt in Sacramento, &c. mixtas verò cum *in 4.*
diſtin-

diſtinctione, &c. *Quinque panes, & duos piſces*, dat etiam manducare in hoc Sacramento; panes intellectui guſtandos offerens, ſcilicet, materiam, in qua conſecrauit, formam, qua vſus eſt, conſecrandi intentionem, amorem, quo ſe ipſum in Sacramento reliquit, & finem propter quem hoc Sacramentum inſtituit, vt, ſcilicet (& eſt ſatis principalis) iugis paſſionis ſuæ memoria in nobis maneret: *Hoc facite in meam*

Ioan. 13. *commemorationem, &c.* duos verò piſces offerens, voluntati humanitatem, videlicet, & diuinitatem ſuam, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVamuis omnium principalium myſteriorum nouæ legis voluerit Deus figuras in veteri Teſtamento præcedere, quas per Chriſtum (qui ad illas implendas venerat) renouari non opus fuit, immò nec decuit; quædam tamen, magis inſignia, non ſolùm impleri, ſed & rursùs figurari oportuit; vt vel eorum maxima dignitas oſtenderetur, vel, Chriſti mens apertiùs haberetur, qui voluit hæc cordibus

Heſſelius. noſtris arctiùs infigi. *Ecce* (inquit Heſſel. in 14. Matth.) *Licèt typi quidam in lege Moyſi præceſſerint, & in quotidianis Iudæorum cæremonijs, voluit tamen hæc nouis excitamentis ſignificare, quòd antiquæ legis figuræ ob antiquitatem, aut frequentationẽ nimiam vileſcerent. Vndè quàmquàm Baptiſmus tranſitu maris Rubri, tranſitu ſub nube, tranſitu Iordanis, mundatione Naaman Syri, & lotionibus legalibus fuit præſignatus, tamen, his non obſtantibus, Chriſtus, circa ſua tempora, nouos Baptiſmo ſuo typos præmiſit, videlicèt; Ioannis Baptiſmum, ægrotorum, in probatica piſcina, ſanationem, cæci nati, per ſputum, & lotionem in Siloë illuminationem. Similiter, quamuis manna, quo Iſraëlitæ quadraginta annis in deſerto paſti ſunt, & aqua de petra fluens, & panes propoſitionis Eucbariſtiæ ſacramentum ſignificauerint, idem tamen Sacramentum hac cibatione multorum millium, ex paucis panibus Chriſtus præſignaſſe videtur. Vndè, & huius miraculi*

Ioan. 6. *occaſione, apud Ioannem cap. 6. de corpore ſuo diſſerit, oſtendens, propterea ſe hoc minus miraculum feciſſe, vt ſibi, docenti maius miraculum de Sacramento Eucbariſtiæ crederetur.*

Quòd

Quòd autem miraculum hoc, Euchariſtiæ Sacramentum deſcribat, & circũloquatur, Euangelij textum percurrenti, omneſque illius particulas myſticè huic expoſitioni aptanti patebit. *Abijt Ieſus trans mare Galilaæ, &c.* vt ſupra. *Ioan. 6.*

TERTIA INVENTIO EST,

OMnes corporales poſitiones, poſſibiles dari in homine, referente Ioanne de Chriſto in hoc Euangelio, aliquid magni nobis innuere ad ſpiritualem profectum, myſticaſque, ac metaphoricas animæ poſitiones commonſtrare. Prætermiſſo enim iacere, quod ad rem non attinet, ſtare exprimit in transfretatione; naues namque ſtare dicimus, ſecundùm Calep. verbo *(ſtare)* Ambulare, in *Amb. Cal.* aſcenſu montis. Sedere, in ſeſſione cum Diſcipulis ſuis. Et currere, in fuga honoris, & regiæ dignitatis. *Abijt Ieſus* *Ioan. 6.* *trans mare Galilaæ, quod eſt Tiberiadis, & ſequebatur eum* *cum ſeqq.* *multitudo magna*, ecce primum. *Subijt ergo in montem Ieſus*, ecce ſecundum. *Et ibi ſedebat cum Diſcipulis ſuis*, ecce tertium. *Fugit iterum in montem ipſe ſolus*, ecce quartum. Standum eſt, quia, &c. Dicatur conſequenter.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

COrporales poſitiones, quòd ad ſpiritualem ſenſum attinet, magni ſemper feciſſe, & Scripturam, & Patres, ex his, quæ mox dicemus, aliqua ex parte patere poterit. Stat enim Deus, quia immutabilis, Iob 4. Stat, dum nos ad *Iob 14.* pœnitentiam expectat, Abac. 3.* Aug. de eſſ. diuin. & Amb. *cum rel.* ſuper Luc. 6. Stat Chriſtus ſuper ſpeculam Domini, Eſa. 21. *de tex.* & ſuper murum litum, ſiue adamantinum, Amos 7. & ſuper ** Auguſt.* montem Sion, Apoc. 14. dum inuariabilis regit Eccleſiam. *cum ſeqq.* Stat etiam adiuuando, defendendo, & præbendo auxilium, Bern. ſuper Cant. Serm. 56. Hier. ſuper Pſal. 81. Ambr. 3. de fide 7. Stant angeli de longè, quia ſeparantur à peccatore, quem

Pſal.37. cum rel. de tex. Baſilius. cum ſeqq.

re,quem tamen penitùs non derelinquunt, Pſal. 37. & ibi Baſil. & Arn. Stant etiam homines,fortes in tentatione,reſiſtentes, diabolo, illumque vincentes, Exo. 5. 7. & 14. & Orig. ſuper Exo. Hom. 3. & Greg. ſuper. 1. Reg. 3.

Ambulare deindè per metaphoram dicitur,cùm fidelibus ſuis impertit auxilium gratiæ ſuæ,Exo. 33. & 34. Leu. 26.& Deut. 23. & Orig. ſuper Leu. Hom. 16. ac Euch. form. ſpir. 1. Ambulat Chriſtus per opera,in noſtra humanitate facta, & ipſammet incarnationem,Pſal. 67. atque ibi Hila.& Arn. Ambulant angeli,cùm Chriſto ſeruiunt, noſque ab inimicis proteguut, Zach. 3. & ibi Hieron. Ambulant etiam homines(quod attinet ad bonum ſenſum) cum Deo, dum eius præcepta ſeruant,Gen. 5. & 6. & Mich. 6. qui addit aduerbium(*ſollicitè*) & ibi Hieron.

Sedere præterea dicitur Deus,quia & firmus eſt, & iudiciariam habet poteſtatem, Ioël 3. Dan. 7. & Apoc. 4.& Baſil. de Spir. San. 6. Aug. de eſſ. diuin. & Hieron. ſuper Dan. 4. Sedet autem ſuper gyrum terræ,Eſa. 40. quia totũ vndique comprehendit.Orig. ſuper Eſa.Hom. 1. & Gloſ.int. ſuper Eſa. 40. Sedet etiam Chriſtus per imperium ſuper Eccleſiam, & alias creaturas Eſa. 9.& 16. & ibi Hieron. Sedet in veritate, quia iuſtè iudicat, Pſal. 9. Sedet quoque ad dexterã Patris, tum,quia victori,poſt laborem datur quies; tum quia, deſtructo peccato, & omni principatu, ac poteſtate alienarum virtutum, omnium habet imperium; tum quia iudex eſt, Matth. 20. Orig. ſuper Matth. Hom. 12. & 35. Ruper. 6. ſuper Ioan. Aug.ſuper Pſal.46. & Amb. Serm. 60. Sedentes poſtea angeli dicuntur ſecus littus, ad eligendos piſces, in finali iudicio. Sedent homines (vt in bonam partem ſumitur) cùm ſunt firmi in fide.Gen. 18. cùm vacant contemplationi, Gen.48. Can. 2. & 1.Reg. 14. & Orig. ſuper Cant. Hom. 2. Greg. ſuper Can. 2. & Bern. ſuper Can. Serm. 48. idem Gregor. ſuper 1. Reg. 14. & Ric. de S. Vict. 4. de Arc. myſt. 10.& 11.

Curſus tandem in Deo metaphoricus, eius in omni loco præſentiam deſignat, & promptitudinem miſericordiæ eius. Et ſpecialiùs pro Chriſto, velocitatem eius ad ſaluandum genus humanum, ad pugnandum cum diabolo, & ad liberandos SS. PP. 1. Reg. 17. Pſal.18.58. & 61. & Hier. Epiſt. Beatitudinis, & ſuper Pſal.18. & Aug. ſuper Pſal. 61. Stellæ

currentes

currentes præterea dicuntur angeli, cùm nobis præbent
auxilium contra dæmones, Iud.5. & Sap.7. Currunt tandem *Iud 5.*
in bonum homines, cum,ſolidatis plantis per rectam fidem, *cum rel.*
feſtinant ad obſeruantiam diuinę legis,perfectionis,& vnio- *de tex.*
nis deificæ, Cant.1. Eſa. 55. Iere. 49. 2. Reg.19. Iudith. 13.
Mar. 5.6. & 9.Pſal.118. Gal.5. Pſal. 58.& Eſa. 40. & Orig. *Origenes.*
ſuper Cant. Hom. 1. Greg. 19. Mor.36. Rup.ſuper Can.1.& *cum ſeqq.*
Glo. Ord. ſuper Pſal.118.

Hæc,& multò plura corporalium ſeſſionum myſteria Nos conſiderantes, videnteſque eas omnes in præſenti Euangelio commemoratas, ad earum conſiderationem conſurreximus, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

VT Chriſtum ſequamur, & cum illo in mõte cœli conuiuium facere digni ſimus, nobis mare, & mare ſeptuplum tranandum eſſe,ſcilicet,ſonans,rubrum,magnum,feruens, ſolitudinis nouiſſimum, & vitreum. Hoc eſt, ſuperbiæ, iracundiæ,inuidiæ, luxuriæ,,accidiæ,gulæ,& auaritiæ. De primo legimus Eſa. 17. *Et multitudo maris ſonantis*. De ſe- *Eſa.17.*
cundo pluribus in locis Exo. mentio habetur. De tertio *Exo.*
Ioſu. 5. *Et cuncti Reges Chanaam, qui propinqua poſſidebãt* *Ioſu.5.*
magni maris loca. De quarto Eſa. 57. *Impij autem, quaſi* *Eſa.57.*
mare feruens. De quinto Deut.4. *Vſque ad mare ſolitudinis*. *Deut.4.*
De ſexto Deut. 34. *Vſque ad mare nouiſſimum*. De ſeptimo *Deut.34.*
Apoc. 4. *Tamquàm mare vitreum, ſimile chriſtallo*. *Apo.4.*

Superbia vocatur mare ſonans propter, &c. dic conſequenter.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DAuid Propheta, enarrans Pſal. 88. magnam Dei potentiam,& diuinas eius virtutes,quæ in operibus eius relu- *Pſal.88.*

Digitized by Google

relucent, quaſi primum, & principale, dominationem eius ſuper poteſtatem maris recenſet, dicens: *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Quid? antequàm ad hanc Dei virtutem exprimendam deſcendat, quaſi ſolus non ſufficiat, inuitat cœlos ad hæc mirabilia enarranda. *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine, &c.* ¶ Nec non, quaſi animos Auditorum præparans breui proœmio ad hæc eadem audienda, inquit. *Quoniam quis in nubibus, æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filijs Dei? Deus, qui glorificatur in concilio Sanctorum, magnus, & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt.* Et rursùs ad Deum conuerſus, actionem illam in Dei laudem mox expreſſurus, admiratione quadam eam magnificat, dicens: *Domine Deus virtutum quis ſimilis tibi? potens es, Domine, &c.* Ac tandem hanc mirabilem Dei virtutem, eundem Deum alloquens, exprimit, inquiens: *Tu dominaris poteſtati maris, &c.* Et meritò ita hanc Dei actionem extollit Dauid, cùm ſolus ipſe poteſtati maris amariſſimi, & ſalſiſsimi peccati dominetur; ſolus à peccato per naturam ſit immunis, cæteris hominibus (excepta Mariam per gratiam) huius maris vndis aliqua ex parte ſubiectis; *teguntur enim aquis ſuperiora noſtra.*

Pſal.76. Rogandus eſt ergo hic ſpiritualis Neptunus, *cuius via in mari, & cuius ſemitæ in aquis multis,* vt ratem noſtram inter ſcopula, & ſyrtes dirigat, à procelliſque, & tempeſtate defendat, vt ad optatum ſalutis portum peruenire mereamur. Et quidem tali auxilio indigemus, cùm non ſolùm mare, ſed mare ſeptuplum nobis tranſeundum ſit, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

QVid homines, Chriſto duce, in via agant, & in patria acturi ſint, in Euangelio præſenti deſcribere Ioannem. In via namque nauigio vehuntur, mare tranant, & montem conſcendunt. In patria ſuper fœnum ſedent, panes, piſceſque manducant, ſalubriori aëre perfruentes.

Vehuntur primò homines nauigio Baptiſmi à littore veteris.

teris hominis ad littus noui, inquiunt Arn. ſuper Pſal. 106. Euch. For. ſpiri. 8. & Greg. 4. Mor. 22. deindè perdita innocentia nauigio pœnitentiæ, iiſdem Patribus aſſertoribus. Tertiò nauigio Crucis Chriſti, quæ nauis eſt, & nunquam deſerenda, Euch. q. in Iob. Greg. Hom. 24. in Euang. Hila. ſuper Matth. Can. 16. Amb. Serm. 9. & Aug. Epi. 49. Secundò mare tranare debent, & mare quidem multiplex, vt in ſuperiori Inuentione tetigimus. Ac tertiò montem conſcendere, & montem illum, de quo Eſa. 40. Iere. 16. Ezech. 17. Pſal. 23. & 103. Matth. 17. Luc. 1. & qui figuratur Gen. 19. per montem, in quo ſaluatur Loth; nec non Exo. 15. per montem hæreditatis Dei; & Num. 27. & 33. per montem, quem aſcendit Moſes, gratia contemplandi terram promiſſionis; ac tandem per montem, qui à Chriſto deſcribitur Matth. 5. per montem, ſcilicet, ſuper quem eſt ædificata ciuitas, mons, inquam, perfectionis, & ſublimis conuerſationis.

Arnol. cum ſeqq.

Eſa. 40. cum rel. de tex.

In patria verò ſuper fœnum ſeſſuri ſumus (hoc eſt, omnibus carnis motibus, & prauis inclinationibus dominaturi, cunctis iam temporalibus, & mundanis rebus ſuperiores, prout fœnum accipiunt Hieron. ſuper Matth. 14. Amb. ſuper Luc. 9. Aug. ſuper Ioan. Tract. 24. Orig. ſuper Matth. 14. Amb. 3. Exæ. 7. Greg. 32. Mor. 11. & nonnulli alij) & panē illum comeſturi, de quo Chriſtus quidem apud Lucā: *Beatus, qui manducat panem in regno Dei*; & cuius habetur typus 2. Reg. 9. & Eſa. 65. nec non piſces humanitatis, & diuinitatis Chriſti, qui myſticus piſcis eſt, Hieron. ſuper Matth. 17. Orig. ſuper eundem cap. 13. Tert. de Reſur. & Greg. Hom. 24. in Euang. Deniquè aëre Spiritus Sancti gauiſuri, Ric. de S. Vict. de ſomnio Nabuc. 29. Hieron. ſuper Eyech. 1. Beda ſuper Exo. 14. Rup. ſuper Oſe. 13. Amb. Epi. 62. Greg. 5. Mor. 25. & quam plures alij.

Hieron. cum ſeqq.

Luc. 14.
2. Reg. 9.
Eſa. 65.
Hieron. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

PRæſentis, & futuræ beatæ vitæ diuerſitatem optimè exprimit Aug. dicens: *Duas vitas ſibi diuinitùs prædicatas, nouit Eccleſia. Quarum vna eſt in fide, altera in ſpecie.*

Tract. 124. in Ioan.

Vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate manſionis. Vna in labore, altera in requie. Vna in via, altera in patria. Vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis. Vna declinat à malo, & facit bonum, altera nullum habet, à quo declinet, malum, & magnum habet, quo perfruatur, bonum. Vna cum hoſte pugnat, altera ſine hoſte regnat. Vna ſubuenit indigenti, altera ibi eſt, vbi nullum inuenit indigentem. Vna aliena peccata, vt ſua ſibi ignoſcantur, ignoſcit, altera nec patitur, quod ignoſcat, nec facit, quod ſibi poſcat ignoſci. Vna flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, vt ſine vlla tentatione ſuperbiæ, cohæreat ſummo bono.

Exo. 33. *3.Reg.* 8. *& Heb.*9. *3.Reg.*6. Quæ vitæ ſatis dilucidè etiam figurantur per tabernaculum mutabile, & fixum, & manufactum, & non manufactum. In quorum ſecundo, *non eſt auditus ſonus mallei, vel ſecuris*; nam in futuro ſtatu, perturbationis tumultus non erit, vt exponit *Philo.* Philo 3. de vita Moſis. Perfectè etiam deſcribuntur à Ioãne in hoc Euangelio, docente, quid homines in præſenti, & in futura vita agãt, & acturi ſint, &c. vt ſupra.

SECVN-

SECVNDA QVARTAE.

Propè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymã, & inuenit in templo, &c. Ioan. 2. *Ioan. 2.*

PRIMA INVENTIO EST,

TEmplum Ieroſolymitanum prophanatum, templum animæ, peccatis contaminatum, ſignificare. In cuius purgatione ſicut tria legimus; *res, à quibus purgatur*, *manum quæ purgat, & medium, quo purgatur, flagellum inquam*; ita in purgatione templi ſpiritualis, ea, à quibus illud purgatur nouimus, peccata nimirum; manum ſacerdotalem, quæ purgat, abſoluendo, quinque digitis conſtantem, ſcilicet, authoritate, ſcientia, bonitate, charitate, & dexteritate; & flagellum, tribus funiculis compactum, ſcilicet, contritione, confeſſione, & ſatisfactione.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

PEr os Ieremiæ Prophetæ exprobrans Dominus ingratitudinem ſuam ciuitati Ieruſalem, & præcipuè, quòd impudenter, & publicè in conſpectu cœli peccare non vereretur, erecta ceruice, & imperfricta fronte Deum; eiuſque

Digitized by Google

Iere. 2. præcepta contemnens, ait enim: *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix. A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſeruiam.* Et quòd diuina beneficia, ac ſi illa non recepiſſet, obliuioni tradidiſſet, eius excuſationi occurrit, inquiens: *Quomodo dicis: Non ſum polluta, poſt Baalim non ambulaui? Vide vias tuas in conualle, ſcito, quid feceris, curſor leuis, explicans vias ſuas.* Ac ſi diceret: Quamuis pauca, & leuia te admiſiſſe facinora (præteritis tuis actibus obliuioni traditis) tibi perſuadeas, Ieruſalem, tamen, ſi opera, quæ operata es, in memoriam reuocaueris, iniquitatem certè tuam agnoſces, atque ab excuſatione linguam compeſces. Idcircò, tu, qui fuiſti, velut curſor leuis, ad peccata perpetranda, meque offendendum, vide vias tuas, &c.

Tu Ieruſalem imitata es. N. impudenter peccans, Creatorem tuum pedibus conculcans; illamque ſecuta es, in obliuione tot, tantorumque diuinorum beneficiorum. Excuſari non potes, omnibus creaturis, tuaque propria conſcientia, praua opera tua accuſantibus, idcircò, vt diuinæ vindictæ te ſubtrahas, vt infinitis penè malis, quæ in animã tuam irrepſerunt, prouideas, remedium non ſpernas, & remedium tantæ facilitatis, propriorum (inquam) delictorum deteſtationem, & confeſſionem: *Vide vias tuas*, & poſtquàm videris, *explica illas.* Hinc enim fiet, vt prophanatum animæ tuæ templum purgetur, & deperditam ſanctificationem acquiras. Quòd, vt faciliùs præſtare poſſis, ſub typo expurgati Ieroſolymitani templi, omnia, ad hanc purgationẽ requiſita, tibi oſtendere dignatur Spiritus Sanctus. Namque, vti in illius expurgatione, facta per Chriſtum, & res à quibus purgatur, & flagellum, quo mediante purgatur, & manum purgantem animaduertimus, ita, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

QVatuor, quæ hodie Chriſtus eijcit de templo (compacto ex funiculis flagello) quæ nam ab Eccleſia Dei eijcienda ſint, nobis præſignificari. Vt enim ille eijcit oues, & boues, & columbas, & nummularios, ita etiam ab Eccleſia eijciendi

Digitized by Google

eijciendi ſunt ignorantes ; & ſcientia myſteriorum Dei carentes, per oues figuratè, Philo de Sacri. Abel, & Caim. 1. *Philo. cum ſeqq.* Orig. ſuper Leu. Hom. 2. & ſuper Num. Hom. 27. Cyril. de adorat. in Spi. San. Iſych. ſuper Leu. 1. Greg 1. Mor. 16. *Boues, Sacerdotes* , qui ſolùm quæſtus , & lucri gratia, in templo, Domino miniſtrare quærunt, Glo. Ord. ſuper Ioan. 2. *Columbæ* , *concubinarij* publici , qui quidem , vt columbæ. luxurioſi ſunt. *Ac tandem nummularij, publici, ſcilicet, vſurarij.* Orig. ſuper Matth. Hom. 15. & Amb. ſuper Luc. 19.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVemadmodum Eccleſia auroræ comparatur, quia lumine doctrinæ augetur, & ſemper in cognitione proficit, paulatim tenebras deſerens, & ſeſe in noui luminis fulgorem conuertens (Greg. 4. Mor. 15. & 29. Mor. 2. Rup. *Gregor.* ſuper Cant. 6. & Bern. ſuper Cant. Serm. 33.) ita Chriſtus, *Ruper.* huius auroræ Sol, ſenſim ſui ſplendoris radios apud morta- *Bernar.* les emiſit, maioriqúe , in dies , miraculorum gloria coruſcauit . Primum namqúe ſignum , & ſignorum initium fecit domi, inter domeſticos, & notos, in Cana Galilææ, Deindè prodiens in publicum, cùm eſſet paſcha , dies feſtus Iudæorum, maius opus aggreſſus eſt, vendentes, & ementes oues, & boues , & columbas de templo eijciendo , nummulariorium effundendo æs, & menſas ſubuertendo . *Præſens hiſtoria* (inquit Orig.) *in nullo minorem poteſtatem prætendit* *Origenes.* *his, quæ ab eo miraculoſiùs edita ſunt. Quinimò conſtat, hanc maiorem demonſtrare potentiam miraculo, quo aqua conuerſa eſt in vinum, eò quòd illic inanimata ſubſiſtit materia, hic verò tot millium hominum domantur ingenia , quorum expulſio tranſcendebat dignitatem eius , qui reputabatur filius carpentarij , niſi quòd diuina poteſtate ſibi omnes ſubiecit .* Magnum etiam propter myſterium : *Ieſus enim propellente boues , & oues* (inquit idem Orig.) *iubente auferri colum-* *Idem.* *bas, quæ plurimùm offerebantur iuxta conſuetudinem Iudæorum , & ſubuertentem menſas materialium nummorum, non expreſſè, ſed figuraliter continentium diuinas impreſſiones , ea, ſcilicet, quæ ſecundùm legis ſcripturam videbantur hone-*

ſta, & vtente eo in plebem flagellis, diſſoluenda, & diſpergenda hæc erant, translato regno ad eos, qui ex Gentibus crediderunt.

A quibus tamen credentibus etiam iſta figuraliter eijcienda ſunt, nimirum, ſegregandi ab Eccleſia ignorantes, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO

EST,

Ioan. 2. cum ſeqq. QVia interrogatus Ieſus à Iudæis, dum eijceret paternæ domus prophanatores: *Quod ſignũ oſtendis nobis, quia hæc facis?* reſpondit, & dixit eis: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, tempum appellans corpus ſuum: *Ille autem dicebat de templo corporis ſui*, idcircò, Ieroſolymitanum templum corporis ſui figuram geſſiſſe, dicendum. Quod aſtruit etiã Theoph. inquiens:
Theoph. *Iudæi de inanimato templo putantes eum hoc dicere, deridebant eum, vndè ſequitur:* Dixerunt ergo Iudæi: *Quadraginta, & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* & Beda: *Quia enim ſignum quærebant à Domino, quare ſolita commercia proijcere debuerit ex templo, reſpondit: Quia ipſum templum ſignificabat templum corporis ſui, in quo nulla prorſus eſſet alicuius macula peccati; q. d. Sicut inanimatum templum à veſtris commercijs, ſceleribuſque mea expio poteſtate, ita & hoc corporis mei templum, cuius illud geſtat figuram, veſtris manibus diſſolutũ, tertia die reſuſcitabo.* Auguſt. etiam 4. de Trinit. exponens verba illa: *Quadraginta, & ſex annis, &c.* inquit: *Hic numerus perfectioni dominici corporis aptè congruit. Quadrageſies enim ſexies ſeni fiunt ducenta ſeptuaginta ſex, qui numerus dierum complet nouem menſes, & ſex dies. Ipſa autem perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, ſicut à Maioribus traditum ſuſcipiens, Eccleſiæ tradit authoritas. Octauo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus. Natus autem traditur octauo Kalendas Ianuarij. Ab illo ergo die, vſque ad iſtum, computati ducenti ſexaginta ſex reperiuntur dies, qui ſenarium nume-*

Beda. (margin)

cap. 5. (margin)

rum

Digitized by Google

rum quadrageſies ſexies habent. Idem etiam Aug. 83. qq. q. 56. ait: *Dicitur etiam conceptio humana ſic procedere, & perfici, vt primis ſex diebus, quaſi lactis, habeat ſimilitudinem, ſequentibus nouem diebus conuertatur in ſanguinem, deinde 12. diebus ſolidetur, reliquis decem, & octo diebus formetur, vſque ad perfecta ligamenta omnium membrorum, & in reliquo tempore, vſque ad tempus partus, magnitudine augeatur. Sex autem, & 9. & 12. & 18. in vnum coacti, fiunt 45. Addito ergo vno, fiunt 46. Qui, ſi fuerint multiplicati per ipſum ſenarium numerum, qui huius ordinationis caput tenet, fiunt ducenti, & ſeptuaginta ſex, ideſt, nouem menſes, & ſex dies. Non ergo abſurdè 46. annis dicitur, fabricatum eſſe templum, quod corpus eius ſignificabat, vt, quot anni fuerint in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis dominici perfectione*. Idem rurſus Tract. 10. in Ioan. *Quia Dominus noſter de Adam corpus accepit, non de Adam peccatum traxit, templū corporeum indè ſumpſit, non iniquitatem, qua de templo pellēda eſt. Si autem facias quatuor nomina Græca: Ἀνάτολη, quod eſt Oriens, Δύσις, quod eſt Occidens, Ἄρκτος, quod eſt Septentrio, Μεσημβρία, quod eſt Meridies, capita verborum (Adam) habent. A quatuor enim ventis Dominus, ſe collecturū dicit, electos ſuos, cùm venerit ad iudicium. Habent autem literæ nominis (Adam) numerum, ſecundùm Græcos, & ibi inuenitur, 46. annis ædificatum templum. Habet enim (Adam) α, quod eſt vnum, & δ, quod eſt quatuor, & α, quod eſt vnum, & μ, quod eſt quadraginta, & ſic habet quadraginta ſex. Sed Iudæi, quia caro erant, carnalia ſapiebant, ille ſpiritualiter loquebatur, & de quo templo diceret, per Euangeliſtam nobis aperuit*. Hæc Aug.

August. · Idem. · Matt. 24.

His fundamentis iactis, & ſolidiſſima hac PP. doctrina præſuppoſita, dicendum; templum Salomonis fuiſſe figuram corporis Chriſti, & corpus Chriſti rectè templum Salomonis dici poſſe. Et multò magis, ſi rationes, & conformitates adducantur. Dicitur ergo Chriſti humanitas Salomonis templum ſex rationibus, & congruentijs.

Primò, ratione, nuper ex Patribus allata, temporis, ſcilicet, & durationis. Sicut enim Salomonis templum quadraginta, & ſex annis ædificatum eſt, ita & corpus Chriſti. Quibus expoſitionibus, ſi aliquid adijcere volumus, dicere poſſumus, non ſolùm quadraginta ſex multiplicatis diebus, qui

46.annos reddunt, vt videntur habere D.Auguſtini expoſitiones,ædificatum eſſe,ſed quadraginta, & ſex annis ſimpliciter.Nam, quemadmodum numerus 46. annorum, quibus Salomonis templum conſtructum eſt,incipit à die, quo fundamenta eius poſita ſunt, ita & conſtructio myſtici templi, corporis Chriſti.Cuius quidem fundamentum tunc poſitum fuit,quando ſacrum corpus puriſſimæ Virginis Mariæ,quod fundamentum corporis Chriſti eſt, formari incœpit.Numerare ergo incipiẽtes,dicemus ſic:Paulò minùs vno anno ſtetit illa in vtero B.Annæ,matris ſuæ,quarto decimo ætatis, vt communiter tenetur, Chriſtum concepit, & quinto decimo peperit. Atque ita ſexdecim anni computantur à die conceptionis Beatę Virginis,vſque ad natiuitatem Chriſti. Qui cùm triginta tres annos, & tres menſes vixerit, ſi tres anni auferantur, & teneatur ſolùm initium prædicationis, tempus, inquam,quo prædicare cœpit,& quo hunc cum Hebræis ſermonem habuit, anni quadraginta ſex reperientur. Tres enim illi menſes,qui primo anno formationis corporis Virginis in matris vtero deſunt,ſumi debent ex primo anno prædicationis Chriſti, qui iam erat inchoatus, dum in Paſchate vendentes, & ementes de templo eiecit. *Undecima enim menſis Tybi,quæ apud nos eſt ſexta Ianuarij,miraculum*

Epiphan. *in Cana Galilææ factum eſt*, inquit Epipha.Hær.51.

Secundò, principale intentum probatur ratione diuinæ inhabitationis. Nam, ſicut in templo illo materiali Deus

2.Paral.5. habitare dignatus eſt (vndè 2. Paral. 5. dicitur, quòd

& 7. *domus Dei repleta eſt nube, ne poſſent Sacerdotes ſtare, &*

3.Reg.8. *miniſtrare propter caliginem,compleuerat enim gloria Domini domum Dei*,& infra 7.cap.*Cùmque compleuiſſet Salomon fundens preces,ignis deſcendit de cœlo,& deuorauit holocauſta,& victimas,& maieſtas Domini impleuit domum.Sed & omnes filij Iſraël videbant deſcendentem gloriam Domini ſuper domum,et corruentes proni in terram ſuper pauimentum, ſtratum lapide,adorauerunt,& laudauerunt Dominum,quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius*, & Ioſe-

Ioſephus. phus lib.8.Antiq. 3.c. inquit: *Salomon manifeſtè Deum vidit,ſacrificium ſuſcipientem. Ignis enim ex aëre deſcendens, omnibus videntibus,ad altare hoſtias totas arripuit,et abſumpſit.Hac igitur apparitione monſtrata,populus quidem manifeſtationem hanc eſſe diuinæ habitationis,in templo conijciens,*

proci-

procidens adorauit in terra. Hæc ille.) ita corpus Chriſti fuit nobiliſſimnm totius deitatis habitaculum, vt inquit Paul. ad Coloſſ. 2. *habitauit enim in illo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* *Coloſſ. 2.*

Tertiò, ratione exauditionis, & ſpiritualis conſolationis idem probatur. Sicut enim in templo illo materiali tribulati, & afflicti conſolabantur, atque in petitionibus ſuis exaudiebantur (vndè Salomon, poſtquàm omne opus templi compleuit, orationem elegantiſſimam coram omni populo Iſraël fecit, vt habetur 2. Paral. 6. in qua, præter cætera, de exauditione diuina Sancto Spiritu plenus, admiratione digna confidentiſſimè populo Iſraël repromittit) ita in ſacratiſſima Chriſti humanitate, & pręcioſiſſimo illius corpore, diuinitatis inſtrumento, omnium deſolatorum refugio, conſolamur, & per Chriſtum exaudimur. Quare Dauid: *Domine, refugium factus es nobis.* Ad quod ipſemet Chriſtus vocat nos, dicens Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et Lact. 7. lib. de diuin. inſtit. cap. 27. paulò explicatiùs: *Veniant, qui eſuriunt, vt, cæleſti, cibo ſaturati, ſempiternam famem ponant. Veniāt, qui ſitiunt, vt aquam ſalutarem de perenni, cæleſtique fonte pleniſſimis faucibus trahant. Hoc cibatu, atque potu Dei & cæci videbunt, & ſurdi audient, & muti loquentur, & claudi ambulabunt, et mortui reuiuiſcent, et ſtulti ſapiēt, & ægroti valebunt.* Cui non abſimilis eſt Amb. ſuper Luc. dicens: *Chriſtus omnibus omnia factus eſt, pauper pauperibus, diues diuitibus, flens flentibus, eſuriens eſurientibus, ſitiens ſitientibus, profluens abundantibus. In carcere cum paupere eſt, cum Maria flet, cum Apoſtolis epulatur, cum Samaritana ſitit, in deſerto eſurit, vt cibus primi hominis, quem præuaricatione guſtauerat, ieiunio Domini ſolueretur.* *2. Paral. 6.* *Pſal. 89.* *Matth. 11.* *Lact. Fir.* *Ambr.*

Quartò, idem probatur, ratione candoris, & puritatis. Nam, ſicut templum Salomonis, teſte Ioſepho lib. 8. Antiq. 3. c. candido lapide fuit conſtructum, ſcilicet, marmore nobiliſſimo, propter quod (vt dicit idem 6. de bello Iudaico cap. 8.) hoſpitibus venientibus, monti niueo ſimile procul videbatur, ita corpus Chriſti candorem puritatis in ſe habebat, ex puriſſimis ſanguinibus Beatæ Virginis formatum, & in nullo vnquàm maculatum. *Ioſephus.*

Quintò, ratione ornatus, & ſplendoris. Sicut enim templum

Digitized by Google

plum illud totum ſplendidum, & deauratum erat perfectiſ-
2.Paral.3. ſimè intùs,& extra ornatum, vt dicitur.2.Paral.3.& 3.Reg.
3.Reg.5. *5.nihil enim erat in templo, quod non auro tegeretur*, ita
Coloſſ.2. etiam corpus Chriſti, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, virtutum, ac meritorum, deauratum erat auro mundiſſimo intùs,& foris;fulgens ſplendore diuinæ ſapientiæ, & ardens flamma charitatis.

Sextò,deniq́ue ratione tranquillitatis,& pacis.Nam,ſicut Salomonis templum,pacis tempore ædificatum eſt,ita,dum
Pſal.75. Chriſti corpus formatum fuit, *factus eſt in pace locus eius*,
Pſal.119. *Rex pacificus magnificatus eſt*,nec non,vt inquit Sanazar.in
Eccleſia. Eccleſia,ab ipſo Neap. conſtructa:
Sanaz. *Partus,& integritas diſcordes tempore longo*
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DVræ ceruicis Hebræi, ſemper Spiritui Sancto reſiſtentes,legem Dei violantes,idola colentes, Sanctos Dei Prophetas perſequentes, & vniuerſa ſcelera admittentes, ſæpiùs flagellis cæſi,vaſis mortis flagellati,in captiuitatem ducti, omnibusq́ue malis vexati ſunt, quæ, legem Dei vio-
Deut.18. lantibus,Moſes Deut.18. imprecatur. Deniq́ue ob eorum delicta, Sancta Ieroſolymitana ciuitas ab inimicis capta, vaſtata,diruta,ac ferè ſolo æquata fuit,& (quod omnium maximum)auguſtiſſimum illud, & ſanctiſſimum Salomonis templum,de quo quaſi incredibilia leguntur in libris Reg.& Paral.penitùs deſtructum eſt. Templum enim, quod perſiſtebat tempore prædicationis Chriſti, ſæpè ſæpiùs in Euangelio Salomonis templum vocitatum, non Salomonis erat, cùm illud deſtructum fuerit per Nabuzardan, Principem, exercitus Nabuchodonoſor, Regis Babiloniæ, vt patet 4.
4.Reg.vlt. Reg.vlt. ſed erat templum reædificatum ſub Zorobabel poſt captiuitatem Babyloniæ, & ab Herode reſtauratum. Quæ
3.Eſd.5. quidem Zorobabelis ædificatio quadraginta, & ſex annis protelata fuit, impedientibus inimicis, qui erant in nationibus per circuitum. Vocabatur tamen Salomonis, tum quia in eodem loco,in quo antiquum templum erat,reædi-

ficatum

ficatum fuit, tum quia illius antiqui templi aliquæ reliquiæ, & veſtigia remanſerant, tum deniquè ob reuerentiam, & obſeruantiam primi conditoris.

In hoc templo ſecundo Chriſtus prædicauit, orauit, miracula fecit, multas quæſtiones habuit cum Scribis, & Phariſæis, & de hoc, primo anno ſuæ prædicationis, circa feſtum Paſchæ, vendentes oues, & boues, & columbas eiecit, nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Quæ cùm faceret, maximam oſtendens, & authoritatem, & poteſtatem, à Iudæis interrogatus fuit: *Tu qua poteſtate hæc facis?* Quibus ille reſpondit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Cui, per argumentum ab impoſſibili, replicarunt Iudæi: *Quadraginta, & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* At non de templo materiali loquebatur Chriſtus, ſed de templo corporis ſui, &c. vt ſupra. *Ioan. 2. cum ſeqq.*

QVARTA INVENTIO

E S T.

IN allegorico myſtico ſenſu tractandam, exponendamque propoſitionem Chriſti: *Nolite facere domum Patris mei domũ negotiationis;* & dicendum; hæc verba ad omnes Chriſtianos pertinere, qui animam, domum æterni Patris (Greg. 5. Mor. 28. Bern. Serm. 2. Aſſumpt. Chryſ. ſuper Pſal. 22. Hieron. ſuper Eſa. 64. & ſuper Agge. 1. Baſi. ſuper Pſal. 48. Hila. ſuper Pſal. 127. & ſuper Matth. Can. 8. & 9. Amb. de dignit. Sacer. 4. Orig. ſuper Matth. Hom. 27. 31. & 37. & ſuper Cant. Hom. 2. & 3. & Philo de Cherub. & 2. Allego.) faciunt domum negotiationis, emẽtes à tribus peſſimis mercatoribus, mundo, diabolo, & carne viliſſimas, & pernicioſiſſimas merces; &, vice earum, pretioſa quæque dantes, & animam ipſam vendentes. Merces diaboli ſunt, ſuggeſtio, illuſio, ſuaſio, tentatio, fraus, circumuentio, &c. Mundi ſunt, diuitiæ, pompa, iactantia, fallaces honores, ioci, vanitates, &c. Carnis ſunt, illecebræ, voluptates, inordinatæ delectationes, libidines, luxuriæ, &c. Quibus ab homine emptis, &, vice illarum, dato conſenſu, delectatione, *Ioan. 2. Gregor. cum ſeqq.*

tione, & operis executione, templum animæ, domus Dei, polluitur,& purgari indiget manu Chriſti,flagello Chriſti.

Exo. cum rel. de tex. *Cyrillus. cum ſeqq.* Manu Chriſti purgatur prima pollutio; nam, cùm Chriſtus Dei manus dicatur(Exo.3.4.6.9.13.14.& 32. Num. 11. & 27. Deut.32.1.Reg.6. Pſal.20.43.101. 118.137.143.Eſa.25. 26.49.50.& 66.Iere.1.& 6.Ezech.1.2.3. & 37.Abac.3. Ioan. 10.1.Pet.5.& alibi ſæpè,& apud Cyril. de Incar. Vnig.15.& cont.Iulia.9.Gre.Nyſſe.de vita Moſ.Fulg.ad Traſim.2.Hieron.ſuper Ezec.37.& ſuper Abac.3. Orig. ſuper Num.Hom. 27.Amb.ſuper Pſal. 118. Serm.22. & Greg. ſuper 1.Reg. 6.& ſuper Ezech.Hom.2.9.& 10.) hoc eſt,Dei virtus,hæc vtique virtus neceſſaria eſt, ad mercatorem diabolum, eiusque merces ei domo animæ eijciendas, idque eo flagello, quod propriè flagellum dœmonum nuncupatur.

Manu item Chriſti purgatur ſecunda pollutio, facta per mundum,eiusque merces. Cùm enim Chriſtus dicatur etiã manus Moſis leproſa,& leproſa per vulnera, & flagella paſſionis,hac manu optimè conſiderata,& in memoriam reuocata,facilè mundi pompæ, & vanitates abijciuntur. Maximè,ſi flagellum tribulationis adijciatur, per quam,figuram mundi tranſire,nec ſtabilem eſſe percipimus. Flagellum autem ſignificare tribulationes,aſſerunt ex Scripturis communiter PP. & præcipuè Hieron. ſuper Oſe. 4. Beda ſuper Gen.22.Amb.2.de Abra.4. Orig ſuper Pſal.38.Hom.2.& ſuper Pſal.88.Hom.item 2. Philo de Abra.& alij.

Exo.33. *Exo.24.* Manu tandem Chriſti purgatur tertia pollutio. Cùm enim Chriſtus dicatur manus Dei, & manus, quæ poſita eſt ſuper faciem Moſis,ne gloriam Dei videret,& quæ miſſa eſt ſuper eos,qui procul receſſerant de filijs Iſraël,cordis obſcurationem,& velamen,ob demeritorias operationes iuſtè hominibus ſuperuenientia,ſignificat, vt inquit Aug. ſuper Pſal.138. Hac enim manu formidata,quæ maximè in peccato carnis eſt formidanda, cùm illud obſcurationem, & cœcitatem mentis peculiariter inducere habeat, flagello punitionum, quæ in Scripturis leguntur à Deo immiſſas, ad carnis peccatum puniendum,è domo animæ noſtræ omnes carnis illecebras,& voluptates proijciemus, illamque Dei adiuti gratia,Spiritus Sancti templum,vt par eſt,reddemus.

Intro-

Digitized by Google

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

REperiens ego in ſacrarum Scripturarum lectione, Deũ
maximè miſericordem (Eſa.54.& 49. Iere. 31. Ion. 2. *Eſa. cum*
Exo.34. Iob 37.Oſe.1.Pſal.50. 114. 118.Rom.9. & alibi ſæpè) *rel.de tex.*
miſericordiam illius ſuper exaltare iudicium, nam,*vindicans* *Exo.20.*
eſt tantùm, vſque ad quartam generationem,miſericors autem *Iere.32.*
in millibus;patrem eſſe miſericordiarum, & Deum totius con- *2.Cor.1.*
ſolationis;ac tandem illum, *cui proprium eſt miſereri ſemper,* *Eccleſia.*
& parcere, non potui non ſatis demirari , præſens conſide-
rans,& introſpiciens Euangelium, in quo, non Deum exer-
cituum,virum pugnatorem, ſed Chriſtum, Deum humana-
tum,filium hominis, & mitiſſimum omnium hominum, vidi
in furorem verſum, flagella vibrantem , menſas ſubuerten-
tem,homines propellentẽ,& ſeueriſſimè in eos animaduer-
tentem. At admirationem ſuſtulerunt Apoſtoli, huius furo-
ris Chriſti rationem reddentes:*Zelus domus tua comedit me.* *Ioan.2.*
Fecit namque,zelando zelum Dei,ſicut Phinees,ſicut Elias, *Num.25.*
ſicut Matathias,&c. In caſu enim cõtemptus Dei,deſpectus *3.Reg.18.*
Dei,conculcationis honoris Dei,Sancti omnes, licèt mitiſ- *1.Mac.2.*
ſimi, iuſta ira efferbuerunt,& furorem,tãto ſcelere dignum,
oſtenderunt.

Sed,vt verum fateamur, ſi Chriſtus, quia pollutum vidit materiale templum,tantam indignationem oſtendit; quia materialem domum Patris ſui vidit factam domum negociationis,adeò excanduit , quidnam exiſtimandum de illo, cùm prophanatum videt templum Dei ſpirituale , quod ſumus nos, & domum animæ factam domum negociationis, & negociationis peſſimæ, negociationis , inquam , cum dæmone, mundo,& carne, iniquis mercatoribus, &c.vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

IN pariete,quem fodit Ezechiel iuſſu Dei,optimè deſcribi omnia illa , quæ iubet Deus, vt è templo animæ eiiciantur . Cùm enim ibi viderit Ezechiel animalia , & idola , quæ ab hominibus thuris honorem recipiebant ,mulieres

plan-

plangentes Adonidem,& viros, qui dorſa contra templum Domini habebant, profectò hæc ſunt, quæ Dominus eijcit de templo, & nobis eijcienda proponit, mandatque. Nimirum, auaritiæ, luxuriæ, & ſuperbiæ peccata, quæ omnium peccatorum anteſignanæ culpæ, vexillifera delicta, infinitis penè legionibus eiuſmodi generis comitata. Quemadmodum enim vocatur auaritia à Paulo *idolorum ſeruitus*, & Hieron. ſcribens ad Ruſticum dicit, *non grauiùs peccare, qui duo grana thuris ponit ſuper altare Mercurij, quàm qui pecuniam ſtudiosè, & inutiliter congregat*, rectè huiuſmodi vitium per animalia, quibus thus offertur, ſignificatur. Carnis etiam concupiſcentia in amaſijs, & philocaptis, per nil aliud meliùs exprimi poterat, quàm per mulieres, Adonidem plangentes. Superbi etiam, quia eorum proprium eſt, Deum contemnere, eique terga vertere, ſolem diuitiarum, & vanitatum præſentis ſæculi adorando, iure merito per viros, qui dorſa diuino templo vertunt, & ſolem adorant, nobis obijciuntur.

Coloſſ. 3. *Hieron.*

Hæc reperit inter domeſticos parietes Ezechiel, hæc etiam inter parietes paternæ domus reperit Chriſtus. Auaritiam enim in ipſis nummularijs expreſsè videmus; ait enim Beda: *Nummos mutuò dant in templo, qui apertè terrenis rebus in Eccleſia deſeruiunt*. Et paulò poſt: *Nummulariorum quoque effudit æs, & menſas ſubuertit, quia, damnatis in fine reprobis, etiam ipſarum, quas dilexerunt rerum, tollet figuram.* Superbiam in bobus præſignatam intelligimus, Pſal. 105. & 46. Vitulus enim comedens fœnum, eſt humani fauoris appetitus, mundanam gloriam ambiens, & vituli, quos non accipit Deus, ſunt ſuperbi. Quos dicitur immolare, qui ſuperbiam vincit 1. Reg. 14. & 3. Reg. 18. quod confirmant Ric. de S. Vict. de Som. Nabuch. 40. & Hieron. ſuper Pſal. 49 Luxuriam tandem in columbis, & ouibus animaduertemus, ſi horum animalium proprietatem in memoriam reuocabimus. Stolida enim eſt ouis, libidinoſa columba. Et pariter ſtolidus eſt luxurioſus: *Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Dominum, quia ſpiritus fornicationum eſt in medio eorum*, inquit Oſe. 5. cap. & Dauid: *Super cecidit ignis*, luxuriæ, *& non viderunt ſolem Chriſtum.* Hæc, ſi ab animæ templo eijciantur, optimè vtique prouiſum, noſtræque ſaluti benè proſpectum.

Beda. *Pſal.* 105. *& 46.* 1. *Reg.* 14. 3. *Reg.* 18. *Ric. de S. Vict.* *Hieron.* *Oſe.* 5. *Pſal.* 57.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MIram quandam viſionem, ſibi à Domino oſtenſam, narrans Ezechiel, ſuæ propheticæ hiſtoriæ 8. cap. inquit: *Et factum eſt in anno ſexto, in ſexto menſe, in quinta menſis, ego ſedebam in domo mea, & ſenes Iuda ſedebant corā me, & cecidit ibi ſuper me manus Domini Dei. Et vidi, & ecce ſimilitudo quaſi aſpectus ignis; ab aſpectu lumborum eius, & deorſum, ignis; & à lumbis eius, & ſurſum, quaſi aſpectus ſplendoris, vt viſio electri. Et emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me Spiritus inter terram, & cœlum; & adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei, iuxta oſtium interius, quod reſpiciebat ad Aquilonem, vbi erat ſtatutum idolum zeli, ad prouocandam æmulationem. Et ecce ibi gloria Dei Iſraël, ſecundùm viſionem, quam videram in campo. Et dixit ad me: Fili hominis leua oculos tuos ad viam Aquilonis, & leuaui oculos meos ad viam Aquilonis: & ecce ab Aquilone portæ altaris idolum zeli in ipſo introitu. Et dixit ad me: Fili hominis, putas ne, vides tu, quid iſti faciunt, abominationes magnas, quas domus Iſraël facit hic, vt procul recedam à Sanctuario meo? & adhuc conuerſus videbis abominationes maiores. Et introduxit me ad oſtium atrij, & vidi, & ecce foramen vnum in pariete, & dixit ad me: Fili hominis fode parietem. Et, cùm fodiſſem parietem, apparuit oſtium vnum: Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic. Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuerſa idola domus Iſraël depicta erant in pariete, in circuitu per totum. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſraël, & Iezonias, filius Sapham, ſtabat in medio eorum, ſtantium ante picturas: & vnuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua; & vapor nebulæ de thure conſurgebat. Et dixit ad me: Certè vides, fili hominis, quæ ſeniores domus Iſraël faciunt in tenebris, vnuſquisque in abſcondito cubilis ſui, dicunt enim. Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. Et dixit ad me: Adhuc conuerſus videbis abominationes maiores, quas iſti faciunt. Et introduxit me per* Ezech. 8.

oſtium

oſtium portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem, & ecce ibi mulieres ſedebant, plangentes Adonidem. Et dixit ad me: Certè vidiſti fili hominis; adhuc conuerſus videbis abominationes maiores his. Et introduxit me in atrium domus Domini interius; & ecce in oſtio templi Domini inter veſtibulum, & altare, quaſi viginti quinque viri, dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis. Et dixit ad me: Certè vidiſti, fili hominis; nunquid leue eſt hoc domui Iuda, vt facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hic; quia replentes terram iniquitate conuerſi ſunt ad irritandum me? & ecce applicant ramum ad nares ſuas. Ergo & ego faciam in furore; non parcet oculus meus, nec miſerebor; et cùm clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.

Mera profectò viſio, in qua tria ſunt, quæ principaliter vidit Ezechiel; animalia, videlicet, oblatione thuris honorata, mulieres plangentes Adonidem, & viros, qui dorſa contra templum Domini habebant. Quæ quidem (relictis, ad negotium non pertinentibus, varijs eorum expoſitionibus) auaros, luxurioſos, & ſuperbos nobis loquuntur. Auari enim, &c. vt ſupra.

TERTIA

TERTIA QVARTAE.

Iam die feſto mediante aſcendit Ieſus in templũ, & docebat. Et mirabantur Iudæi, &c. Ioan. 7.

Ioan. 7. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

DOctrinam Chriſti mirabilem eſſe: Quod quidem patet, tum à modo, quo illam ipſe didicit, & quo vſus eſt, ad alios docendos; tum à rebus, per illam traditis; tum à diſcipulis, quos erudijt; tum tandem à fructu, quem peperit in mundo. *Quæcunque audiui à Patre, hæc loquor in mundo*, ecce modum, quo doctrinam ſuã Chriſtus didicit. *Qui voluerit facere voluntatem eius, qui miſit me, cognoſcet de doctrina*, ecce modum, illam addiſcendi. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me, &c.* ecce quæ docet. *De turba autem multi crediderunt in eum*, ecce diſcipulos, quos erudijt. *Totum hominem ſanum feci in ſabbato*, ecce fructum, quem in mundo peperit.

At, ſi propoſita capita, & diuidentia membra liberiùs, & non intra Euangelij limites expendere vis, quaſi agendo de materia, puta de doctrina Chriſti, copioſiùs, & vberiùs concionem abſoluere tibi continget. Ages enim de multiplici fructu prædicationis Euangelij; de Doctoribus eximijs, huius ſacræ doctrinæ diſcipulis; de rebus, tum ſpeculatiuis, tum practicis, quæ docet; de modo, quo illam Deus docuit, & per filium, & per Spiritum Sanctum die Pentecoſtes, & deinceps; ac tandem, quomodo Chriſtus eam habuit, vt homo, & quomodo ſibi eadem communicata fuit à Patre, in quantùm diuinum Verbum, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Apoc. 5. ILlum eundem Chriſtum, quem ſub varijs formis vidit Ioannes, dum fuit in ſpiritu, dominica die, ſub forma libri, ſe vidiſſe affirmat Apoc. 5. cap. dicens: *Et vidi in dextera ſedentis ſuper thronum librum, ſcriptum intus, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem*. Et meritò id quidem, cùm habeat omnes præcipuas libri conditiones. Liber enim primò imprimitur, ſecundò venditur, tertiò tunditur, & ligatur, quartò coloratur exteriùs, quintò capitellum ei imponitur, ſextò aperitur, ſeptimò attentè conſideratur, & vltimò, ſi bonus eſt, per totum diuulgatur mundum. Et Chriſtus primò fuit impreſſus in typographia memoriæ paternæ, & abſque vlla, vel minima, erroris ſuſpicione. Et rurſùs, quia optimus liber, fuit impreſſus in typographia vteri virginalis, Eſa. 53. 1. Pet. 2. 1. Ioan. 3. omni ſimiliter carens errore, & menda: *Peccatum enim non fecit, neque dolus inuentus eſt in ore eius*. Deinde venditus fuit diuinus hic liber à Iuda triginta argenteis. Poſtea tunſus fuit, & ligatus. Quartò tinctus colore rubeo ſanguinis ſui, opertus clamide coccinea, & redimitus ſpinarum capitello, apertus in cruce, ſtudioſè conſideratus, ac per totum Pſal. 18. vulgatus mundum: *In omnem enim terram exiuit ſonus eorum, &c.*

In hoc tamen materialibus libris præſtantior, quòd illi animati non ſunt, nec ſe ipſos abſque doctore docere poſſunt, Chriſtus viuus erat liber, & loquens, & ſeipſum docens: Ioan. 7. cum ſeqq. *Aſcendit in templum, & docebat*; & ita altè docebat, vt totus miraretur Hebraiſmus: *Docebat, & mirabantur Iudæi*. Sed meritò quidem Iudæi mirabantur, ignorantes modum, quo literas didiciſſet: *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* At multò magis mirati fuiſſent, ſi doctrinam Chriſti mirabilem, non ſolùm à modo, quo illam didicit, ſed etiam à modo, quo illam docuit, à rebus, quas tradidit, à diſcipulis, quos erudijt, & à fructu, quem peperit conſideraſſent, &c. vt ſupra.

SECVN-

SECVNDA INVENTIO EST.

QVia non tantùm de Chriſti doctrina mirabantur Iudæi, quàm de modo, quo illam didicerat, idcircò, quomodo Chriſtus litteras ſciat, doctrinaliter, & ſcholaſticè inueſtigandum.

Cùm autem poſſit ille conſiderari vt Deus, & vt homo; vt Deus literas ſcit à ſe ipſo, nulla doctrice gratia præſuppoſita. Vt homo verò ab alio literas ſcit,& vt viator, & vt comprehenſor. Vt viator enim illas habet infuſas, vt comprehenſor verò illas videt in ſpeculo voluntario diuinæ naturæ.

Vel dicendum; tres notitias dari in Chriſto, verbi, in verbo,& à verbo. Notitia verbi eſt in Chriſto à Patre,à quo, ſicut diuinam naturam, ſic & omnia attributa,& eſſentiales perfectiones habet. Notitia in verbo eſt in Chriſto, videndo in verbo omnia; tum vniuerſalia, tum ſingularia;tum neceſſaria, tum contingentia, tum præſentia, tum præterita, & futura; tum quæ habuerunt,habent, & habebunt eſſe,tum illa, quæ nunquàm erunt; tandem omnia. Notitia à verbo, eſt in eodem, cognoſcendo creaturas per ſpecies infuſas,acceptas in iſtanti ſuæ conceptionis.

Vel diſtinguendum,omnem notitiam Chriſti eſſe,aut meridianam, aut matutinam, aut veſpertinam. Meridiana eſt per viſionem eſſentiæ diuinæ, matutina per cognitionem creaturarum in eadem eſſentia,veſpertina per cognitionem earundem in proprijs formis.

Vel etiam dicendum; omnem Chriſti notitiam, vel eſſe intuitiuam, vel abſtractiuam.Intuitiua eſt in illo, per intuitum eiuſdem diuinæ eſſentiæ, & creaturarum in illa, abſtractiua, per cognitionem, tum eſſentiæ, tum creaturarum per ſpeciem.

Vel tandem: Omnis Chriſti notitia (præſuppoſita diuina, & intuitiua creaturarum in eſſentia) vel eſt habitualis, vel experimentalis. Habitualis, per cognitionem vniuerſalium, & particularium abſtractiuè, experimentalis, per cognitionẽ particulariũ in ſe ipſis,& in propria eorũ exiſtẽtia.

De his omnibus agas, & perfectiſſimè interrogationi Hebraicæ: *Quomodo hic literas ſcit?* ſatisdatum, & reſponſum. Ioan. 7.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVemadmodum fideles, & catholici omni tempore, & vbique locorum benè ſenſerunt de Deo, tum quò ad eius vnitatem, & trinitatem, tum quò ad attributa illius, ita infideles, & hæretici, ab orbe condito, ad hæc noſtra tempora, de his omnibus, falsè intellectis, falſa etiam deprompſere dogmata, & erroneas aſſertiones. Hebræi enim diuinam naturam in vno tantùm ſuppoſito conſtituunt, & Gentiles, de diuinis attributis perperã ſenſerunt. Syri enim contra Dei potentiam malè locuti ſunt, dicentes; Deum Iſraël tantùmmodò in montibus habere potentiam, & victoriam in illis, non alibi, populo ſuo concedere poſſe: *Et accedens vnus vir Dei, dixit ad Regem Iſraël: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium eſt Dominus, & non eſt* Deus *vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & ſcietis, quia ego ſum Dominus*, 3. Reg. 20. Contra ſapientiam amici Iob: *An cogitas, quòd Deus excelſior cœlo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur? Et dicis: Quid enim nouit* Deus, *& quaſi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat*. Et Dauid, ſtultorum ſermonem referens, inquit: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*. Contra bonitatem deniquè: *Via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus, qui præuaricantur; & iniquè agunt, &c. Mei autem* (inquit rurſus Dauid) *penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorrm videns, &c.* Et Boët.

3. Reg. 20. cap. 22. Pſal. 93. Iere. 12. Pſal. 27.

Nam cur tantas lubrica verſat
Fortuna vices? Premit inſontes
Debita ſceleri noxia pœna.
At peruerſi reſident celſo
Mores ſolio, ſanctaque calcant,
Iniuſta vice, colla nocentes.
Latet obſcuris condita virtus

Boët. lib. de conſol. metr. 5.

Clara

Clara tenebris, iuſtuſque tulit
Crimen iniqui.

Rurſùs poſt Verbi incarnationem non defuerunt hæretici, qui de diuina natura malè ſenſerunt, aut Filium Patre minorem aſſerentes, aut Spiritum Sanctum ab vtroque procedere negantes, aut quippiam tale blaterantes.

Et contra diuina attributa, non ſolùm poſt diuini Verbi incarnationem, paſſionem, reſurrectionem, & in cœlos aſcenſionem, iniquè locuti ſunt, ſed etiam, Chriſto apud homines degente, & æternæ vitæ verba prædicante. De potentia namque eius dubitatum fuit: *In qua poteſtate hæc facis?* De bonitate: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt. Numquid à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? &c.* ac tandem contra ſapientiam hodie prauè cogitatum, iudicatumque: *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* Matt. 21. Mar. 11. Luc. 20. Ioan. 8. Ioan. 9. Ioan. 1. Ioan. 7.

Verùm, ſicut omnes malè de Deo, eiuſque attributis opiniones, media veritate, exploſæ ſunt, & firmiſſimis rationibus, clariſſimiſq; veritatibus probatum, Deum eſſe, & vnum, & trinum, & potentiam habere, nedum in montibus, ſed & in vallibus, & vbique; de his inferioribus habere prouidentiam; & pro diuerſitate meritorum, pœnas decernere, aut præmia, ita etiam, & Filium æqualem eſſe Patri, & Spiritum Sanctum ab vtroque procedere, & cuncta diuina attributa in illo eſſe, bonitatem, potentiam, ſapientiam, &c.

Sed hodie, quia per Hebræos non dubitatur de diuina natura, aut alijs Dei attributis, ſed ſolùm de ſapientia; quomodo vtique ſciat literas Chriſtus, cùm non didicerit, idcircò hæc difficultas examinabitur, & quomodo Chriſtus literas ſciat, declarabitur, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

Quia non iniocundum, ſemel ſaltem, in Quadrageſima ſingulorum Chriſtianorum deprauatos mores, & liberam in agendo vitam redarguere, ſatis lepidè Euangelio ipſo expoſcente, occaſione horum verborum: *Moyſes dedit vobis*

legẽ, & nemo ex vobis facit legem; omnes fidelium ſtatus argui poſſe, mutato tantùm nomine Moſis in Chriſtum: Vbi
Ioã.7. enim Chriſtus, Iudæos obiurgans, dicebat: *Nonne Moyſes*
Exo.10. *dedit vobis legem? &c.* Concionator dicat: *Nonne Chriſtus dedit vobis legem, &c.*

Vt autem reprehenſio iſta methodicè, & ea, qua decet, dignitate fiat, per omnes omnium Chriſtianorum ſtatus, media doctrinali ſufficientia, erit diſcurrendum. Ea autem hæc eſt. Omnis Chriſtianus aut ſubditus eſt, aut prælatus. Prælatus verò, aut in ſpiritualibus, aut in temporalibus præeſt. In ſpiritualibus & quidem publicè, vel erit (loquendo, pro vt vni ciuitati, apud quam in Quadrageſima Concionatorem contingit concionari, hæc ſufficientia congruit) Archiepiſcopus, vel Epiſcopus; & ſub his Prior, Abbas, Archipresbyter, &c. Nam priuatè tantùm, ſunt Confeſſarij, & alij ſpirituales patres. In temporalibus verò Princeps, Dux, Gubernator, Poteſtas, Commiſſarius, &c. At hi publicè, nam priuatè tãtùm, Domini ſeruorum, & patres, ac matres familias in ſuis domibus. Temporales, vel dominium habent ſuper hominum vitam, & ſic ſunt omnes criminales Superiores. Vel ſuper hominum res, & facultates, & ſic omnes Superiores ciuiles. Quibus rebus, & facultatibus, quia poteſt aliquis præeſſe, aut decidendo, aut adminiſtrando, ſi decidendo cuius eſſe debeant, ſic ſunt Superiores nunc dicti, ſi eas adminiſtrando, ſic ſunt Curatores, Tutores, & piorum locorum adminiſtratores, & c. Subditi autem, vel ſunt ſerui, vel liberi, vel liberti. Seruorum, alij publici, vt famuli Magiſtratus, Reipub. &c. Alij priuati, priuatis Dominis ſeruientes. Liberi, vel nobiles, vel ignobiles. Nobiles, aut Doctores, aut Milites. Doctores, vel diuinarum, vel humanarum rerum notitiam habentes. Et humanarum, aut cœleſtium, aut ſublunarium. Cœleſtium Aſtrologi, Aſtronomi, &c. Sublunarium, vel ſpeculatiuè, vel practicè. Speculatiuè, Logici, Philoſophi, &c. Et practicè, vel hominum ſanitatem, vel vitam, vel ſubſtantiam reſpicientes, vt Medicina, & Iuriſperitia, &c. Milites, vel Duces, vel Magiſtri Equitum, vel Myriarchi, vel Chiliarchi, &c. Ignobiles, & ignorantes, aut in otio viuentes, aut exercitijs aliquibus implicati. Et hi quidem, aut circa res naturales, aut artificiales. Circa naturales Ruſtici, Mercatores, &c. Circa artificiales, artifices cu-

iuſcun-

iuſcunque generis.

Et præterea omnes homines, vel mares, vel fœminæ. Mares, aut Virgines, aut vxorati, aut Cœlibes. Fœminæ, vel Virgines, vel Nuptæ, vel Viduæ. Et rurſus, omnes homines, aut iuuenes, aut ſenes, aut innocentes, aut peccatores, aut pœnitentes. Aut ſæculares, aut Religioſi. Aut incipientes, aut proficientes, aut perfecti. Aut diuites, aut pauperes, &c.

Ad hos omnes dirigendo ſermonem, poteſt Concionator dicere: *Nonne Chriſtus dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* nam licèt in his diuiſionibus, iuſtorum etiam facta fuerit mentio, *ſepties quoque in die cadit iuſtus*. Et conuertendo ſe ad quemcunque ſtatum, vel cuiuſcunque ſtatus homines, dicat: *Nemo ex vobis facit legem*. Prælatus enim in ſpiritualibus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus non facit legem, quia tenetur facere hoc, & hoc, &c. Atque ita per ſingulos ſtatus diſcurrendo. Sed non diſcurrendo confusè, inordinatè, & absque doctrinali methodo, ſed per ſufficientiam, vt per ſufficientiam omnium hominum ſtatus nos modò inueſtigabimus. *Ioan. 7.* *Prou. 24.* *Ioan. 7.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

OMnibus creaturis Deo ad nutum obtemperantibus, non ſolùm mira, ſed deploranda res eſt, ſolum hominem Deo non parere, immò diuinæ ſuæ voluntati impudenter contradicere. *Terra enim in æternum ſtat, ordinatione diuina perſeuerat dies, tumentes fluctus ſuos ad littus mare confringit, dedit ſolem, & lunam, & alia aſtra, vt ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, & ita ſit, omnia enim ſeruiunt ei, & omnia, quæcunque vult, facit in cœlo, & in terra, ſolus homo confringit iugum, & dicit: Non ſeruiam*. Vndè hominum inobedientiam hominibus ipſis exprobrans Deus, dicit per Ieremiam: *Audi popule ſtulte, qui non habes cor, qui habentes oculos, non videtis, & aures, non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud. populo autē* *Eccl. 1.* *Pſal. 118.* *Iere. 5.* *Gen. 1.* *Pſal. 118.* *Pſal. 134.* *Iere. 2.* *Iere. 5.*

huic factum eſt cor incredulum,& exaſperans. Solus homo, inquam, cunctis creaturis Deo, ad nutum obedientibus,
Iere.2. obedire recuſat: *A ſæculo enim confregit iugum, dixit: Non*
Iob 21. *ſeruiam.* dixit Deo: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus, non vltra ſeruiemus tibi.* Et cum Pharaone in-
Exo.5. quit: *Quis eſt Dominus, vt ſeruiamus ei?* Immò cum Lucifero, ne dum cum Gigantibus, Nembrothicæ turris, quærit
Gen.11. *aſcendere ſuper altitudinem nubium, eſſe ſimilis Altiſſimo,* &
Eſa.14. Altiſſimi coronam ſuo capiti imponere.

Vndè mirum non eſt, ſi omnibus nobis *Chriſtus dedit legem, & nemo ex nobis facit legem*. Et, ſi, quod olim dixit Chriſtus Iudæis: *Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* quilibet Concionator poteſt hodie, abſque iniuria chriſtianis dicere: *Nonne Chriſtus dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Quod ita eſſe, & nullo pacto à veritate alienum, re ipſa, practica inductione per doctrinalem ſufficientiam, quæſo probemus. Omnis homo, aut ſubditus eſt, aut Prælatus, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

Ioan.7. SVper verba Chriſti: *Iuſtum iudicium iudicate,* de conditionibus, requiſitis ad rectum iudicium iudicandum, ritèque adminiſtrãdam iuſtitiam, agendum, tractandumque.

Illæ autem ſumi poſſunt, vel ex 18. Exo.
Exo.18. *Prouide autem de omni plebe*(loquitur Deus ad Moſen)*viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore*. Ex hac enim authoritate quatuor Iudicum conditiones habentur, nimirum ſapientia, bonitas, veritas, & odium auaritiæ.

Deut.16. Vel ex 16. Deut. *Iudices, & magiſtros conſtitues*(loquitur Moſes ad Iſraëlem) *in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas Tribus tuas, vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent, non accipies perſonam, nec munera, quia munera excæcant oculos*

ſapien-

ſapientum, & mutant verba iuſtorum. Ex hac enim tres Iudicum conditiones eliciuntur, ſcilicet, quòd iudicent, non declinantes ad aliquam partem; quòd non ſint perſonarum acceptatores, & quòd muneribus non intendant.

Vel ex 2. Paral. 19. *Conſtituitque*(ſcilicet, Ioſaphat Rex Iuda) *Iudices terra in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per ſingula loca, & pracipiens Iudicibus: Videte, ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini, et quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite, non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Ex hac enim authoritate quatuor Iudicum conditiones hauriuntur, videlicet, proprij officij cõſideratio, Dei timor, diligentia in ſuo munere præſtando, & reiectio perſonarum, ac munerum. *2. Par. 19.*

Vel ex D. Iſydoro quatuor à Iudicibus fugienda; timor, amor, odium, & auaritia. Quæ quidem cuncta, ſi in Iudicibus ſint, iuſtum iudicium iudicabunt. *Lib. 3. ſent. c. 54. et lib. 3. de ſũ. bo.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

POſt pietatem in Deum, & religionis zelum, inter omnes virtutes iuſtitia primum ſibi locum vendicat, eſtque veluti Heſperus inter alia ſydera in myſtico cœlo animæ Principum, & aliorum Dominorum, penès quos eius adminiſtratio reſidet. Neceſſaria eſt enim ad Reip. & cuiuſcunque ſtatus conſeruationem, vt inquit Salo. Prouer. 25. *Et firmabitur iuſtitia thronus eius.* Hæc eſt illa, quæ à principio fundauit regna, quæ, poſt fundamenta ea amplificauit, & exornauit, quæ dedit eis decorem, & maieſtatem, quæ vulnera populorum curat, quæ ſeditiones ſedat, concitatos animos mitigat, pacem ſtabilit, bello reſiſtit, glorioſos reddit Reges, &, vel in primis, Deum honorat, ac reueretur; cui nulla oblatio, nullum ſacrificium iuſtitia gratius eſſe poteſt, cuius vinculo cœlum, & terra, ſublimia, & infima, diuina, & humana fœdere bono ad inuicem nectuntur. Hæc in regimine adeò neceſſaria eſt, vt, ſi Regnum iuſtitia careat, maius Regnum maius latrocinium ſit, vt inquit Aug. lib. 4 de Ciuit. Dei *Prou. 25.* *Auguſt.*

Cicero. Dei cap.4.Qui lib.2.cap.21.authoritate Ciceronis, & Sci-
Scip. Aph. pionis Aphricani probat,non poſſe eſſe Remp.vbi iuſtitia
non ſit. Si enim attentè Reip.& Regnorum ruinas,caſuſue
conſiderabimus, tanti excidij potiſſimam cauſam iuſtitiæ
defectum reperiemus. Verum eſt enim,quod inquit Eccli.10.
Eccli.10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias,& iniurias,& contumelias,& diuerſos dolos*. Quod in praxi,ſicut infinitis penè exemplis comprobari poteſt, ſingulariter
Dan.4. & 14. Dan.4.& 14.

Hæc igitur optimè noſcens Chriſtus, iuſtus Princeps, & ipſamet iuſtitia, hortatur, & præcipit ſimul hodie in hoc
Ioan.7. Euangelio: *Iuſtum iudicium iudicate*. Quod, vt iuſtum ſit,iuſtèque Iudices iuſtitiam adminiſtrent, has in ſe conditiones habere debent,&c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

Ioan.7. EX verbis Chriſti: *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: Qui autem quærit gloriam eius, qui miſit illum, hic verax eſt,& iniuſtitia in illo non eſt,* duo mala, & geminam deformitatem reperiri in peccato vanæ gloriæ, proprijque honoris ambitu, ſcilicet, mendacium,& iniuſtitiam. Mendacium in operibus attenditur penes originem,cùm ſuperbus ſemetipſum ſuorum operum principium conſtituat. Penès obiectum, cùm pro obiecto habeat ſe,vel aliquid aliud à Deo.Penes terminum, ſeu finem,cùm non ad vltimum terminum pertingat, ſed in fine ſub fine conſiſtat. Penès circumſtantias, cùm omnibus illis careat,quæ actum,vel moraliter, vel meritoriè bonum reddere poſſunt. Ac tandem penès opera ipſa, quæ, cùm debita origine,& obiecto,& termino, & fine, & circumſtantijs requiſitis careant, profectò non ea ſunt, quæ putantur, nec eiuſmodi,vt de illis quis iuſtè gloriari poſſit.

Iniuſtitia,vltra mendacium, eſt etiam in hiſce operibus, cùm non ſolùm non dent vnicuique quod ſuum eſt,ſed auferant alienum;Deo honorem, & gloriam, laboribus mercedem,& præmium,atque animæ paradiſum, Dei fruitionem, & Sanctorum conſortium,&c.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVi Deo benedicto placere, & in oculis eius gratiam inuenire quæſierunt, humilitate diligentiùs comparata, id aſſequi procurarunt. Abraham, licèt eſſet præpotens, & honoribus, diuitijs, gloria, virtutibus, ac reuelationibus pollẽs, vt patet à 12. Gen. vſque ad 20. & certificatus, *Gen. 12. vſque ad 20.*
ex ſemine ſuo Dei filium naſciturum, vt habetur Gen. 15. & innumeris diuinis fauoribus cumulatus eſſet, tamen non eſt in ſuperbiam elatus, vel in iactantiam, aut vanamgloriam lapſus, ſed profundè humilem, ac mitem ſe ſemper oſtendit. Vndè Sodomorum, & Gomorrhæorum condemnatione audita, pro eis orans, valdè humiliatus ſtabat coram Domino; immò nec loqui eſt auſus, niſi priùs loquendi venia humillimè petita: *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis.* *Gen. 18.*
Et meritò id quidem, *quoniam humilitas* (vt inquit Hieron. ad Celan.) *eſt præcipua conſeruatrix, & quaſi quadam cuſtos virtutum omnium, nihilque ita eſt, quòd nos hominibus gratos, & Deo faciat, quàm, ſi, vita merito magni, humilitate infimi ſimus.* *Hieron.*
Et Caſſio. *Per ſolam humilitatem fideles ſupra regna proficiunt, & per illam ſuperbia tyrannica ſuperatur, & martyres in æternum coronantur, nec poteſt dici perfectus, qui hac virtute eſt priuatus. Euidentiſſimum enim ſignum reproborum* (ait Greg. 34. Mor. 22.) *ſuperbia eſt, at contra humilitas electorum. Cùm ergo quam quiſque habeat agnoſcitur, ſub quo Rege militet, inuenitur. Vnuſquiſque enim quaſi quendam titulum portat operis, quo facile oſtendat, ſub cuius ſeruiat poteſtate rectoris. Vndè, & per Euangelium dicitur: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Ne igitur nos Leuiathan iſtius mẽbra, vel mira faciendo fallerẽt, apertum ſignum Dominus, quo deprehendi valeant, demonſtrauit, dicens: Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Qui, & ſi quandoque fictam ſpem humilitatis aſſumunt, ſemetipſos tamen celare in omnibus nequaquàm poſſunt, quia eorum ſuperbia diu latere non ſuſtinens, cùm ex alia tegitur, ex alia actione denudatur. Qui verò ſub Rege humilitatis militant, ſemper pauidi, atque ex omni latere circumſpecti aduerſum*

Caſſiod. *Gregor.* *Matt. 7.* *Luc. 6.* *Iob 41.*

iacula

Bernar. *iacula elationis pugnant*. Et rem, ſatis miram addit Bern. Hom. 1. ſuper Miſſus eſt: *Si Maria humilis non fuiſſet, Spiritus Sanctus ſuper eam non requieuiſſet. Si Spiritus Sanctus non requieuiſſet, illa non concepiſſet. Quomodo enim de ipſo ſine ipſo conciperet? Reſpexit ergo humilitatem ancillæ ſuæ, potius quàm virginitatem. Et ſi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit.*

Luc. 1.

Sapientiſſimè ergo, & veriſſimè Chriſtus in præſenti Euãgelio aſſerit, humiles Dei gloriam, & honorem quærentes, veraces eſſe, & iniuſtitiam in illis non eſſe. At è contra ſuperbos, & propriam gloriam aucupantes, mendaces eſſe, & iniuſtitiam in illis reperiri. *Sicut enim propoſitum in propoſito, ita oppoſitum in oppoſito.* Quod verum eſſe, videlicet, ſuperbos in operibus ſuis plenos eſſe mendacio, & iniuſtitia, oſtendatur, &c. vt ſupra.

Scholaſt.

QVARTA

QVARTA QVARTAE,

Præteriens Ieſus vidit hominẽ cœcum à natiuitate, &c. Ioan. 9.

Ioan. 9. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

IN docendo, & miracula operando, iuxta Eſaiæ vaticinium, de quo infra, velocem eſſe hodie Chriſtum, velocem in ſoluẽdo Apoſtolico quæſito: *Quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* ait enim. *Neque hic peccauit, neque parentes eius ſed, vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Velocem in operatione miraculi illuminationis cœci: *Expuit enim in terram, & fecit lutum de ſputo, & liniuit ſuper oculos eius, iuit, lauit, & venit videns.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ESaias Propheta, deſiderio flagrans, ſcire, quodnam futurum nomen expectati Meſſiæ, & quæ peculiares illius operationes, aſſiduas ad Deum preces fundebat, ſupplexque orabat. Quibus, vt ſibi optatum nomen reuelaretur, obtinuit; dictum namque ei fuit: *Voca nomen eius, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari.* Mirum profectò nomen, & prima fronte à filio Dei alienum; cùm ſatis inconueniat, Principem pacis, Patrem futuri ſæculi, & Regem Regum curſoris, aut tabellarij nomen ſortiri. Verùm, ſi velocitas maxima, qua, & docuit,& miracula operatus eſt, attendatur, nec non, quàm citò ſpolia fortis Armati abſtulit,& Eſa. 8.

Bernar. *iacula elationis pugnant*. Et rem, ſatis miram addit Bern. Hom. 1. ſuper Miſſus eſt: *Si Maria humilis non fuiſſet, Spiritus Sanctus ſuper eam non requieuiſſet. Si Spiritus Sanctus non requieuiſſet, illa non concepiſſet. Quomodo enim de ipſo ſine ipſo conciperet? Reſpexit ergo humilitatem ancillæ ſuæ, potius quàm virginitatem. Et ſi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit.*

Luc. 1.

Sapientiſſimè ergo, & veriſſimè Chriſtus in præſenti Euāgelio aſſerit, humiles Dei gloriam, & honorem quærentes, veraces eſſe, & iniuſtitiam in illis non eſſe. At è contra ſuperbos, & propriam gloriam aucupantes, mendaces eſſe, & iniuſtitiam in illis reperiri. *Sicut enim propoſitum in propoſito, ita oppoſitum in oppoſito.* Quod verum eſſe, videlicet, ſuperbos in operibus ſuis plenos eſſe mendacio, & iniuſtitia, oſtendatur, &c. vt ſupra.

Scholaſt.

QVARTA

QVARTA QVARTAE.

Præteriens Ieſus vidit hominē cœcum à natiuitate, &c. Ioan. 9.

Ioan. 9. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

IN docendo, & miracula operando, iuxta Eſaiæ vaticinium, de quo infra, velocem eſſe hodie Chriſtum, velocem in ſoluẽdo Apoſtolico quæſito: *Quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cœcus naſceretur?* ait enim. *Neque hic peccauit, neque parentes eius ſed, vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Velocem in operatione miraculi illuminationis cœci: ***Expuit enim in terram, & fecit lutum de ſputo, & liniuit ſuper oculos eius, iuit, lauit, & venit videns.***

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ESaias Propheta, deſiderio flagrans, ſcire, quodnam futurum nomen expectari Meſſiæ, & quæ peculiares illius operationes, aſſiduas ad Deum preces fundebat, ſupplexque orabat. Quibus, vt ſibi optatum nomen reuelaretur, obtinuit; dictum namque ei fuit: ***Voca nomen eius, accelera. ſpolia detrahe, feſtina prædari.*** Mirum profectò nomen, & prima fronte à filio Dei alienum; cùm ſatis inconueniat, Principem pacis, Patrem futuri ſæculi, & Regem Regum curſoris, aut tabellarij nomen ſortiri. Verùm, ſi velocitas maxima, qua, & docuit, & miracula operatus eſt, attendatur, nec non, quàm citò ſpolia fortis Armati abſtu- Eſa. 8.

lit;&

lit, & prædam ex inferni faucibus, reſurgendo, eripuit, conuenientiſſimè à Spiritu Sancto: *Accelera, ſpolia detrahe, & feſtina prædari*, nuncupatum fuiſſe cognoſcemus. Velocitatem in debellatione Principis huius mundi, & in deprædatione inferni in fine vitæ ſuæ oſtendit. At velocitatem in docendo, & operandis miraculis, ex eo intelligimus, quòd tribus tantùm annis, tribuſque menſibus omne opus euangelicæ prædicationis, & miraculorum operationis opus abſoluit. Vndè hanc veritatem conſiderans Michæas, breuiſſimus in verbis, longiſſimus in ſententiis, magis tranſitum, quàm permanentiam, Ieſu Chriſti apud nos manifeſtationē
Mich.2. appellauit, dicens: *Tranſibit Rex eorum coram eis*. Quaſi diceret: Caueant ſibi ipſis, & ſuper ſpeculam inuigilent Hebræi, qui duo de ſuo Meſſia credunt, ab eoque præſtanda expectant, regnaturum, ſcilicet, eum temporaliter, & longo tempore apud eos manſurum; non enim apparebit in forma Regis, ſed curſoris, & velociſſimè tranſibit: *Tranſibit Rex eorum coram eis*.

Hanc velocitatem, quam in docendo, & operando toto tempore ſuæ prædicationis oſtendit Chriſtus, ſingulariſſimè, & coniunctim in illuminatione cœci nati nobis exhibuit; velociter enim docuit, & operatus eſt. Velociter
Ioan.9. cum ſeq. docuit ſolutionem huius quæſtionis: *Quis peccauit, &c.* & velociter operatus eſt cœci illuminationem. *Expuit enim in terram, &c.* vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

De tribus cœcis (occaſione huius cœci illuminati) qui ſpirituali viſione carent, tractandū. Cùm.n. tres cœci, aut cœci, tribus modis illuminati legantur à Chriſto. ſ. verbo, impoſitione manuum, & compoſitione luti, inunctione, miſſione ad ſiloē, & lotione; ſolo verbo ſanatus fuit Bar-
Mar. 10. timæus, filius Timæi; legitur enim Mar. 10. *Filius Timæi Bartimæus cœcus ſedebat iuxta viam mendicans. Qui cum audiſſet, quia Ieſus Nazarenus eſt, cœpit clamare, & dicere: Ieſu, fili Dauid, miſerere mei. Et reſpondens Ieſus dixit illi:*

Quid

Quid tibi vis faciam? Cœcus autem dixit ei: Rabboni, vt videam. Ieſus autem dixit illi: Vade, fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim vidit. Duo cœci ſedentes ſecus viam ab Iericho manuum impoſitione curantur. Ait enim Matth. 20. cap. *Egredientibus illis ab Iericho, ſecuta eſt eum turba multa & ecce duo cœci, ſedentes ſecus viam, audierunt, quia Ieſus tranſiret, & clamauerunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili Dauid. Turba autem increpabat eos, vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine miſerere noſtri, fili Dauid. Et ſtetit Ieſus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis, vt faciam vobis? Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi noſtri. Miſertus autem eorum Ieſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.* Cœcus verò iſte à natiuitate, quòd compoſitione luti, &c. Sanatus ſit, ex contextu Euangelij patet. *Matt. 20.*

Tres peccatores, ſiue tres peccatorum ſpecies tres iſtæ cœcitates demonſtrant. Peccatores cœcos per commiſſionem delicti, cœcos per repetitionem, & recidiuationem, & cœcos per conſuetudinem, & obſtinationem. Primi enim verbo diuino illuminantur, ſiue per publicam concionem, ſiue per ſecretam exhortationem, ſiue per epiſtolam, ſiue per ſanctorum librorum lectionem: ***Non enim in via peccatorum ſteterunt, nec in cathedra peſtilentiæ ſederunt.*** *Pſal. 1.* Secundi, quia ſatis à Deo alienati ſunt, & ex malitia peccatorum, ſolo verbo non illuminantur regulariter, ſed indigent, vt tangantur manu Dei, per tribulationes, & flagella. Tertij indigent multis. ſ. luti collyrio, vnctione, miſſione ad Siloë, baptiſmo, &c. quorũ nullum(ad propoſitum illuminationis, obſtinatorum) myſterio, ac Sacramento vacat. Dicendum ergo de his tribus cœcis conſequenter, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SIcut omnes homines communiter viſione maximè gaudent, vtpote actu neceſſario ad humanas functiones exercendas, & delectabili, propter pulchritudinem obiectorum. Vndè dicebat Eccli. 11. ***Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem.*** *Eccli. 11.* Et Tobias: ***Quale gaudium mihi erit, qui in*** *Tob. 5.*

Digitized by Google

qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video? ita nonnulli cœcitatem maximi duxerunt, &, cùm cœci eſſent, ſe fœlices reputarunt. Democritus enim (vt refert Plutar. Cic. lib. 5. Tuſc. & Aul. Gell. lib. 10. c. 17. ſe occœcauit, vt naturæ ſecreta ſubtiliùs rimaretur. Homerus, referente eodem Plutarco, & Marciano lib. 1. de Nup. Philolo. nec non Petrar. in Bucol. ab infantia cœcus fuit, ob idque Homeri nomen ſortitus eſt, cùm priùs Meleſigenes diceretur, quòd ad Meletē fluuium natus eſſet. Cumæi namque, & Iones captos oculis ὁμήρε appellant, quòd humeris, id eſt, itineris ducibus egeant. Antonius Abbas conſolatus eſt Didymum, grauem Eccleſiæ Doctorem, de ſua cœcitate, ijs verbis, quæ refert Ruſi. lib. 11. Hiſto. cap. 7. *Nihil te offendat, ò Didyme, quòd carnalibus oculis videris orbatus. Deſunt enim tibi oculi illi, quos mures, & muſcæ, & lacertæ habent, ſed lætare, quia habes oculos, quos Angeli habent, quibus Deus videtur, per quos tibi ſcientiæ lumen magnum accenditur.* D. etiam Hieron. Epi. ad Caſtrutium; conſolans eum de cœcitate oculorum, ait: *Ne imbecillitatem corporis, quam ſuſtines, de peccato tibi exiſtimes, eueniſſe. Si cœcitatis cauſam putas eſſe peccatum, inſimulabis Iſaac, qui in tantùm lucis iſtius expers fuit, vt etiam cui nollet, errore deceptus, benediceret. Referes crimen in Iacob, cuius caligauerat acies, & Ephraim, ac Manaſſem videre non poterat. Breuem tibi fabulam referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit. B. Antonius, cùm à Sancto Athanaſio, Alexandriæ Epiſcopo, propter confutationem hæreticorum in vrbem Alexandriam eſſet accitus, & iſſet ad eum, Didimus, vir eruditiſſimus, captus oculis, inter cæteras ſermocinationes, quas de Scripturis Sanctorum habebant, cùm eius admiraretur ingenium, & acumen animi collaudaret, ſciſcitans, ait: Num triſtis es, quòd oculis carnis careas? Cùm ille pudore reticeret, ſecundò, tertiòque interrogans, tandem elicuit, vt mœrorem animi ſimpliciter fateretur. Cui Antonius: Miror, ait, prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicæ, & muſcæ, & culices habent, & non lætari illius poſſeſſione, quam Sancti ſoli, & Apoſtoli meruerunt. Ex quo peruides, quòd multò meliùs ſit, ſpiritu videre, quàm carne, & illos oculos poſſidere, in quos peccati feſtuca non poſſit incidere.* Hæc Hieron. De qua re etiam Nicephorus Hiſto. Eccl. lib. 9. cap. 17. *S. Petrus Abbas, cùm caſum, & miſeriam eius deploraſſent*

Plutarc. cum ſeqq.

Ruffinus.

Hieron.

Niceph.

plorarent amici, condolerentque, altero illum orbatum fuiſſe oculo, ſapientiſſimè reſpondit, potiùs eos ſecum lætari debere, & congratulari, quòd vno ex duobus inimicis priuatus eſſet. Quod experientia ipſa ſenſerunt aliquando homines. Dauid enim incautus, mulierem videns, adulterium priùs, homicidium deindè commiſit, *mors namque intrauit per feneſtras.* Princeps Sichem, viſa Dina, amore eius deperijt, eã rapuit, oppreſſitque, & ſe, ac populum ſuum perdidit. 2. Reg. 11. Iere. 9.

Non deflenda eſt ergo corporalis cæcitas, cùm ex illa multæ vtilitates elici poſsint, & quàm plurimùm ad peccati occaſiones cauendas conducat. Eſt benè ſpiritualis cæcitas deflenda, qua peccatores detinentur, quos malitia excæcauit, vt inquit Salom. Sap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum*, & Sophi. 1. *Ambulabunt, vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Quæ quidem cæcitas non vna eſt, ſed multiplex, iuxta peccatorum multiplicitatem. Tres tamen potiſſimùm reperiuntur, iuxta triplicem modum, quo Chriſtus diuerſos cæcos illuminauit. Illuminauit enim eos verbo, manuum impoſitione, &c. vt ſupra. Sap. 2. Soph. 1.

TERTIA INVENTIO EST,

QVia, *vt manifeſtentur opera Dei*, dixit Chriſtus, cæcum à natiuitate oculis captum ſemper fuiſſe, idcircò, hæc opera Dei (quæ vt manifeſtentur, cæcus cæcus natus eſt) manifeſtentur, & dicatur: Opera Dei, quæ in hac illuminatione manifeſtantur, tria præcipuè eſſe, ſcilicet, creatio, iuſtificatio, & glorificatio. Creatio manifeſtatur in ipſamet illuminatione; nam cæcus nec actũ, nec potentiam videndi habebat: Vndè neceſſe fuit, vt in eo, & viſio, & potentia videndi crearetur. Iuſtificatio; quia hic cæcus non ſolùm in corpore, ſed etiam in anima illuminatus fuit. Glorificatio denique; quia ex opere hoc magnifico in pleno concilio Principum Synagogæ glorificatus eſt Chriſtus, & miraculum tam celebre longè, latèque diffuſum. Ioan. 9. cum ſeqq.

Fecit lutum de ſputo, & liniuit oculos eius, iuit, lauit, & venit videns, ecce primum. *Tu credis in filium Dei?* *Reſpon-*

dit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, vt credam in eum? Dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum, ecce ſecundum. *A ſæculo non eſt auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam*, ecce tertium.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

NOn vna, eademque cauſa eſt, cur Deus hominibus tribulationes immittat. Aliquando enim propter peccata, & hoc frequentiſsimè. Vndè Paulus Rom. 5. *Per peccatum mors in hunc mundum intrauit, & ità in omnes homines pertranſiit. Deus enim mortem non fecit*, inquit Salo. Sap. 1. *nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim, vt eſſent omnia, impij autem manibus, & verbis accerſierunt illam.* Vndè non mirum, ſi, ſtante hominum iniquitate, ipſemet Deus Exo. 20. fatetur: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me*. Quam viſitationem, vt peccatis debitam, formidantes Hebræi, rogabant enixè Dominum: *Non ſecundùm peccata noſtra facias nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis*. De ſe ipſo autẽ per experientiam hoc fatetur Dauid, Pſal. 118. *Priùſquàm humiliarer, ego deliqui*. Aliquando tribulationes homines patiuntur, vt à peccato reſurgant. *Vexatio enim dat intellectum. Conteritur brachium peccatoris, & maligni, & quæritur peccatum eius, & non inuenitur. Cùm occideret Deus Hebræos, quærebant eum, & diluculo reuertebantur, & veniebant ad eum. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, & poſtea accelerauerunt. Oportet enim*, inquit D. Auguſt. ſuper Pſal. 21. *vt homo intelligat Deum eſſe medicum, & tribulationem medicinam ad ſanandum, & non pœnam ad damnandum. Quem diligit enim Dominus*, inquit Paulus Hebr. 12. *caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri, & non filij eſtis*. Solet etiam Deus tribulationibus exercere homines, vt per eas illorum merita augeantur, ſicut videre eſt in pleriſque Sanctæ Eccleſiæ iuſtis.

Rom. 5. *Sap. 1.* *Exo. 20.* *Pſal. 102.* *Pſal. 118.* *Eſa. 28.* *Pſal. 10.* *Pſal. 77.* *Pſal. 15.* *Auguſt.* *Heb. 12.*

iuſtis. Ad Tobiam namque Angelus Raphaël: *Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Et Propheta Malachias 3. cap. *Colabit eos, & purgabit, quaſi argentum.* Cui concordat Dauid Pſal. 11. ***Argentũ igne examinatum, probatum terra, purgatum ſeptuplum.*** Hac de cauſa nõ reijciendã tribulationẽ, iudicat Salomon, dicens: ***Diſciplinã Domini, fili mi, ne abijcias, nec deficias, cùm ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.*** Beatus eſt enim homo, inquit Iob, qui fructum ex tribulationibus vberem expertus fuerat, ***qui corripitur à Domino.*** Et ſatis admiratione dignam deciſiuam ſententiã profert Aug. cùm ait: ***Si non es ex numero ſuſtinentium tribulationem, non eris ex numero filiorum Dei.*** Accidunt etiã tribulationes hominibus, vt de ipſis periculum fiat; an verè diligant Deum, & ſtabiles illius amici ſint. Vndè Deut. 13. ***Tentat nos Deus, vt palam fiat; an diligamus eum ex toto corde, an non.*** Quo modo probatus fuit Iob, Tobias, &c. Facit enim Deus cum ſanctis ſuis in tribulationum immiſſione, vt artifex æris, vel ferri, qui enſis aciem probat. *Et beatus eſt ille vir, qui ſuffert hanc probationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Ne etiam Sancti, & in gratia exiſtentes ſuperbiant, & magnitudine donorum extollantur, tribulationibus quandoque præmuntur, vt de ſeipſo affirmat Paulus: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, &c.* Et pleriſque alijs de cauſis, quas, breuitati conſulens, de induſtria omitto.

Tob. 12. Malac. 3. Pſal. 11. Prou. 3. Iob 5. Auguſt. Deut. 13. Iac. 1. 2. Cor. 12.

Sed, ad rem noſtram, tribulationibus aliquando Deus homines exercet, vt, media illa afflictione, manifeſtet opera ſua. Sicut potentiam manifeſtauit in [a] Pharaone, miſericordiam in [b] Ezechia, iuſtitiam in [c] Saule, æquitatem in [d] Dauide, &c. & in cœco nato opus creationis, iuſtificationis, & glorificationis, &c. vt ſupra.

a *Exo* 14. b *Eſa.* 38. c 1. *Reg.* 16. d 2. *Reg.* 12. & 24.

QVARTA INVENTIO EST,

QVia cœcus de quo in Euangelio, ſpiritualem cœcitatem præfefert, de ſeptem cœcis, qui in ſcripturis referuntur, & ſeptem ſpirituales cœcitates nobis loquuntur, ſermonem habendum, ad ſpiritualem profectum. Primus eſt

Digitized by Google

Iſaac, ſecundus Tobias, tertius Eli, quartus exercitus Regis Syriæ, quintus Paulus Apoſtolus, ſextus Bartimæus cum alijs duobus cœcis Ierichontinis, ſeptimus, & vltimus Celidonius, cœcus natus. De primo mentio habetur Gen. 27. de ſecundo Tobiæ 2. de tertio 1. Reg. 3. de quarto 4. Reg. 6. de quinto Act. 9. de ſexto Mar. 10. Matth. 20. & Luc. 18. & de

Gen. 27. ſeptimo Ioan. 9. *Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi*
Tob. 2. *eius, & videre non poterat*, ecce primum. *Contigit autem, vt quadam die fatigatus à ſepultura Tobias veniens in domum ſuam iactaſſet ſe iuxta parietem, & obdormiſſet, & ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper*
1. Reg. 3. *oculos eius, fieretque cœcus*, ecce ſecundum. *Eli iacebat in loco ſuo, & oculi caligauerant, nec poterat videre lucernam*
4. Reg. 6. *Dei, antequàm extingueretur*, ecce tertium. *Hoſtes verò deſcenderunt ad eum. Porrò Eliſæus orauit ad Dominum, dicens: Percute, obſecro, gentem hanc cœcitate. Percuſſitque eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Eliſæi*, ecce quartum.
Act. 9. *Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil vide-*
Marc. 10. *bat*, ecce quintum. *Filius Timæi Bartimæus, cœcus ſedebat*
Matt. 20. *iuxta viam mendicans. Qui cum audiſſet, quia Ieſus Naza-*
Luc. 18. *renus eſt, cœpit clamare, &c. Et egredientibus illis ab Iericho, ſecuta eſt eum turba multa, & ecce duo cœci ſedentes, &c.* ecce ſextum. *Præteriens Ieſus vidit hominem cœcum à natiuitate*, ecce ſeptimum.

Primus in ſenectute excœcatus repræſentat auaros, qui in ſenibus, familiares res vitioſè, tenaciter, & affectuoſè reſeruantibus, abſcondentibus, ſepelientibus, inſpiciuntur. Secundus, luxurioſos, ſtercoribus luxuriæ interiori lumine priuatos. Tertius, inuidos; nam ſicut Eli non poterat videre lucernam accenſam, ſic nec iſti lucem, & ſplendorem proximorum videre queunt. Quartus, guloſos, qui mare, ac terram, veluti comparato exercitu aduerſus cuncta animantia, & piſces maris, circumeunt. Quintus, iracundos, ſemper ſpirantes minarum, & cædis, vt Paulus. Sextus, accidioſos, ſedentes ſecus viam mandatorum Dei, aliena mendicantes, nihil operantes. Septimus, ſuperbos, faſtum, & pompas ab incunabulis trahentes, vt inquit Oſeas. 11.
Oſe. 11. *Ephraim quaſi auis auolauit, gloria eorum ab ortu, & ab vtero, & à conceptu.*

Curabitur auarus à cœcitate ſua, ſi faciat, quod fecit Iſaac,

Iſaac, ſi omnes, ſcilicet, ſuas facultates, quibus debet, diſtribuat. Curabitur luxurioſus, ſi amarum fel, vel punitionum luxurioſorum, narratarum in Scripturis, vel paſſionis Chriſti ſuper oculos ſuos ponat, aut poni permittat, vt fecit Tobias. Curabitur inuidus, ſi lucem dignitatis, & proſperitatis proximorum hilari animo deinceps videre diſponat. Curabitur guloſus, ſi faciat id, quod exercitus Regis Syriæ fecit, ſi comedat, inquam, panem, & aquam, ieiunijſque corpus affligat, &c. Legitur enim dictum ab Eliſæo ad Regem Iſraël, volente milites illos percutere: *Non percuties; neque enim cœpiſti eos gladio, & arcu tuo, vt percutias, ſed pone panem, et aquam coram eis, vt comedant, et bibant, et vadant ad Dominum ſuum.* Curabitur iracundus, ſi Sanctorum manus ſibi imponi procuret, vt Ananias impoſuit Paulo, hoc eſt, ſi exempla Chriſti, & Sanctorum, qui tam humiles, & pacifici fuerunt, imitari ſtudebit. Sic enim manus Dei exponunt Beda ſuper Exo. 8. Rup. ſuper Cant. 5. Ambr. ſuper Pſal. 138. Serm. 22. Hila. ſuper Matth. Can. 12. Aug. ſuper Apoc. Hom. 2. Greg. ſuper Cant. 7. & ſuper Ezech. Hom. 3. Curabitur accidioſus, ſi faciat, vt fecit Bartimæus, & alij duo cœci, qui de via ſurrexerunt, & ſecuti ſunt Ieſu. Curabitur tandem ſuperbus, ſi lutum humanæ vilitatis, memoriam mortis, & ſepulchralium fœcum recordationem ſuper oculos intellectus ſui ponat; vel lutum humanitatis Chriſti (*qui fuit nouiſſimus virorum, mitis, et humilis corde*) conſideret; lutum, inquam, illud, quod compactũ fuit ex ſalina *ſapientiæ, quæ ex ore Altiſſimi prodiuit primogenita, ante omnem creaturam* & ex terra illa benedicta Mariæ Virginis.

4. Reg. 6.

Beda. cum ſeqq.

Eſa. 53. Matt. 11. Eccli. 24.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Reſpexerat iam è ſupremo, & excelſo ſolio gloriæ ſuæ benignis, & pientiſſimis oculis cœcitatem infelicis Tobiæ benedictus Deus, quando, vt de miſeria iacentem releuaret, miſit vnum ex ſeptem beatis ſpiritibus, qui trementes, & humiles ſuo diuino conſpectui aſſiſtunt, in forma pulcherrimi iuuenis, ſtantis præcincti, & quaſi parati ad ambulandum, qui apparuit filio eius, conduxit eum, & comitatus eſt,

Tob. à cap. 5. vſq; 12.

tus eſt, vſque Rages, numeratum pondus argenti à Gabelo recepit, Saram Raguelis filiam, ei in vxorem dedit, à piſce, qui ad eum deuorandum exierat, eripuit, & felle eius inunxit oculos cœci patris, viſumque ei reſtituit.

Et iam pariter reſpexerat, amoroſo quodam intuitu natiuam cœcitatem Celidonij miſericors Dominus, cùm magni conſilij Angelus, Chriſtus Ieſus, in forma, & habitu velociſſimi curſoris apparuit ei, & vnctione, magis pretioſa, & æſtimabili, luto, inquam, ex eius ſputo, & terra compacto, liniuit ſuper oculos eius, iuſſit, vt lauaretur in Siloë, & viſionem ei reſtituit. *Ioan. 9. cum ſeqq.* *Præteriens Ieſus*, ecce curſorem Angelum. *Vidit hominem cœcum à natiuitate*, ecce natiuam cœcitatē. *Fecit lutum de ſputo*, ecce collyrium. *Liniuit ſuper oculos eius*, ecce applicationem. *Iuit, lauit, & venit videns*, ecce collatam viſionem.

Rarum, & admirandum, perfectò miraculum, quod ideò ita diligenter, & abſolutè à Ioanne deſcribitur. Rarum, & admirandum quidem ex facto ipſo, illuminationis, inquam, cœci nati, tot circumſtantijs illuſtratæ, ſed rarius, ac mirabilius, propter Sacramenta, quæ continet, & myſteria, quibus ſcatet, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST.

De modo operandi Omnipotentis Dei, ſatis diuerſo à modo operandi hominum, tractandū, occaſione extraordinarij modi, quo cœcum hunc curat, ſcilicet, per linitionem luti, quod nedum non illuminat cœcos, ſed videntes excœcat. Homines enim alta, fortia, & nobilia eligunt, ad ſuam oſtendendam virtutem, & potentiam iactandam. *1. Cor. 1.* *Deus verò ignobilia mundi, & contemptibilia, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtruat, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.*

Quod eſſe verum probabis per opera naturæ, gratiæ, prædicationis, miraculorum, iuſtificationis, & gloriæ, in quibus omnibus ignobilia, & contemptibilia elegit, ad gloriam ſuam manifeſtandam, & potentiam oſtendendam. In operibus

bus enim naturæ non ſolùm ex informi, indigeſtaque mole tot nobiles creaturas eduxit, ſed in viliſſimis, & ex viliſſimis creaturis maieſtatem ſuam magis elucere voluit, &c. dic conſequenter.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

AD oſtendendam virtutem, & gloriam ſuam, ſemper abiectiſſimis, & viliſſimis rebus vſum fuiſſe benedictũ Deum, teſtis eſt D. Paulus 1. Cor. 1. *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes, ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Quare autem ita agere elegerit Deus, plures affert idem Paulus rationes. Prima eſt, *vt non euacuetur crux Chriſti*, id eſt, vt reliqua, à principio dependentia, principio conformia ſint. Principium operũ nouæ legis fuit Chriſtus, patiens, & mundum redimens, quo nihil abiectius, & deſpectius, *fuit enim non ſolùm deſpectus, ſed etiam nouiſſimus virorum, opprobriũ hominum, & abiectio plebis.* Cui & cætera conformari debebant, alioquin euacuata eſſet crux Chriſti. Præterquàm quòd, ſi Deus de cætero elegiſſet potentes, nobiles, fortes, & honorabiles, iniuria irrogata eſſet Chriſto, quo per viam ignominiæ, & exinanitionis traducto, mirabilia potentiæ ſuæ manifeſtare voluit. Euacuaretur etiam crux Chriſti; nã, ſi poſt paſſionem eius nobilibus, & excelſis rebus vſus fuiſſet Deus, ad gloriam ſuam manifeſtandam, ad nihil ampliùs valeret, & deſeruiret crux Chriſti, tantuſque labor eſſet caſſus, eiuſque humilitas, exinanitio, & paſſio vanitas appellari poſſent; cùm illud propriè vanitas appelletur, quod in principio alicuius actionis introducitur, nulla in poſterum de eo habita mentione. Alterã huius rei cauſam affert Paulus, *vt, ſcilicet, confundat ſapientes, & fortes mundi*, qui quidem omnia ſibi arrogant, cæteros deſpiciunt, *& pauperes pro calciamentis habent*, vt inquit Amos 2. & 8. Confunduntur enim

1. Cor. 1.

Eſa. 53.
Pſal. 21.

Amos 2. & 8.

enim iſti, dum ignaros, & impotentes admiratione dignas, & ſuæ ſpheræ actiuitatem excedentes, operationes exercere vident. Arguunt enim ex actibus, naturales eorum vires ſuperantibus, agens ſupremum, extrinſecum, à quo dirigũtur, & ad hæc patranda adiuuantur. Affert etiam & aliam, ſcilicet, *vt ea, quæ ſunt, deſtruat per ea, quæ non ſunt*. In hac enim actione manifeſtiſſimè primæ cauſæ virtus proditur, cùm non ſolùm ea, quæ non ſunt; quæ ſunt ſuperant ſed etiam deſtruunt.

Sed quia omnes iſtæ rationes ſingulares ſunt, generalem, & communem affert vltimo loco, *vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius*. Si enim nobilibus, potentibus, & magnis rebus, ac ſapientibus hominibus Deus vteretur, ad ſe ipſum mundo oſtendendum, non ita eius diuinitas eluceret, inſtrumentis enim non parum eſſet deferendum. Cùm verò ignobilibus, & contemptibilibus rebus, & indoctis hominibus vtitur, totum Deo tribuendum magnitudinis, & dignitatis operationum. Exemplum in promptu eſt Iud. 7. in victoria, & triumpho, quod reuexit Gedeon de Madianitis, ferè innumerabilibus, à trecentis tantùm viris comitatus. Rationem namque ei reddens Dominus, cur tot paucis viris vellet eum cum ingenti multitudine bellum agere, eam vtique affert, quam D. Paulus, ne, ſcilicet, gloriarentur homines in conſpectu eius, & ne milites cum exercitu numeroſo pugnãtes, & vincentes victoriam ſuis viribus aſcriberent. Audiãtur Dei verba eò loci: *Igitur Ierobaal, qui & Gedeon, de nocte conſurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem, qui vocatur Harad. Erant autem caſtra Madian in valle, ad ſeptentrionalem plagam colli excelſi. Dixitque Dominus ad Gedeon. Multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Iſraël, & dicat: Meis viribus liberatus ſum. Loquere ad populum, &c.* Iuſtis ergo de cauſis ignobilia, & contemptibilia mundi elegit Deus, &c.

Iud. 7.

Et quia ſemper ſibi ſimilis, ſicut antè, ſic & poſt incarnationem, hoc modo vſus eſt, vt omnes Chriſti inſigniores actiones obſeruanti videre licet. Quod verum eſſe (occaſione viliſſimi luti, & communiſsimæ aquæ, quibus Chriſtus vtitur, ad cœcum natum illuminandum) in operibus naturæ, gratiæ, &c. oſtendetur, & probabitur, &c. vt ſupra.

QVINTA

QVINTA QVARTAE.

Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cũ eo diſcipuli eius, &c. Luc. 7. Luc. 7.

PRIMA INVENTIO EST,

IN benedictione Nepthalim: *Nepthalim ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis*, optimè deſcribi duas principales actiones Chriſti in reſuſcitatione filij mulieris viduæ. Fuit enim ceruus emiſſus, velociſſimus ad ſuccurrendum, anticipauit enim ſepulchrum, retinuit feretrum. Et habuit eloquia pulchritudinis, conſolando matrem defuncti. *Mulier, noli flere.* Gen. 49. Luc. 7.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

PAtriarcha Iacob, vale dicturus mundo, & ſpiritum redditurus Deo, omnes filios ſuos ad ſe vocauit, vt eorum ſingulos propria benedictione benediceret, in ipſis futuros rerum Eccleſiæ euentus patefaceret, promiſsique Meſsiæ admirandas operationes, vmbrãdo aperiret. Inter quas ſingulariſsima eſt Nepthalim benedictio: *Nepthalim ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis*. Hac enim benedictione his ſimilia dicere voluit: Super omnes fratres tuos duabus prærogatiuis excelles tu, fili mi, Nepthalim; eris Gen. 49.

namque

námque promptus, & velox in ferendo auxilio genti tuæ, populo Dei, & tanta in loquendo gratia pollebis, vt margaritis, & lapidibus prætioſis verba tua ſimillima futura ſint: *Nepthalim ceruus emiſſus, &c.* Vaticinium hoc Patriarchæ Iacob, ſecundùm literam, adimpletum eſt in gentibus de tribu Nepthalim, qui, vt ceruus emiſſus, velòces fuerunt in ope ferenda populo de tribu ſua, dum ab inimicis ad necem quærebatur, vt patet Iud. 4. Iachel enim clauo tempora
Iud 4. immaniſſimi Siſare confixit, & habuit eloquia pulchritudinis in Cantico, quod Debora, & Barach cecinerunt in
Iud. 5. laudem Dei: *Qui ſpontè obtuliſtis de Iſraël, &c.* eiuſdem libri 5. cap. Secundùm ſpiritum verò, adimpletum eſt in Chriſto, qui fuit ceruus emiſſus, vt inquit Rup. 7. de diuin. off cap. 13. velociſſimus ad ſuccurrendum perdito mundo, & habuit eloquia pulchritudinis in prædicatione, & quocun-
Pſal. 44. que ſermone ſuo, *diffuſa eſt enim gratia, in labijs ſuis.*

Sed has duas prærogatiuas, quas oſtendit toto tempore ſuæ prædicationis, coniunctim, ac ſimul, & ſemel demonſtrauit in ciuitate Naim, dū adoleſcentem, filium viduæ, à mortuis ſuſcitauit. Fuit enim tunc, vt ceruus emiſſus, ad opem ferendam, opportuno tempore retinendo feretrum, anticipando ſepulchrum; dum, inquam, tanto auxilio maximè opus erat. Et habuit eloquia pulchritudinis, matrem viduā,
Luc. 7. vnico filio orbatam, dulciſſimis verbis ſolando. *Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ, & acceſſit, & tetigit loculum. Hi autē, qui portabant, ſteterunt, &c.* ecce primum. *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere*, ecce ſecundum. Quò ad primum ergo, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

Luc. 7. NOn deflendam eſſe mortem, nec timendam, ſermone habito ſuper his verbis: *Noli flere*, oſtendendum. Non enim deflenda eſt, aut timenda, immò hilariter expectanda, excipiendaque. Et hoc ratione ipſiuſmet mortis, noſtri, ami-

ſtri, amicorum, Dei, & Vniuerſi. Mortis quidem, quæ poſt Chriſtum non eſt ampliùs horribilis, & in ſua ferocitate, ſed deſtructa, & nullarum virium; *mortem namque noſtram Chriſtus moriendo deſtruxit.* Eſt & mors veſtita, atque ornata tot ſanctorum exemplis,& glorioſis paſſionibus Eſtque veluti imago quædam ſanctificata contactu tot prætioſorũ corporum, quæ tetigit; Chriſti, B. Virginis, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, &c. Noſtri verò, quia morte recipimus præmia meritorum; reformamus corpus humilitatis noſtræ; finimus peccandi occaſiones, eximus de dubio ſalutis,relinquimus lacrymarum vallem, & imponimus finem tot humanis calamitatibus, & miſerijs. Amicorum præterea, qui nos in cœlis expectant, vt inquit Aug. Serm. 1. de Omn. ſan. dum ita affectuosè loquitur: *Quàm lato ſinu de prælio reuertentes ciuitas cœleſtis excipit, de hoſte proſtrato trophæa ferentibus occurrit. Cùm triumphantibus viris & fœminæ veniunt, quæ cum ſæculo ſexum quoque vicerunt,& geminata gloria militiæ Virgines cum pueris, teneros annos virtutibus tranſeuntes. Sed & cætera fidelium turba aulæ perpetuæ regiam intrabit,quia ſynceritatem fidei inconcuſsis præceptorum cœleſtium diſciplinis vnita pace obſeruauerant. Ergo agite nunc fratres,aggrediamur iter vitæ,reuertamur ad ciuitatem cœleſtem,in qua ſcripti ſumus,& ciues decreti. Non ſumus hoſpites, ſed ciues Sanctorum,&c.* Nec non Cypri. l. de mortal. Serm. 4. *Quis non peregrè conſtitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad ſuos nauigare feſtinans,ventum proſperum cupidus optaret, vt velociter caros liceret amplecti? Patriam noſtram paradiſum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus; quid non properamus,& currimus,vt patriam noſtram videre, & parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat,parentum,fratrum,filiorum frequens nos, & copioſa turba deſiderat, iam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum, & complexum venire quanta & illis, & nobis in commune lætitia eſt?* Hæc ille. Dei etiam, vt in glorificatione Sanctorum eius & iuſtitia, & miſericordia oſtendatur; iuſtitia, quia reddet vnicuique, iuxta opera ſua; miſericordia verò, quia excedit omnia merita, *omnium vires illud decus, illa gloria,illa celſitudo,qua nobis, à conturbatione hominum remotis*

Eccleſia.

Auguſt.

Cypr.

Aug. ſerm. 44. de ſãc.

motis in abſcondito faciei ſuæ Ieſus Chriſtus, Dominus noſter, reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Vniuerſi tandem, cùm de perfectione illius ſit morte hominum reædificari muros Ieruſalem, impleri Angelorum ruinas, *& ſupernam illam Ciuitatem non fraudari ſuorum numero ciuium.*

Idem 22. de ciu. Dei cap. 1.

Dicendum ergo conſequenter, & concludendum ſemper: *Noli flere mulier*, id eſt, humana caro, & ſenſualitas, Orig. ſuper Ezech. Hom. 10. & 13. & ſuper Leui. Hom. 8. & ſuper Ioſu. Hom. 9. Aug. 2. de Gen. cont. Mani. 10. & 14. Philo de Opi. mun. & de mig. Abra. & 2. Alleg. & de profug. & de ſpec. leg. 2 Beda ſuper Gen. 3. & alij.

Luc. 7. Origenes. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

VT aſpectu amantiſſimi ſponſi, maximè lætabatur ſpôſa, propterea enim illius faciem videre ſemper in votis habebat, & abſentem, etiam cum vitæ diſcrimine, aliquando quæſiuit, vt ipſamet fatetur: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum*, ita & audire vocem eius auidiſſimè cupiebat, propter eximiam, quam inde capiebat, ſpiritualem dulcedinem: *Anima mea liquefacta eſt*, dicebat illa, *vt dilectus meus locutus eſt.* Vndè aſſiduè rogabat: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Nec mirum, vocem ſponſi adeò ſuauem eſſe, cùm guttur illius, à quo formabatur, ſuauiſſimum eſſet: *Guttur illius ſuauiſſimum*, os eiuſdē odoriferum ſuauiſſimè oleret: *Odor oris tui, ſicut odor malorum*, & omnis gratia reſideret in labijs illius, vt Dauid, eum alloquens, affirmat: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* Hinc vocem, qui audire meruerunt, beati dici poſſunt, ſicut beati, qui illius faciem videre digni fuerunt, vt, ad Apoſtolos ſuos conuerſus, aſtruit Chriſtus: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.*

Cant. 5. Ibidem Verſ. 6. Cant. 2. Cant. 5. Cant. 7. Pſal. 44. Luc. 10.

Beata etiam hæc vidua, cuius hodie mentio in Euangelio,

quæ

quæ non ſolùm vocem Chriſti, ſe conſolantem, audire meruit: *Mulier noli flere*, ſed etiam filium à mortuis reuocatum incolumem recipere. Sed quod Chriſtus dixit mulieri huic viduæ, dicit etiam, & toti Eccleſiæ, cuius illa typum gerit (Amb. ſuper Luc. 7. & de vidu. Hila. ſuper Pſal. 67. & 131. Hieron. ſuper Eſa. 3. Greg. ſuper Ezech. Hom. 3. 16. Mor. 22. & 17. Mor. 1. nec non Aug. Serm. 201.) hortaturque, vt non doleat de morte, illam non timeat, ſed potiùs cum gaudio expectet. Quod autem mors non timenda ſit, ſed potiùs optanda, patet, tum ratione ipſius mortis, &c. vt ſupra. *Luc. 7.* *Ambr. cum ſeqq.*

TERTIA INVENTIO EST,

Tragicam hanc actionem, delationis defuncti adoleſcentis ad ſepulchrum, etiam reliqua, mæſtitudine plena, & verè lugubria proſequuntur. Mulier vidua, filius defunctus, feretrum, portitores, & ſepulchrum, hæc ſunt illa. Cuncta læta, proſpera, hiſque oppoſita actionem Chriſti comitantur; ſponſus, vita, crux, apoſtoli, cœlum. Sponſus enim viduæ, vita defuncto, crux feretro, portitoribus apoſtoli, ſepulchro cœlum reſpondet.

Dicendum ergo ad hæc conſequenter, & antitheſis dignè expandenda: Vidua, ſponſus, defunctus, vita, feretrum, crux, portitores, apoſtoli, ſepulchrum, cœlum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ILle, *qui iuſſit de tenebris lucem ſplendeſcere; qui poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum; qui in cubilibus, vbi habitabant dracones, oriri fecit virorem calami, & iunci; cuius denique emiſſiones, ſicut paradiſus*, homo factus, nuſquàm intrauit, quin loco, quem ingreſſus eſt, benedictiones, & gratias impertiret. Oritur in mundo, & ſtabulum ſordidum ſplendidiſſimum facit. Intrat Aegyptum, & demolitur vniuerſa idola eius. *2. Cor. 4.* *Pſal. 106.* *Eſa. 35.* *Can. 4.* *Luc. 2.* *Eſa. 19.*

Ingre-

Luc.2. Ingreditur templum, & ſpirituali exultatione, ac cœleſti-
Luc.19. bus benedictionibus replet Simeonem, & Annam. Ingre-
Luc.5. ditur Zachæi domum, & ſalus ei à Deo facta eſt. Ingreditur
Matthæi, iam vocati ad Apoſtolatum, ædes, & illum, nedum
Luc.4. Apoſtolum confirmat, ſed & Euangeliſtam conſtituit. Ingreditur domum Simonis, & ſocrum eius à magnis febribus liberat. Venit tandem hodie, vt ingrediatur ciuitatẽ Naim, & præ foribus inueniens defunctum, qui efferebatur, vnicus filius matri ſuæ, à mortuis ad vitam reuocat. Sed, quod vndèquaque admirationem parit, illud eſt, non ſolùm mortuum ſuſcitat, verùm omnia, quæ funebrem ciuitatis actionem tragicè conſequuntur, per oppoſita, in feſtiuiſſima actione ſua, tollit, & lætiſſima alia contraria illis ſubſtituit. In funebri ciuitatis actione ſunt, defunctus, vidua, feretrũ, portitores, & ſepulchrum. In actione Chriſti ſunt omnia his oppoſita, ſponſus, vita, crux, apoſtoli, cœlum. Viduæ enim redditur ſponſus, defuncto vita, feretro crux, portitoribus apoſtoli, ſepulchro cœlum.

Sed quæſo omnia hæc diligentiùs expendantur, & colores hi, vt in tabula euangelica prodeant, ac promineant, operam demus. Mulier vidua vnico filio, & adoleſcenti orbata introducitur primo loco, in actione funebri ciuitatis Naim, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

TAngendo loculum crucis, quid nam mundo contulerit Chriſtus, quæue (Chriſto lignum crucis, contactu ſuæ mundiſſimæ carnis ſanctificante) euenerint, ſubortaque ſint, in tactu loculi, in quo defunctus efferebatur, filius vnicus mulieris viduæ ciuitatis Naim deſignari. Tangente enim Domino loculum, portitores ſteterunt, adoleſcens defunctus ſurrexit, vidua gaudium ex vita filij percepit, & Deus glorificatus fuit. Quæ, vt apertiùs explicentur, dicimus: Portitores defuncti ſtetiſſe, tangente Chriſto loculum crucis, hoc eſt falſitates, & errores non vlterius profiliiſſe, immò re-

mò retroceſſiſſe. Si enim Hieron. ſuper. Eſa. 46. portantes idola, quæ non poſſunt ſaluare portantem, & aſſerentes argentum de Tharſis, & aurum de Ophax, nec non filios Iſraël, portantes tabernaculum Moloch in deſerto, interpretatur, eos eſſe, qui facilè amplectuntur errores, hæreſes, & alia falſa dogmata, cur non defuncti portitores, vita carentis doctrinæ, quæ verba vitæ eternæ non habet, vt doctrina Christi, portitores intelligi poterunt? Hiero. Ioan.6.

Mortuus ſurrexit, tangente Chriſto loculum crucis, hoc eſt, mundus, in peccatis mortuus, viuifico eius ſanguine ad ſpiritualem vitam redijt: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, filius namque, quos vult, viuificat*, filius eſt enim illius patris, *qui mortificat, & viuificat*. 1.Cor.15. Ioan.5. 1.Reg.2.

Conſolationem etiam ex tali contactu recipit vidua Sancta mater Eccleſia, defuncti filij nece priùs afflicta, vt teſtatur D. Amb. *Sancta Eccleſia populum iuniorem à pompa funeris, atque à ſupremis ſepulchri ſuarum reuocat ad vitam contemplatione lachrymarum: Qua flere prohibetur eum, cui reſurrectio debebatur*. Ambr.

Gloria denique datur Deo, & laudis confeſſio; vt, vicinus paſsioni, & huius ſancti loculi contactui, de gloria ſua dixit Chriſtus: *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVia progreſsiuè ſemper à mirabilibus ad mirabiliora proceſſit Chriſtus in ſuorum operatione miraculorum, idcircò, cùm deſcendiſſet de monte, abſoluto iam mirabili illo Sermone, ſucceſſiuè maiora miracula fecit. Sanauit enim priùs leproſum verbo, & tactu, deindè ſeruum Centurionis ſolo verbo à paralyſi liberauit, poſtremò defunctum filium viduæ, quod maius his fuit, à mortuis ad vitam reuocauit. Hoc autem fecit, non ſolùm, quia ſic, & operationis illius deificæ ſeries requirebat, manifeſtationis ſuæ ratio expoſcebat, hominumque vtilitas, pro eorum captus conditione, poſtulabat, verùm etiam, vt altis radicibus reſurre- Matth.8. Luc.7.

ſurrectionis fides credentium cordibus excreſceret: *Reſurrectionis autem*, inquit Greg. Niſſe. *experimentum, non ita verbis, ſicut operibus à Saluatore didicimus, qui ab inferioribus inchoans opus miraculi, fidem noſtram aſſuefecit ad maiora. Primò quidem in ægritudine deſperata ſerui Centurionis reſurrectionis inœpit poteſtatem. Poſt hæc, altiori poteſtate ducit homines ad fidem reſurrectionis, dum ſuſcitauit filium viduæ, qui ferebatur ad monumentum. Diceret enim aliquis de puero Centurionis, quod moriturus non erat. Vt igitur temerariam linguam compeſceret, iam defuncto iuueni Chriſtum obuiare fatetur Euangeliſta, vnico filio viduæ.* Hæc ille.

Gre. Niſſ.

At non his ſolùm de cauſis, & propter hæc dumtaxat myſteria, poſt alia minora miracula, hoc miraculum fecit Chriſtus, verùm etiam, vt nobis præſignificaret, ex contactu loculi, in quo defunctus efferebatur, quidnam ipſe ſpiritualiter præſtare debebat, tangendo ſanctiſsimo corpore ſuo loculum crucis, ſcilicet, portitorum ſtationem, mortui reſuſcitationem, matris viduæ conſolationem, & Dei glorificationem. Hoc eſt, errorum ceſſationem, defuncti hominis per peccatum, ſpiritualem reſurrectionem, viduæ matris Eccleſiæ conſolationem, & Dei glorificationem: *Hi autem, qui portabant, ſteterunt*, ecce primum, &c. vt ſupra.

Luc. 7.

QVINTA INVENTIO EST,

QVatuor perſonarum generibus, quarum vnaquæque rem vnam perdiderat, in appropinquatione ad ciuitatem Naim, Chriſtum rem illam reddere. Mulier quædam vidua filium perdiderat, filius vitam amiſerat, homines timore Dei carebant, Deus ipſe honore, & gloria, ab hominibus ſibi debitis, deſtitutus erat. Viduæ redditur filius, filio vita, hominibus Dei timor, Deo honor, & gloria. *Et dedit illum matri ſuæ*, ecce primum: *Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui*, ecce ſecundum. *Accepit autem omnes timor*, ecce tertium. Et *magnificabant Deum, &c.* ecce quartum.

Luc. 7. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

STatum, & cōditionem ſuam, antè tribulationis tempus, deſcribens Iob, inquit 29. cap. *Quis mihi tribuat, vt ſim, iuxta menſes priſtinos, ſecundùm dies, quibus Deus cuſtodiebat me. Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea, parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo. Vocem ſuam cohibebant Duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi.* Cauſam verò in medium afferens, cur talia à Deo, & hominibus promeruerit, inquit: *Eò quòd liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adiutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me, ſicut veſtimento, et diademate iudicio meo. Oculus fui cœco, et pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam, quam neſciebam, diligētiſſimè inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Et in fine eiuſdem capitis: *Eram tamen mœrentium conſolator.* Nec mirum profectò, tot tantiſque donis cumulatum fuiſſe Iob, propter opera miſericordiæ, & ſubuentionem pauperum orphanorum, & viduarum, cùm eiuſmodi opera maximè pietatis ſint, & illi Deo magnoperè accepta, qui eſt *pater orphanorum, & iudex viduarum*, & cui à patre dictum eſt: *Orphano, & pupillo tu eris adiutor.* Iob 29. Pſal. 67. Pſal. 9.

Quod re ipſa oſtendit, ſub humana degens nobiſcum forma, pauperes, & mœrentes defendens, & amplectens, vt in pleriſque ſacræ Euangelicæ hiſtoriæ locis lectitamus; nec nō in maximis tribulationibus diuinum eis ſuum fauorem impendens. Vt, inter cætera, præcipuè in hodierno Euangelio

X conſpici-

conſpicimus, in quo Lucas nobis narrat, veniſſe illum in ciuitatem Naim, ad ſubueniendum viduæ, cuius vnicus filius adoleſcens defunctus efferebatur. Verùm, quia Chriſtus, vnica præſtita actione, inter agendum, etiam alia mira adiungit, nec vnico tantùm facto contentus eſt, non ſolùm
Luc.7. viduam matrem conſolatur: *Miſericordia motus ſuper eã, dixit illi*: *Noli flere*, ſed atiam reddit filio vitam, hominibus Dei timorem, Deo gloriam, &c. vt ſupra.

SEXTA QVARTAE.

Ioan.11.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania, &c. Ioan. 11.

PRIMA INVENTIO EST,

QVæ nam præſtentur, quotieſcunque inueteratus in malo peccator ad ſpiritualem vitam reuocatur, in præſenti Euangelio recenſeri. Quædam enim agunt ſorores Lazari, quædam Chriſtus, quædã Lazari propinqui, quædam apoſtoli, quædam Lazarus. Sorores cum lachrymis rogãt Chriſtum. Chriſtus lachymatur, infremit ſpiritu, turbat ſemetipſum ſemel, atque iterum, præcipit, tolli lapidem, clamat, Lazarum reuocans, & reuocatum, ſoluendum iubet. Propinqui tollunt lapidem. Apoſtoli ſoluunt, & ſinunt abire. Lazarus abit. Hæc omnia, ſecundùm myſticum ſenſum, ad reſuſcitationem ſpiritualem defuncti, & inueterati peccatoris exponantur, & ſatis benè concioni proſpectum.

Intro-

Digitized by Google

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DVm peccator, ſpirituali vita, per peccatum priuatus eſt, & mortuus Deo, indiget, aut propria ſupplicatione diuinam poſtulare miſericordiam, vt fecit Dauid, qui ſe Deo humilians, dicebat: *Erraui, ſicut ouis, qui perijt, &c.* *Pſal.118.*
Et alibi: *Saluum me fac Deus, quoniã intrauerunt aquæ, &c.* *& 68.*
Aut amicorum Dei ſuffragijs adiuuari, vt adiutus eſt Hebræus populus, & à Moſe, qui petebat aliquando, & enixè quidem: *Aut parce populo huic, aut dele me, &c.* & ab alijs *Exo.32.*
veteris teſtamenti Prophetis, vſque ad D. Paulum, nouæ legis Apoſtolum, amicum Dei, qui ex toto cordis affectu cupiebat, *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis Iſraëlitis.* *Rom.9.*
Qui in peccato ſunt, non tamen in illo inueterati, pro ſe ipſis rogant, & rogare perſeuerantes, vt det illis Deus gratiã reſurgendi à peccato, à Deo tandem exaudiuntur, & præuenientem gratiam, & ſpeciale ſuum auxilium eis concedit. Qui verò in peccatis ſunt conſuetudinarij, & in malo inueterati, aliornm precibus adiuuari indigent, cùm ipſi *infixi* *Pſal.68.*
ſint in limo profundi, & venerint in altitudinem maris, ac tempeſtas demerſerit eos. Peccator autem, cùm in profundum venerit, contemnit. *Prou.18.*

Viuum huius rei exemplar in Lazaro habemus, inueterati peccatoris typo, quem multi adiuuant, vt à mortuis reſurgat, &, vt, iam ad vitam reuocatus, ambulare poſſit. Sorores enim rogant, & cum lachrymis ad Dominum confugiunt, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

DEfuncti Lazari, qui vltimus eſt mortuorum, qui à Chriſto ſuſcitati leguntur, occaſione, de tribus mortuis, ad vitam à Chriſto reuocatis, agendum, ac myſteria, per hos mortuos ſuſcitatos indicata aperienda. Primus mortuus eſt filia Tayri, Sinagogæ Principis. Secundus eſt filius viduæ ciuitatis Naim. Tertius eſt Lazarus quatriduanus. *Matt.9.* *Luc.7.* *Ioan.11.*

X 2 Primus

Primus deſignat peccatorem mortuum cogitatione, & conſenſu. Secundus eundem peccatorem mortuum per peccati operationem. Tertius ipſummet mortuum per continuationem, & inueterationem in malo. Primus enim legitur mortuus domi, ſecundus in porta ciuitatis, tertius in ſepulchro.

Vel, primus eſt peccans occultè, atq; ideò domi mortuus; ſecundus peccans publicè, atq; ideò defunctus in porta ciuitatis, & turba ciuitatis multa cũ illo; tertius in peccato obſtinatus, atque ideò in ſepulchro, & quatriduanus, & fœtens deſcribitur: *Filia Tayri*, inquit Chryſ. *ſuſcitatur, corpore iã calente, filius viduæ, retinendo feretrum, anticipando ſepulchrũ, in Lazaro totum completum eſt mortis officium.* Greg. Mor. 4. cap. 25. *Puellam in domo, adoleſcentem extra portam, in ſepulchro autem Lazarum ſuſcitat. Adhuc quippe in domo mortuus iacet, qui iacet in peccato. Iam quaſi extra portam ducitur, cuius iniquitas vſque ad inuerecundiam publicæ perpetrationis operatur. Sepultura verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam vſu conſuetudinis preſſus grauatur.* Aug. *Intus eſt mors, quando cogitatum malum nondum proceſſit in factum. Si autem ipſum malum feciſti, quaſi mortuum extra portam extuliſti. De illo autem, qui peccare conſueuerat, dicitur: Fœtet; incipit enim habere peſſimam famam, tamquàm odorem teterrimum.* Conceptus, pro his explicandis, requirendi, & dicendum conſequenter.

Hom. 62. in Ioan.

cap. 25. in nou. exẽpl. ſed 29. in antiq.

Tract. 49. in Ioan.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Aſſerere, non plures mortuos à Domino ſuſcitatos, quã illi, qui in Euangelio referuntur, temerarium eſſet, propter verba Ioannis: *Multa quidem, & alia ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, &c.* Tres, tamen, & non plures recenſent Euangeliſtæ, propter myſteria, in tribus his mortuis, ad vitam reuocatis contenta. Dicere enim, plures à Chriſto mortuos ſuſcitatos, nil maius diuinæ eius potentiæ tribuitur (cùm infinita virtus tam ad vnum, quàm ad mille mortuos ſuſcitandos propria virtute, requiratur) & derogatur myſterio, quod per hos mortuos ſignificatur. *Tres tantùm*

Ioan. 20. & 21.

tantùm mortuos, inquit Aug. Serm. 44. de verb. Dom. *inuenimus à Domino reſuſcitatos viſibiliter, millia inuiſibiliter. Quot autem mortuos viſibiliter ſuſcitauerit, quis nouit? Non enim ſcripta ſunt omnia, quæ fecit. Ioannes hoc dixit: Multa alia ſigna fecit Ieſus, quæ, ſi ſcripta eſſēt, arbitror, totum mundum non poſſe libros capere. Multi ſunt ergo alij ſine dubio ſuſcitati, ſed non fruſtra tres commemorati. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus ea, quæ faciebat corporaliter etiā ſpiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantùm miracula propter miracula faciebat, ſed vt illa, quæ faciebat, mira eſſent videntibus, vera eſſent intelligentibus.* *Auguſt.*

Myſterium autem eſt huiuſmodi, quòd primus mortuus ſignificat, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

ILlius, qui à ſtatu iuſtitiæ cadit, atque in deteriùs prolabitur quotidiè, defectionis gradus in præſenti Euangelio nobis aperire, & commoſtrare Ioannem. Primò namque infirmatur, qui priùs ſanus fuerat: *Domine, ecce, quē amas, infirmatur.* Secundò dormit: *Lazarus, amicus noſter, dormit.* Tertiò moritur: *Lazarus mortuus eſt.* Quarto ſepelitur: *Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* Quintò tandem fit quatriduanus, fœtens: *Domine iam fœtet, quatriduanus enim eſt.* *Ioan. 11. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

TAntæ malignitatis peccatum eſt, atque adeò animæ, cui inſederit, pernicioſum, vt, ſi *per pœnitentiā non deleatur, ſtatim ſuo pondere in aliud trahat*, iuxta D. Gregor. ſententiam; & diabolus, miſerrimi peccatoris dominus, immò peccatum ipſum, dominans in membris eius, ab illo *Hom. 11. ſup. Ezec. et 16. Mor. 28.*

Ioan.21. tamquàm à ſeruo, tributum, cenſumque requirat: *Qui enim facit peccatum ſeruus eſt peccati*, & peccato non aliud tributum ſoluit, quàm aliud, & id quidem grauius, peccatum. Quo fit, vt peccator numquàm peccare deſinat, & peccata peccatis attexat, ſemperque in deterius prolabatur,
Prou.18. quò vſque *in profundum veniat, & ſalutem contemnat*. Theo-
Theodor. dor. in Comment. Epi. ad Roma. ſuper verbis illis: *In quo*
Rom.3. *omnes peccauerunt*. Quamuis videatur tenere, non re ipſa quò ad culpam tranſiſſe ad poſteros Adæ peccatum, ſed ſolùm quò ad occaſionem peccandi, vt doctiſſimè annotauit
Sixt.Sen. Sixt. Sen Bibl. Sanc. lib. 6. Annot. 237. verum tamen ordinē, quo ad actuale peccatum deſcendimus, ex illo originatum recenſet. Nimirum; peccatum Adæ omnibus ex eo genitis paſſibilitatem, corruptionem, & mortalitatem corporis inducere. Deindè mortalitas indigentiam, & priuationem affert rerum omnium, quæ ad vitæ mortalis conſeruationem neceſſaria, & vtilia ſunt. Tertio loco indigentia, & priuatio appetitum, & concupiſcentiam gignit acquirendi, & tractandi res, mortali vitæ proficuas. Tandem appetitus, tractatio, & vſus rerum mediocritatis exceſſum perſuadet. Qui autem conſentit, peccat, &c. Auguſt. lib. 8. Confeſ. cap. 5. actualium aliquorum peccatorum ordinem deſcribens, inquit *Ex voluntate peruerſa fit libido, & dum libidini deſeruitur, fit conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, fit*
Pſal.108. *neceſſitas*. Peccatum namque *intrauit, ſicut aqua in interio-*
Iob 20. *ra eius, &, ſicut oleum, in oſſibus eius. Oſſa eius impleta ſunt*
Iere.8. *vitijs; eſt, quaſi equus, impetu vadens ad prælium. Et, ſicut*
Iere.23. *mutare non poteſt Aethiops pellem ſuam, ita nec ille poterit operari bonum, cùm didicerit malum*. Scholaſtici, & præcipuè
Thomas. Tho. 1. p. Sum. q. 23. ex doctrina D. Aug. inquiunt, quòd ſi-
Auguſt. cut circa electos gradatim Dei actus conſideramus, ſcilicet, dilectionem, electionem, conſcriptionem, prædeſtinationē, vocationem, iuſtificationis inchoationem, gratiæ auctionē, iuſtitiæ incrementum, & æternæ fœlicitatis conceſſionem, ita & circa reprobos odium, neglectionem, deletionem, reprobationem, obtuſionem, excæcationem, indurationē, & æternam damnationem. Recentiores deniquè hunc in peccatis conſtituunt ordinem: Concupiſcentia, opus peccati, iteratio eiuſdem, conſuetudo, deſpectus, gloriatio, aliorum ſeductio, obſtinatio, præſumptio, & deſperatio.

Quod verò in peccatis aliquis ſit ordo, colligimus etiam ex Euangelio Ioannis, Lazari, peccatoris figuræ, mala ſemper deteriora narrantis. Ait enim, primò Lazarum infirmari cœpiſſe, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

SVper verbis Chriſti: ***Lazarus amicus noſter dormit,*** quàm periculoſum ſit, dormire, homini chriſtiano, æternam fœlicitatem conſequi cupienti, oſtendendum. Periculoſum eſt enim, tum ratione inimicorum, qui circumeunt, quærentes, quem deuorent. Vndè Bern. Serm. 11. ſuper Pſal. 90. ***Neque enim tam magna pro nobis in cœlo, pariter, & in terra ſollicitudo gereretur, ſi non magna nobis incumbere neceſſitas videretur; nec tam multiplex nobis cuſtodia, niſi ob multiplices inſidias poneretur.*** Tum ratione viæ, è terra ad cœlum: ***Cui longum iter faciendum eſt, & breue tempus ſuppetit,*** inquit Bonauent. in dieta ſalu. cap. 27. ***ad finem non perueniet, niſi continuò ambulet.*** Tum ratione cauſæ, cuius ſententiam, & deciſionem apud omnipotentis Dei tribunal inappellabiliter expectamus. Maximè, quia aduerſarius noſter verſutus, & callidus, ab ortu ſuæ creationis ſemper cum aliquo litem habuit, litemque facere aſſuetus eſt. ***Vndè accuſator fratrum ſuorum à Ioanne vocatur.*** Ratione etiam viſitationis Chriſti, cuius vocatio ab oſcitantibus non auditur, & ſi auditur in fine ſomni, tempus tunc non eſt, lampades ornandi, ſollicitat.n. plurimùm vox: ***Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.*** Ac tandem ratione detrimentorũ, quæ ex mortifero animæ ſomno hominibus proueniunt: ***Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis, &c.***

Ioan. 11. *Bernar.* *Bonau.* *Apoc. 12.* *Matt. 25.* *Pſal. 75.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

HOminibus, Chriſtum confitentibus, ſemper vigilandũ eſſe, & nunquàm in rebus, ad ſalutem pertinentibus,

Pſal.121. oſcitanter agendum, perſuadet Dominus, cui ſeruiunt, *qui non dormitabit, neque dormiet, cuſtodiens Iſraël*. Miniſtri,
Rom.1. qui ſeruiunt ei: *Fratres hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*. Aduẽtus eius in carne, cui vigilantes paſtores adhibiti. Ex-
Matt.26. hortationes eius: *Vigilate, & orate, &c.* Ac tandem præ-
Eccleſia in Inuit. Dom.1. in Quad. mium, vigilantibus promiſſum: *Promiſit Dominus coronam vigilantibus.*

Quòd verò nobis vigilandum ſit, vt ſalutem conſequamur, & periculoſum ſit dormire, patet, tum ratione inimicorum, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

Ioan.11. SVper verbis Ioannis: *Et lachrymatus eſt Ieſus*, (præſuppoſito, quater Chriſtum lachrymatũ
Sap.7. eſſe, ſcilicet, in natiuitate: *Similem omnibus primam vocem emiſi plorans*. In intuitu ciui-
Luc.19. tatis Ieruſalem: *Videns ciuitatem fleuit ſuper*
Ioan.11. *illam*. Super Lazarum: *Et lachrymatus eſt Ieſus*. Ac tandẽ
Heb.5. in cruce: *Cum clamore valido, & lacrymis orans, exauditus eſt pro ſua reuerentia*) dicendum, hanc iteratam Chriſti lachrymationem vſque ad quaternarium numerum pertingentem, nobis innuere vel Chriſtum pro quatuor mundi partibus fleuiſſe. Vel, oſtendiſſe longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum charitatis ſuæ. Vel, habuiſſe reſpectum ad ſuperiora, puta, ad Angelorum ruinas reparandas, ad inferiora, ſcilicet, SS. PP. ex inferis liberandos, ad dextrum, & ſiniſtrum, videlicet ad populum Hebræum, & Gentilem ſaluandum. Vel, ad redimendos homines, tum ſtatus innocentiæ, tum naturæ, ante legem, tum ſub lege, tum ſub gratia.

Vel, quatuor has lachrymationes (& eſt id, quod ad rem noſtram facit) omnia myſteria, quæ in lachrymatione ſuper Lazarum adducunt SS. PP. in vnum complecti. Lachrymatus eſt Ieſus, inquiunt aliqui, conſiderans miſerias, & calamitates huius vitæ, ad quas Lazarus reuocabatur; ecce ergo lachrymas natiuitatis eius; natiuitate enim humanarum calamitatum mortales initium, & libamen accipiunt.

Lachry-

Lachrymatus eſt Ieſus, inquiunt nonnulli, diaboli, & peccati malitiam, mortis cauſas contemplatus; ecce ergo lachrymas ſuper Ieruſalem, cuius deſtructio iiſdem de cauſis accidit. Lachrymatus eſt Ieſus, inquiunt quidam, peccatores obſtinatos præ oculis habens, ecce ergo lachrymas ſuper Lazarum. Lachrymatus eſt, inquiunt alij, Iudæorum duritiā videns, & præuidens, ecce ergo lachrymas in cruce, & tēpore mortis eius. *Tunc enim Dominum ſuum terra cognouit, quia eo moriente contremuit. Sol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa, & parietes agnouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt. Infernus agnouit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem omnia inſenſibilia elementa Dominum ſenſerunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum eſſe minimè cognoſcunt, & duriora ſaxis, ſcindi ad pœnitendum nolunt.* *Gregor. Hom. 10. in Euang.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MVltas, & omnes admirabiles methamorphoſes conſequentes habuit prima, & principalis transformatio magni Dei, qui à forma deitatis, ad formam tranſijt ſeruitutis, quamquàm *deitas*, inquit Leo Papa Serm. 7. de natiui. Dom. *quæ illi cum Patre communis eſt, nullum detrimentum omnipotentiæ ſubijt, nec Dei formam ſerui forma violauit. Quia ſumma, & ſempiterna eſſentia, quæ ſe ad humani generis ſalutem inclinauit, nos quidem in ſuam gloriam tranſtulit, ſed quod erat, eſſe non deſtitit. Vndè cùm vnigenitus Dei minorem ſe Patre confitetur, cui ſe dicit æqualem, veritatem in ſe forma vtriuſque demonſtrat, vt & humanam probet imparilitas, & diuinam declaret æqualitas.* Transformationem enim, & methamorphoſim videmus temporis. Tempus enim iræ, & vindictæ Dei, tyrānidis dœmonis, & idolatriæ, & peccatorum multiplicium cunctorum hominum tranſijt in *tempus acceptabile, & diem ſalutis*. Loci; priùs enim *non erat Deo cum hominibus conuerſatio, ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltabantur viæ ſuæ à vijs noſtris, & de cœlo reſpiciebat, & videbat omnes filios hominum*, poſtea verò non ſolùm *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, ſed* *Leo Papa.* *Dan. 2.* *Eſa. 55.* *Pſal. 32.* *Baruc. 3.*

etiam

Heb. 2. *etiam voluit per omnia fratribus ſimilari*. Modi agendi nobiſcum, priùs enim erat loquẽs per Angelos, & per Prophetas ſuos in nube, in caligine, in horrore, terribilis, & formidoloſus, ſagittis, enudatis gladijs, vaſiſque mortis nobiſcum agens, poſtea mitis, & humilis corde, cum publicanis, & peccatoribus manducans, & bibens, verbera, expuitiones, probra, irriſiones, & mortem crucis ſuſtinens.

In quibus conuerſionibus, & maximis transformationibus, quia, mutato iam modo nobiſcum agendi, non ampliùs ſagittis, alijſque offenſiuis armis vti volebat, methamorphoſim etiam illa facere voluit, & in aliud ipſa conuerti, quod re vera amoris ſui pignus nobis daret; in lachrymas, inquam, quæ pietatis, & compaſſiui amoris ſui indicia eſſent. Et hoc in fornace ſui pectoris, atque ad ignem ardentiſſimæ ſuæ charitatis. Meus non eſt conceptus hic, ſed Dauidicus, ait enim regius Pſaltes Pſal. 134. *Fulgura in pluuiam fecit*. Vndè non mirum, ſi ſemel, atque iterum, & pluribus vicibus auream è pretioſiſſimo illo cœlo capitis Chriſti pluuiam lachrymarum legimus, præter illas frequentes, quæ pijs mentibus contemplandæ relinquuntur, dum ipſe die, noctuque pro nobis orans, & Patri ſupplicans, gemitibus, & fletibus ora, pectuſq; ſacra illa pluuia reſpergebat Quater dumtaxat expreſsè, propter incluſa myſteria, Dominum fleuiſſe legimus, &c. vt ſupra.

Pſal. 134.

SABBA-

SABBATO QVARTAE.

Ego ſum lux mundi, &c. Ioan. 8. *Ioan.8.*

PRIMA INVENTIO EST,

QVia verè, & maximo cum ſymbolo ad creatam lucem, ſe lucem dixiſſe Dominum, putandum eſt, idcircò lucis principales proprietates illi conuenire oſtendendum. Quæ inter ſexcentas,ſex præcipuè ſunt. Prima, quòd eſt illuminans, & non illuminata. Secunda,quòd habuit eſſe formale ante omnem corporalem creaturam. Tertia,quòd eſt recta in emiſſione radiorum. Quarta,quòd ſtatim totum illuminat diaphanum, vt probant Proſpectiui, Aſtronomi, & Scotus in 2.d.*13*. q.vnica, nec non D.Thom.1.p.q.67.art.2. Quinta, quòd ſe totam diffundit,& non per partes communicat. Et ſexta, quòd ſine ſui pollutione per fœda,pollutaque tranſit. *Scotus. Thomas.*

Hæ omnes proprietates in Chriſto ſunt: *Illuminat enim ille omnem hominem, venientem in hunc mundum*, & ipſe à nullo illuminatur. Habuit eſſe ante omnem creaturam, *priùſquàm formaretur terra, & orbis, à ſæculo, & vſque in ſæculum ipſe eſt Deus, nondum erant abyſſi, & ſapientia diuina concepta erat, & ex vtero ante Luciferum genita.* Rectus eſt etiam in emittendis ſuæ bonitatis radijs, *cùm non ſit perſonarum acceptio apud eum, nec reſpiciat perſonam hominum*,; & rectus in operatione, cùm *non ſit dolus in ore eius, nec peccatum vnquàm fecerit.* Totum præterea diaphanum animæ noſtræ illuminat, eiuſque totam capacitatem adæquat, quod nulla creatura præſtare poteſt. Ait enim Bern.Serm.18.ſuper Can. *Nihil eſt in rebus, quod poſſit replere creaturam, factam ad imaginem Dei, niſi charitas Deus,* *Ioan.1. Pſal.89. Prou.8. Pſal.109. Coloſſ.3. Matt.22. 1.Pet.2. Bernar.*

qui

qui ſolus maior eſt illa. Eam nondum adeptus, periculoſiſſimè promouetur, quantislibet alijs videatur pollere virtutibus. Si habuerit omnem ſcientiam, ſi dederit omnem ſubſtantiam pauperibus, ſi tradiderit corpus ſuum, ita, vt ardeat, absque charitate vacuus eſt. Sui ipſius totus communicatiuus etiã, absque vllo, ex parte ſui, diſcrimine. Nam, ſi de ratione cuiuſcunque boni eſt, ſui ipſius eſſe communicatiuum, & diffuſiuum, multò magis hæc proprietas in ſummo bono reperietur.

Matth.5. *Vndè ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, &*

Sap. 10. *pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Nihil odit eorum, quæ fecit, &*

Sap.6. *æqualiter eſt illi cura de omnibus.* Sine pollutione denique ſuper omnia tranſit. Vndè Sap.7. *Nihil inquinatum in eam*

Sap.7. *incurrit. Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

TAntæ excellentiæ, & dignitatis eſt lux, quòd non ſolùm Ethnici multa de illa ſcripſerunt, ſed etiam nullus ferè ſacrorum doctorum eſt, qui in eius laudem linguam non

Auguſt. ſoluerit. Aug. ſuper Gen. ad lit. ait: *Lux eſt ſubſtantia corporea, ſummè ſimplex, in genere corporum ſummè multiplex, in efficientia ſummè mobilis, & abſolutè penetrationis, & minimæ reſiſtentiæ, ſummè diſparia, & contraria generans, & conciliens, ſummè conuertibilis, ſummè naturalis, motionis principium, & origo, ſummè perfectibilis, ſummè iocunda, ſummè communicabilis. Vndè luce in corporibus nihil eſt vtilius, nihil ea conuenientius, nihil pulchrius, nihil velocius, nihil ſubti-*

Ambr. *lius, nihil impaſſibilius, nihil virtuoſius inuenitur.* Amb. *Lux eſt pulchritudo omnis viſibilis creaturæ, cuius gratia maxima eſt in aſpectu, quæ cœtera mundi mẽbra laudibus efficit digna.*

Damaſ. *Aufer lucem*, inquit Damaſ. *quæ eſt primogenita creatura-*

Baſilius. *rum, & omnia incognita remanebunt.* Lux, inquit Baſil. *eſt maximè nobilis, ſummè actiua, & ſine reſiſtentia ad intima cuiusque rei penetratiua, Angelorum, & Sanctorum ſuper cœlum quietiſſima habitatio, & ſumma Trinitatis per exemplum demonſtratio manifeſta.* Dionyſ. de diu nom. *Lux om-*

Dionyſ. *nibus corporibus cognitionem confert, & vitam, & motum.*

Lux,

Lux, vt dicitur in Libro fontis vitæ, *inuiſibititer in animalibus ſenſum, & motum operatur, & virtutem eius ſentit omnis creatura.* Refert Alb. Hypocratem docuiſſe, quòd, niſi ſtellarum lux de nocte ſubſidiaret aërem, eiusque denſitatem non rarefaceret, deſtrueretur omne corpus animatum. Communis denique DD ſententia eſt, virtute lucis in viſceribus terræ cuncta, quæ generantur, generari, neceſſariamque eſſe in omni corpore mixto, & elementis, vt contraria in illis vniantur. Et in ſumma, à ſupremo cœlo vsque ad mundi centrum eſſe diffuſam, virtutemque illius omnem creaturã ſentire. Ex quibus conſtat, innumerabiles eſſe illius virtutes efficientias, & proprietates. *Liber fon. vi.* *Alb. lib. de iudicijs aſtro.* *Hypocr.*

Tamen (quantùm præſentis concionis anguſtia patitur) ſex illius proprietates, Chriſto conuenientes, in medium afferemus, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

CVm dicat Chriſtus, ſe lucem eſſe: *Ego ſum lux mundi*, abſolutè, & non contractè verba eius eſſe intelligenda, ac tot mundorum lucem eſſe, quot reperiuntur. Eſt autem quadruplex mundus (archetypo prætermiſſo) angelicus, ſcilicet, cœleſtis, macrocoſmus, & microcoſmus. Lux eſt in mundo angelico, ſimul cum Patre, & Spiritu Sancto actiuè concurrens ad angelorum illuminationem, tum per lumen naturale, tum gratuitum, tum beatificum. Lux eſt in mundo cœleſti, *lucerna enim eius eſt Agnus, ac propterea non indigens lumine ſolis.* Lux eſt in mundo maiori; *ſolem namque ſuum oriri facit; fecit luminaria magna, & ſtellas, vt iſtæ lucerent in firmamento cœli, illa verò eſſent in poteſtatem diei, ac noctis, & omnia illuminarent terram.* Lux eſt in mundo paruo, *illuminat enim omnem hominem, venientem in hunc mundum; illuminauit his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedebant; populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam; ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis lux orta eſt eis.* Quot ergo motiua ad Inuentionem abſoluendam, ornandamque? *Ioan. 8.* *Apoc. 21.* *Matth. 5.* *Gen. 1.* *Pſal. 135.* *Ioan. 1.* *Luc. 1.* *Eſa. 9.*

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

POſtquàm Scribas, & Phariſæos, Adulteræ accuſatores, & Chriſti Domini tentatores ipſe Dominus confudit, & mulierem abſoluit, de ſe ipſo ſermonem inſtituens, dixit:
Ioan.8. *Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Dixit autem hoc,* inquit Alcui.
Alcuinus. *quia mulierem abſoluit à crimine, ne aliqui dubitarent, an ille, quem viderant verum hominem, poſſet peccata dimittere, dignatur ipſe apertiùs ſuæ diuinitatis potentiam demonſtrare. Vndè dicitur: Iterum ergo locutus eſt eis Ieſus, dicens: Ego ſum lux mundi.* Aut idcircò hæc Dominus dixit, inquit
Hom. 51. in Ioan. Chryſ. *quia ſuperiùs Galilæam ei obijciebant, & quaſi de quodam Prophetarum, de eo dubitabant, voluit oſtendere, quoniam non vnus Prophetarum eſt, ſed dominator orbis terrarũ.*
Ioan.8. cum ſeq. *Vndè dicitur: Iterum ergo locutus eſt eis Ieſus, dicens, &c.*

Mirum profectò, & dignum tanto Domino elogium: *Ego ſum lux mundi*, cùm non ſolùm lucem, ſed mundi lucẽ ſe eſſe Chriſtus affirmat. Quot enim mundi reperiuntur, tot etiam (cùm hæc vox, *mundi*, indefinitè, & indeterminatè poſita ſit) Chriſtus lux erit, proculdubio. Nec huic expoſi-
Beda. tioni dictum Bedæ obſtat: *Vbi aduertendum eſt, quia non ait: Ego ſum lux angelorum, vel cœli, ſed lux mundi, ideſt, hominum, in tenebris commorantium; ſecundùm illud. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent,* quoniã huiuſmodi dictum intelligi debet de principali Chriſti intentione, ac de primario verborum ſignificato. Quia ergo mundus, & angelicus, &c. reperitur, vniuſcuiuſque iſtorum lux dicendus eſt Chriſtus, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

Ioan.8. AGendo de materia, occaſione horum verborum Chriſti: *Ego ſum lux mundi*, varias ſymbolicas, & myſticas luces explicandas eſſe; nimirum exteriorem, interiorem, ſuperiorem, inferiorem, malam, debilem, & nobilem. Cùm enim

enim lux, genericè accepta, illud ſit, per quod aliquid manifeſtatur, lux exterior eſt notitia, quam de Deo habemus per creaturas: *A magnitudine enim creaturæ, &c.* Rom. 1. Lux interior erit lux rationis, ſapientiæ, & diuinæ gratiæ. De qua Iob 38. *Indica mihi, ſi noſti, omnia, in qua via lux habitat.* Lux ſuperior eſt Deus. 1. Ioan. 1. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Lux inferior eſt homo, maximè in Dei gratia viuens: *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens,* Prou. 4. Lux mala eſt gloria mundi, & impiorum proſperitas. De qua Iob. 38. *Auferetur ab impijs lux ſua.* Lux debilis eſt vita humana. De qua idem Iob 17. *Rurſus poſt tenebras ſpero lucem.* Lux denique nobilis eſt vita æterna. De qua Tob. 13. *Splendida luce fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.*

Rom. 1. Iob 38. 1. Ioan. 1. Prou. 4. Iob 38. Iob 17. Tob. 13.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MVlta quidem, & notatu digna de luce in medium attulimus in prima Inuentione huius diei. At ſuperſũt adhuc nonnulla. Lux eſt illa, quæ cœleſtes virtutes ſecum trahit, omnia gignit, omnia nutrit, omnia conſeruat: Tenebras pellit, viſum paſcit, ſecuritatem parit, mœrores alleuat, inſidias prodit, homini iucunditatem, & cunctis animãtibus (exceptis his, quæ, *oriente ſole, congregantur, & in cubilibus ſuis collocantur*) ſolamen affert. Lux eſt groſſorum ſubtiliatiua, durorum reſolutiua, & liquefactiua, gradientium directiua, dormientium excitatiua, frigeſcentium calefactiua, ac per omnem modum ſui ipſius communicatiua. Lux eſt altiſſima in ortu ſuo, cùm cauſetur in cœlo, & præclariſſimis corporibus, in illo exiſtentibus, ait enim Eccli. 14. *Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens.* Specioſiſſima in aſpectu; nam *altitudinis firmamentum pulchritudo eius eſt*, inquit idem cap. 43. *ſpecies cœli in viſione gloriæ.* Immò adeo ſpecioſa, vt omnia pulchra luminoſis corporibus comparentur: *Pulchra, vt luna, electa, vt ſol.* Vndè meritò Ambroſius: *Lux eſt pulchritudo omnis viſibilis creaturæ.* Efficaciſſima tandem in effectu, *omnibus enim*, vt dicit Dionyſius, *& cognitionem tribuit, & vitam, & motum.*

Pſal. 103. Eccli. 14. Idẽ c. 43. Cant. 6. Ambr. Dionyſ.

Præualet

Præualet autem his, iam dictis, lucis myſtica, & ſymbolica, in humanis, & diuinis ſignificatio, eiuſque, ſecundùm ſpiritualem ſenſum, multiplex acceptio. Eſt enim lux interior, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

Qvamuis Chriſtus ſe lucem eſſe ſimpliciter dixerit: *Ego ſum lux mundi*, lucem tamen ſolarem illum eſſe principaliter, aſſerendum, iuxta communem Scripturarum vocem, quæ illum non ſub cuiuſlibet lucis, ſed ſolaris ſymbolo
Malac.4. hominibus promittunt: *Orietur vobis timentibus nomen*
Pſal.103. *eius ſol iuſtitiæ. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt. Sol illumi-*
Eccli.42. *nans per omnia reſpexit. Solem nube tegam. Facies eius ſicut*
Ezech.32. *ſol lucet in virtute ſua, &c.* & SS.PP. vnanimem intelligen-
Apoc.1. tiam, Hila. ſuper Pſal.57. Arnol. ſuper Pſal.18. Orig. ſuper
Hilarius. Matth. Hom.3. Amb.2. de Iacob 7. Epi.62. & Serm.16. Hie-
cum ſeqq. ron. ſuper Iob 9. ſuper Eſa.60. & ſuper Iere.15. Aug.1. Serm. Dom. in mon. Epi 19. & ſuper Pſal.120. nec non ſuper hæc verba Chriſti communiter Expoſitores.

Cui intelligentiæ fauet excellentia, & eminentia ſolis ſuper alia aſtra, & planetas. Quod quidem propoſitum noſtrum eſt, qui non quamlibet, ſed ſolarem lucem Chriſtum vocamus. Sol autem excedit omnia alia cœleſtia corpora in quantitate, in claritate, in dignitate, & in virtute. In quātitate quidem; nam (vt ait Alphagranus, differentia 22. in
Alphagr. fine) Sol dicitur maior omnibus corporibus, poſt illum quindecim ſtellæ, quæ in prima magnitudine inter ſtellas fixas ponuntur ab ipſo, deinde Iuppiter, poſtea Saturnus, quinto
Ptolom. omnes ſtellæ fixæ, ſuis ordinibus poſitæ, quas Ptholo. in 7.
Alphagr. diſt. Almag. & Alphag. differen.19. in ſex gradus magnitudinis diuidunt, ſexto loco Mars, ſeptimo Terra, octauo Venus, nono Luna, decimo Mercurius. Conſtat ergo ex his ſolem omnia alia corpora quantitatis magnitudine excellere. In
Ariſtotel. claritate etiam alia corpora excellit, quia (vt inquit Ariſto.
cum ſeqq. lib. de proprie. Elemen. Auicen Ptholo. & Meſalach, Sol eſt luminis principium, origo, & cauſa. Cuius & rationem aſſignant,

gnant, dicentes; quòd, ſicut omnium calidorum eſt vna prima cauſa, ſcilicet, ignis, ſic & omnium luminoſorum eſt vnũ primum principium, ſcilicet, Sol. Et ſicut in homine eſt vnũ membrum, quod eſt fons vitæ, ſcilicet, cor, ita & in corporibus luminoſis eſt vnum, quod fons luminis dicitur, ſcilicet, Sol. Excedit præterea omnia alia corpora in virtute, nã maioris virtutis eſt alijs corporibus cœleſtibus, & plus influit in inferiora, quàm illa; immò ſuper omnia corpora, & inferiora, & ſuperiora ſolus poteſtatem, & virtutem habet, dũ omnia illa illuminat, & ipſe à nemine illuminatur. Vndè omnia reſpicere dicitur Eccli. 42. *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius*. Excedit tandem in dignitate, quod patet ex iam dictis; ſi enim ſuperat alia corpora in quantitate, in claritate, & in virtute, conſequens eſt, vt etiàm in dignitate excellat. Vndè Eccli. 43. Sol vas admirabile dicitur: *Sol in aſpectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus excelſi.* *Eccli. 42.* *Eccli. 43.*

Hæ quatuor Solis prærogatiuæ in myſtico ſole Chriſto reperiuntur; eſt enim maior omnibus bonitate. Nam (vt dicit Dion.) *in his, quæ non mole magna ſunt, idem eſt magnum eſſe, quod bonum eſſe.* & idem maius, quod melius. Excedit etiam omnes alios Sanctos in claritate; *ſunt enim in illo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; videt omnia, quæ Verbum videt; illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, de plenitudine eius omnes accepimus eſt; ſplendor gloriæ, & fons ſapientiæ verbum Dei.* Vndè meritò exclamat Eccleſiaſticus: *Quid lucidius ſole?* Excedit quoque in virtute; eſt enim illud, *per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, & portat omnia verbo virtutis ſuæ.* Ac tandem excedit in dignitate, *habet enim gloriam, quaſi vnigeniti à Patre, plenus gratiæ, & veritatis; ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, tantò melior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim aliquando angelorum dixit Deus: Filius meus es tu, &c.* *Dionyſ.* *Coloſſ. 2.* *Ioan. 1.* *Heb. 1.* *Eccli. 1.* *Eccli. 17.* *Ioan. 1.* *Heb. 1.* *Ioan. 1.* *Heb. 1.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MVndi lampas, maius cœli luminare, Vniuerſi dexter oculus, & totius admirabilis huius mundanæ fabricæ orna-

ornamentum,mirum eſt,quot laudibus, quibuſue encomijs à Scriptoribus celebretur. *Sol* (inquit Amb.) *eſt oculus mundi,iocunditas diei, pulchritudo cœli, menſura temporum, virtus,& vigor omnium naſcentium, dominus planetarum, decor,& perfectio omnium ſtellarum. Sol* (inquit Marcia.) *eſt fons mentis,principium lucis, rex naturæ, mens mundi, fulgor olympi,moderator firmamenti.Ingeniauit Deus*(inquit Plato in Thimæo) *lucem clariſſimam, quam Solem vocamus, cuius ſplendore cœlum, & inferiora omnia illuſtrantur, vt numerus exiſteret omnium animantium. Senſibilium eſſentias*(inquit Dion.de diui.nomi.cap.5.) *& qualitates,multas quidem,& diſcretas exiſtentes ipſe Sol vnus, & vniformis,& illuminans lux,renouat,nutrit,cuſtodit,& perficit, et diſcernit, vnit,& refouet,fœcunda facit,auget,mutat,collocat plantat,renouat,& viuificat etiam omnia*. Vndè non mirum, ſi tot in ſe habet virtutes, puta illuminatiuam aliorum corporum,vt inquit Ariſt.lib.de elem. & Macro.de Som.Scip. Renouatiuam;nam poros terræ aperit,atque ita eius ſuperficiem floribus, & frondibus renouat, iterumque veſtit. Nutritiuam; nam ad interiora radicum, & ſeminum, radijs ſuis ſubintrans, humiditatem terræ diſſoluit, & vi ſua attractiua, quod ſemini, & radici eſt ſimile, de terra attrahit, & illud in nutrimentum naſcentium conuertit. Conſeruatiuã; nam elementa, quæ propter contrariam, & mutuam repugnantiam, quàm habent inter ſe, ſe mutuò deſtruerent, virtutis illius influentia conciliantur, & in eſſe debito conſeruantur. Perfectiuam;nam actionem caloris elementaris,qui incipit agere in generatione corporum, calore ſuo perficit, & producit vſque ad debitum complementum.Vnitiuam,& per ſe, & per accidens; per ſe, quia vnit planetas in ſuis effectibus (ait enim Macro. & Marcia. *Sol medius eſt inter planetas, quia, ad harmoniam cœleſtem perficiendam, hoc facit ſol in ſuo circulo,quod facit media chorda in muſico inſtrumento*. Per accidens verò, quia, ſecundùm naturam paſſi, aggregat,& diſſoluit;aggregat homogenea,& diſſoluit ethe rogenea. Generatiuam, vel fœcundatiuam; nam vim generandi, & varias ſpecies producendi cõfert inferioribus iſtis. Quæ adeò neceſſaria eſt ad naturalem fœcunditatem, vt nihil omninò naſcatur, aut creſcat, vbi ſolares radij non attingunt. Confortatiuam; nam ad aſcenſum ſolis ſuper noſtrum

Ambr. *Marcian.* *Dionyſ.* *Ariſtotil.* *Macrob.* *Macrob.* *Marcian.*

ſtrum Horizontem animalium virtutes fortitudinem maiorem acquirunt, augumentanturque vſque ad cœli medium. Sicut, per oppoſitum, in eius declinatione ſuis virtutibus corpora minuuntur vſque ad occaſum, & in ſomnum, vel verum, vel methaphoricum præcipitant. Diſcretiuam; nam colores, & rerum ſpecies, & figuræ, quæ in tenebris confuſæ ſunt, per præſentiam ſolaris luminis agnoſcuntur, & ad inuicem diſtinguntur. Et innumeras alias virtutes habet, quas, breuitatis gratia, dedita opera omitto.

Vndè non mirum, ſi omnia alia corpora in multis excellit, & præcipuè in quatuor; in magnitudine, in claritate, in virtute, & in dignitate. In magnitudine quidem, &c. vt ſupra. Quibus aptiſſimus eſt Chriſti ſymbolus, *qui ſol iuſtitiæ dicitur*; cùm etiam ipſe excedat omnes alios ſanctos in bonitate, &c. vt ſupra. *Mala. 4.*

QVINTA INVENTIO EST,

SVper verbis Chriſti: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, de vario lumine, Chriſti ſequaces antecedente, & conſequente agendum. Quod, licèt multiforme ſit, inter omnia tamen ſpiritualia lumina (præſuppoſito fidei lumine) lumen gratiæ, ſacræ ſcripturæ, ſanctorum vitæ, Trinitatis virtutis, & beatificæ gloriæ lumen nobis conſiderandum occurrit. De primo Iob 3. 25. 29. & 38. Eccl. 12. & Mich. 7. nec non Hieron. ſuper Iob 29. & Greg. 29. Mor. 9. De ſecundo Pſal. 35. 88. 125. & 135. nec non Hila. ſuper Pſal. 118. Arn. ſuper Pſal. 135. Orig. ſuper Leui. Hom. 13. Amb. ſuper Pſal. 118. Serm. 14. Tert. de pudicit. Aug. 13. Confeſ. 18. & ſuper Pſal. 76. & Ric. de S. Vict. de Arca myſti. 9. De tertio Iob 36. & Pſal. 79. nec non Greg. 26. Mor. 8. De quarto Pſal. 37. 126. 35. 118. & 33. Eſa. 5. 9. 42. 49. 51. 58. 59. & 60. nec non Amb. exhor. ad virgi. & ſuper Pſal. 118. Serm. 14. Hieron. ſuper Eſa. 5. 9. 18. & 58. Orig. ſuper Gen. Hom. 1. ſuper Leui. Hom. 13. ſuper Ioſu. Hom. 4. ſuper Iudith Hom. 1. & ſuper Matth. Hom. 3. Dion. de diuin. nom. 4. Baſil. ſuper Pſal. 33. Iſych.

Ioan. 8.

Iob cũ rel. de tex. Hieron. cum ſeqq.

ſuper Leuit.24. De quinto tandem Pſal. 48. 1. Reg. 14. Pſal. 126. Iob. 3. 17. 29.& 30. nec non Baſil. ſuper Pſal.48.Greg. ſuper 1. Reg.14. & 13. Mor.20. & 16. Mor.29. & 20. Mor.4. Hæc omnia lumina, quæ inter omnia principatum tenent,& lumen vitæ (ſecundùm varios reſpectus) dici poſſunt, promittit Chriſtus ſequentibus ſe. *Abſtulit autem te.* inquit Aug. *ob oculis carnis, & reuocauit ad oculos cordis, in hoc, quod ſubdit: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Non enim ſufficit dicere: Habebit lumen, ſed addidit: Vitæ. Hæc enim verba Domini eum verbis Pſalmi concordant: In lumine tuo videbimus lumen.*

Tract. 34. in Ioan.

Pſal. 35.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

REm aliquam cognoſcendi quàmuis plures nobis ſuppetant modi; cognoſci enim poteſt per propriam illius naturam, & formam,per proprietates,per innatas qualitates, per effectus, & per ſimilia, non iniocundus tamen eſt, per oppoſita cognoſcendi modus. Hinc enim non ſolùm res cognoſcitur,ſed magis cognoſcitur.Vndè vulgatiſſimum illud: *Oppoſita, iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt.* Et Hieron. tractans miracula ſuſcitationis filiæ Principes Synagogæ, & ſanationis mulieris,ſanguinis fluxum patientis annis 12. inquit: *Nota ergo, quòd eo tempore hæc mulier, ideſt Gentium populus cœperit ægrotare, quo genus crediderat Iudæorum. Niſi enim ex comparatione virtutum vitium non oſtenditur.* Quare, lumen, cùm poſſit cognoſci per ſuam naturam, *eſt enim corporis luminoſi fluxus*; per ſuas proprietates, *eſt enim diuerſorum corporum variè penetratiuum, ſecundùm varios radios, directum, reflexum, & fractum*; *variationis ſuſceptiuum, ſecundùm diſpoſitionem materiæ, quam ſubintrat, &c.* per ſuos effectus, qui ferè ijdem ſunt, qui lucis; & per res tales: Satis aptè tamen per oppoſita declaratur, per tenebras, inquam lumini oppoſitas priuatiuè, quæ tantumdem mali hominibus afferunt, quantum boni lumen impertitur. Tenebræ namque ſunt viſus impeditiuæ. Vnde Tobias: *In tenebris ſedeo, & lumen cæli non video.* Inceſſus prohibitiuæ: *Qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.* Caſus in-

Hieron.

Scholaſtici 2. Sent. d. 13.

Tob. 5.

Ioan. 12.

ſus inductiuæ: *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant*. Timoris incuſſiuæ: *Timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* Verecundiæ diminutiuæ: *Omnis homo, qui tranſgreditur lectum ſuũ, contemnens in anima ſua, & dicens. Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem vereor?* Idẽ iudicium & de alio, lumini oppoſito, faciendũ; de vmbra nimirum, lumini priuatiuè ſimiliter oppoſita. Eſt enim illa, vltra communes cum tenebra proprietates, caloris repreſſiua, ſterilitatis inductiua, ſerpentium nutritiua, maturitatis fructuum retardatiua, ſomni prouocatiua, &c. Prou. 4. Pſal. 54. Eccli. 23.

Cuius oppoſita cùm in lumine habeantur, eius maxima bonitas, & dignitas facilè innoteſcit. Vndè non mirum, ſi & diuina, & humana, & naturalia, & gratuita per lumen ſignificantur. Et, ſi Chriſtus aliquid magni promittere volens ſequentibus ſe, lumen vitæ promiſit eis, & carentiam tenebrarum: *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*. Quæ quidem promiſſio eò amplior, & dignior, quò non quodcunque lumen, ſed ſpirituale nobis pmittitur, & ſpirituale vitæ lumen: *ſed habebit lumẽ vitæ.* Et hoc quidem non vnum, ſed multiplex, &c. vt ſupra. Ioan. 8. cum ſeq.

DOMINICA PASSIONIS.

Ioan. 8. cum ſeqq.

Quis ex vobis arguet me de peccato ? &c. Ioan. 8.

PRIMA INVENTIO EST,

PRæcipuas , & ſingulares Doctoris partes (qui, iuxtà Chriſti verba, de ſe, tamquàm Doctorum omnium Principe, loquentis, & abſque peccato : *Quis ex vobis arguet me de peccato* , eſſe debet, & veritatem dicere: *Si veritatem dico vobis , &c.)* per Geminorum ſignnm aptiſſimè præſignari. Quia enim Geminorum ſignum Mercurij domus eſt, lucis diurnæ augmentatio, cõmune ſignum , & prima eius facies ſub Iouis imperio : Per primum ſignificatur, bonum Doctorem, qui deſideratur Geminus bonitate, & ſcientia , debere eſſe domum, & ſubiectum eloquentiæ. *Auguſt.* Ait enim Aug. lib. 2. de doctr. chriſt *Sapiẽtia ſine eloquentia parùm prodeſt*. *Hieron.* Et Hieron. ad Dama. *Cùm idcircò homines à beſtijs differamus , quòd loqui poſſumus, quàm laude dignus eſt, qui in ea re cæteros ſuperat, in qua homines beſtijs antecellunt?* Per ſecundum , veritatis *Gregor. cum ſeqq.* (quæ per lucem figuratur, Greg. ſuper *1*. Reg. 9. 17. Mor. 8. & 29. Mor. 9. Hieron. ſuper Iob 29. Hilar. ſuper Pſal. 116. Arn. ſuper Pſal. 135.) augmentatio intelligitur , ait enim Eccle- *Eccl. 2.* ſiaſtes: *Tranſiui ad contemplandam ſapientiam, erroreſque, & ſtultitiam. Et vidi, quòd tantùm præcederet ſapientia ſtultitiam, quantùm differt lux à tenebris*. Per tertium Doctor inſtruitur, communem debere eſſe eius doctrinam, præceptũ *Matt. 10.* enim eſt: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis , prædicate ſuper tecta*. *Mar. vlt.* Et Marci vlti. *Euntes in mundum vniuerſũ, prædicate* Euangelium *omni creaturæ*. *Matth. 5.* Sunt namque *lux mundi, ciuitas ſupra montem poſita, lucerna ſu-*

na ſuper candelabrum, &c. Per quartum demonſtratur (quia Iuppiter eſt planeta religionis, & fidei, & ad vitam futuram habet reſpectum) bonum Doctorem debere primam faciem, & principalem intentionem habere ad Deum, & ad beatam vitam. Nam, vt ait Gloſ. ſuper Mala. 1. *Doctor Eccleſiæ menſam diuinæ Scripturæ polluit, ſi, vel pro humana gloria, vel tẽporali lucro, vel pro fauore ſæculi illam exponit.* Vndè Bern. ſuper Cant. Serm. 30. *Sunt, qui ſcire volũt eo fine, vt ſciãtur, & turpis curioſitas eſt. Vt ſcientiã ſuã vendant pro pecunia, & honoribus, & turpis quæſtus eſt. Vt ædificent, & charitas eſt. Vt ædificentur, & prudentia eſt. Horum autẽ omniũ ſoli duo vltimi non inueniuntur in abuſione ſcientiæ, quia ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant. Reliqui omnes audituri ſunt. Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* Per quintum inſtruuntur Doctores, debere eos eſſe aëreos per conſcientiæ puritatem, & eleuationem mentis à terrenis fœcibus; maſculinos, per ſpiritualium virium fortitudinem; mediocres, per maturitatem, & temperantiam, nec nimis exultando in proſperis, nec multùm mœrendo in aduerſis; ſed quæcunque à Saturno maliuolo, & frigido eis aduerſitatis infertur, propter iuſtitiam patienter ferendo, ea ſpe illecti, Mercurium, id eſt, mercimonium gloriæ cœleſtis manere illos poſt mortem. Quicunque ergo gemini ſunt bonitate, & doctrina, quæ exprimuntur in Euangelio: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Et: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Geminorum explicatas proprietates in ſe habent.

Gloſ. Bernar. Iac. 4. Ioan. 8.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Dvplici bonitate, duplicique laudabili conditione ſacræ ſcientiæ Doctorem pollere neceſſarium eſſe, præter verba Chriſti, quæ expreſsè habent in Euangelio vitæ illorum innocentiam, ac doctrinæ integritatem, teſtantur ſacræ litteræ, quæ coniungunt ſemper doctrinam, & bonam operationem. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Cœpit facere, & docere. Qui fuit vir Propheta, potens in opere, & ſermone. Paſtores, & Doctores. Do-*

Matth. 5. Act. 1. Luc. 24.

Ephe.4. *centes eos ſeruare, quacunque mandaui vobis, &c.* Nec non
Matt.28. figuratiuè idem habetur in animalibus Ezech. quæ habebant
Ezech.1. alas paratas ad volandum per contemplationem, & manus
Gen.2. promptas ad operandum, ſub pennis eorum. In terreſtri paradiſo erat arbor ſcientiæ, & arbor vitæ. Seminare ad iuſtitiam, & metere ad illuminationem, ſecundùm Septua. verſionem, legimus in Oſee Ionathæ virgam, melle linitam au-
Oſe.10.
1.Reg.14. dimus, quia Doctor virgam æquitatis, & virtutis melliſluæ doctrinæ coniunctam in manu ſua geſtare debet, &c.

Quæ quidem gemina, hæredum doctrinæ, & exemplorum Chriſti, perfectio, vt multis modis explicari poteſt, ita conuenientiſſimè per Geminorum ſignum, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

NEminem de peccato Chriſtū redarguere poſſe, ac propterea iure merito illum dicere:
Ioan.8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Cùm enim omne peccatum ſit, aut originale, aut actuale. Aut cogitationis, aut ſermonis, aut operis. Aut concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Aut ex ignorantia, aut ex fragilitate, aut ex malitia. Aut per auerſionem à Deo, aut per conuerſionem malam ad creaturas. Nullo iſtorum modorum peccare poterat Chriſtus, ergo benè dicit, &c.

Præterea, cùm ſit Chriſtus mediator, exemplar, fundamētum Eccleſiæ, organum diuinitatis, templum Spiritus Sancti, candor lucis æternæ, &c. peccare non poterat, ergo, &c.

Item, vnio hypoſtatica, ſumma gratia, viſio beatifica ab inſtanti conceptionis à Chriſto omne peccatum excludebant, ergo, &c.

Id loquuntur figuræ, & ſcripturæ, &c. Hæc amplianda, & ad hæc dicendum conſequenter, & propoſitio probanda: Chriſtum fuiſſe, & eſſe impeccabilem, & ideo benè dicere: Quis ex vobis arguet me de peccato, &c.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

VAldè mirabilis, valdè pia, valdè myſterioſa Sancta mater Eccleſia eſt. N. quæ in ſpiritu ſentiens, tempus paſſionis Chriſti appropinquare, & myſteria humanæ redemptionis in ianuis adeſſe, cupienſque filios ſuos, omnium Patris (ad ſpiritualem profectum) deguſtare dolores, Chriſtoque benedicto ex animo compati, illum hac Dominica die ſine peccato nobis demonſtrat, ingenioſa quadam, & artificioſa induſtria. Faciliùs enim ad commiſerationem, & lachrymas hominum animi inflectuntur, innocentis alicuius ſæuiſſima, & acerbiſſima morte deſcripta, quàm culpabilis, aut facinoroſi cuiuſpiam. Vndè, de Ioſeph, Chriſti figura, dum ad necem quæreretur, legimus: *Hic innocens in lacum miſſus eſt*. Et Eſaias: *Tanquàm ouis ad occiſionem ductus eſt.* Quis ergo mortalium erit adeò recutiti, & obdurati cordis, qui conſiderans Chriſtum, Dominum, Patrem, Fratrem, & Sponſum ſuum diriſſimos crucis ſubire dolores, & ſæuiſſima ſuſtinere tormenta, atque hæc quidem innocenter, & abſque vlla culpæ ſuſpicione, non commoueatur intrinſecè, non compatiatur, non in lachrymas reſoluatur? *Gen.* 40. *Eſa.* 53. & *Act.* 8.

Audiatis ergo modò patientis innocentiam, paſſionem eius paucis ab hinc diebus audituri. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* inquit Chriſtus; & verè quidem: Nam, cùm omne peccatum, aut originale, aut actuale ſit, &c. vt ſupra. *Ioan.* 8.

TERTIA INVENTIO EST,

VErborum maximæ impietatis: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes*, occaſione; de blaſphemiæ peccato, illud deteſtando, & grauiſſimum oſtendendo, agendum eſſe. Et quidem ſatis vtiliter. Oſtendes autem grauiſſimum peccatorũ omnium illud eſſe, his rationibus, & medijs. Ratione obiecti, peculiari modo hoc peccato offenſi; nam eſt crimen læſæ maie- *Ioan.* 8.

ſæ maieſtatis, & maieſtatis diuinæ. *Sceleratiſſimum namque* *genus peccati eſt*, inquit Aug. in qq. noui, & vet. teſta. q. 124. *cùm quis in ſolo Dei vituperio delectatur.*

Auguſt.

Ratione tabulæ; hoc enim peccatum contra primæ tabulæ præcepta, & contra primum primæ tabulæ præceptum eſt.

Ratione deformitatis; nam alij peccatores ſolùm priuatiuè Deum offendunt, honorem, ſcilicet, Deo non dando, blaſphemans autem etiam contrariè illum offendit, iniuriam irrogando.

Ratione ingratitudinis; quia peccator arma illa, quæ ad ſe ipſum iuuandum, proximo benefaciendum, & Deum laudandum accepit, contra datorem retorquet, iiſque illum vulnerat.

Ratione peſſimæ intentionis, quæ in hoc peccato ſemper adeſt. Cæteri enim, alij à blaſphemo, peccatores, vellent concupitis frui, atque effrena ſui animi deſideria implere, &, ſi poſſibile eſſet, ſuas actiones Dei offenſam eſſe nollent. Accidit enim, quantùm ad eorum intentionem, Deum conſequenter offendi. At ſceleratiores blaſphemi non aliam, quàm Deum verbis ſuis offendendi, intentionem habent.

Ratione priuationis motiui, & ſuggeſtionis, ad Deum blaſphemandum, propter quòd angeli peccatum, ne dum hominis peccato grauius eſſe, PP. concludunt, verùm etiam ſine remedio ſemper remanſurum. Aiunt enim: *Angelus, nullo ſuggerente, peccauit; ergo, nullo redimente, peribit*. Alij namque peccatores *à concupiſcentia ſua abſtracti, & illecti, peccant*; blaſphemi autem non aliud ad Deum blaſphemandum motiuum habent, quàm nimiam Dei erga illos bonitatem, miſericordiam, & ſuſtinentiam.

Scholaſtici omnes in d. 7. 2. vel. in 1. p. ſum. Gregor. citat. à D. Tho. 1. p. q. 44. art. 2. in 4. princ. Iac. 1.

Ratione excedentiæ in malo quorumcunque grauiorum peccatorum. Maius enim homicidio blaſphemiæ peccatum eſt; tum ratione obiecti, tum alijs iam dictis. Licèt homicidium maioris damni ſit. Maius infidelitate; nam infideles ſolùm denegant, tribuere Chriſto, quod ſuum eſt, non tamen contumelias, & probra in illum iaciunt. Vndè meritò inquit Thom. 2. 2. q. 13. art. 1. 2. & 3 blaſphemiam confeſſioni fidei opponi. Maius hæreſi; non ſolùm, quia hæreticus dicit, quæ vera eſſe credit, blaſphemus autem quæ falſa eſſe cenſet, irrogandæ tantùm contumeliæ gratia, ſed etiam, inquit Altiſiod. lib. 3. q. vlt. quia peius eſt facere contra charitatem, quàm

Thomas.

Altiſiod.

quàm contra fidem. Licèt ſtatus hæretici periculoſior ſit, & magis nociuus. Maius peccato eorum, qui, tempore paſſionis Chriſti, in faciem eius expuerunt. Quod, ratione maioris ſtatus, in quo nunc eſt Chriſtus, probat Alex. Alen. Cum quo concordat Glo. ſuper Matth. 21. & 26. & ſuper Mar. 15. Maius peccato proprijs manibus Chriſtum crucifigentium; tum eadem ratione altioris ſtatus; tum maioris cognitionis: *Non enim illi ſciebant, quid facerent*; ſciunt autem blaſphemi. Vndè Aug. *Non leuius peccant, qui nunc blaſphemant Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt eum ambulantem in terris.* Immò magis, inquit Alex. Alen. rationibus iam dictis. Cùm quò concordat Glo. vbi ſupra. Peiores denique ſunt diabolis, & damnatis. Si enim illi blaſphemãt, præ magnitudine pœnæ illud faciunt, blaſphemi verò viatores ex mera praua voluntate. *Ale. Alen.* *Gloſſa.* *Luc. 23.* *Gloſſa.*

Ratione denique pœnæ grauiſſimæ, blaſphemis ſtatutæ, quod peccati grauitatem, & magnitudinem arguit. Per vnã namque blaſphemiam 185. mille hominum vno die occidit angelus. Vt ab omni populo blaſphemus lapidaretur, præceptum erat. Imperiali lege (vt apparet in Auth. Vt non luxurientur cont. nat. Col. 7.) pœna capitis blaſphemi plectuntur. Municipiales in pecunijs eos mulctant. A Canonibus (vt refertur 22. q. 1. cap Si quis) clericus deponitur, & laicus excommunicatur. Et in cap. Statuimus, de maled. ſtatutum erat eiuſmodi ſceleratiores homines ſeptem hebdomadarũ ſextis ferijs in pane, & aqua ieiunare debere, & ſeptem dominicis diebus antè fores Eccleſiæ ſtare, & vltima ſine pallio, & ſine calciamentis, corrigia de collo pendente, nec non ingreſſu Eccleſiæ toto hoc tempore prohibiti. Ac tandem, quolibet die pœnitentiæ huius, tres pauperes reficere tenebantur. Poſt quæ, ſi non emendabantur in morte, eccleſiaſtica carebant ſepultura. Ex quibus, & ſimilibus communibus locis, blaſphemiæ grauitas probari poterit. *4. Reg. 19.* *Leuit. 24.* *Auth. Vt non lux. cont. natu. col. 7.* *22. q. 1. c. ſi quis.* *Cap. ſtatuimus de Maled.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

BLaſphemi proprietatem, & ſtatum deſcribens Ioan. Apoc. 17. inquit: *Et vidi mulierem ſuper beſtiam coccineam,* *Apoc. 17.*

neam,plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen ſcriptum: Myſterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu. Completa quidem deſcriptio; blaſphemus enim ipſe beſtia eſt, beſtiales affectus habens, & mentem irrationabilibus deſiderijs ſubditam. Iere. 12. Ezech. 31. & 38. Oſe. 2. & 4. 2. Mach. 10. ad Tit. 1. Pſal. 103. 1. Cor. 15. Dan. 4. Eccl. 3. Eccli. 17. & alibi ſæpè. Et confirmant Rup. ſuper Oſe. 2. Aug. 20. de ciuit. Dei 9. & ſuper Apoc. Hom. 1. Greg. 6. Mor. 17. & 33. Mor. 36. Ric. de S. Vit. de vitio mutabi. Beda ſuper Gen. 1. Baſi. Exæ. Hom. 10. Amb. de Parad. 11. Hieron. ſuper Ezech. 5. Greg. Nyſſe. de vita Moſ. & quàm plures alij. Et eſt beſtia coccinea, quia ſemper os ſuum ſonat ſanguinem Chriſti, & Sanctorum. Ad ſignificandum enim peccata, & quidem grauia, vt præcipuè peccata homicidij, voluntate peruerſa affectati, ne dum Deicidij, quod intẽdunt blaſphemorum verba, ponitur coccineus color Eſa. 1. Nahum. 2. & Gen. 38. & confirmant Hieron. ad Gerontiam, Rup. 10. ſuper Apoc. & Beda ſuper Gen. 38. Plena nominibus blaſphemiæ, quibus à vertice capitis, vſque ad plantam pedis eſt reſperſa. Habens capita ſeptem, quia blaſphemus vniuerſis vitijs plenus eſt, nemo enim repentè turpiſſimus. *Quia enim ſeptem diebus omne tempus comprehenditur* (inquit Greg. loquens de Magdalena Hom. 33. in Euang.) *rectè ſeptenario numero vniuerſitas figuratur, Septem ergo dæmonia Maria Magdalena habuit, quæ vniuerſis vitijs plena fuit*. Et cornua decem, non ſolùm, quia blaſphemat peccator impius nouem Angelorum choros, & decimum humanæ naturæ, ſed etiam, quia ponit os ſuum in tres perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, in hominem Chriſtum, in B. Virginem, in Prophetas, Patriarchas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, & Virgines, nec non promiſcuè omnes Dei inferiores creaturas. Super quam beſtiam ſedet mulier malæ intentionis, quæ ſingulariter in blaſphemis reperitur. Quæ mulier omni pretioſo ornamento ornata deſcribitur, quia, ſicut mulieres omni ornamento ornantur, vt com-

Iere. cum rel. de tex. Ruper. cum ſeqq.

Gregor.

completè ornatæ dici poſſint, ſic & in rebus ſpiritualibus in bonum, & in malum, reſpectiuè. Qui enim oculis diuinæ Maieſtatis placere cupiunt, cunctis ſpiritualibus ornamentis christianarum virtutum exornant animam ſuam. Qui etiam in malis patrandis nihil iniquitatis intactum relinquunt, omni, ad malum operandum, ornamento ſe ipſos ornare dicuntur. Vnde Prou. 26. *Quomodo, ſi argento ſordido ornare velis vas fictile, ſic labia tumentia cum peſſimo corde ſociata*. Et Eſa. 57. *Et ornaſti te regio vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua.* Et clariùs Iere. 4. *Cùm veſtieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris, contempſerunt te amatores tui, animam tuã quærent.* Quòd deindè dicitur, habere poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis, datur per hoc nobis intelligi, etiam alios inficere blaſphemos, & propinare alijs fæces abominationis huius delicti, & ſpiritualis fornicationis, qua dæmoni, animæ adultero, & non legitimo ſponſo, ſociantur. Vndè habituatus in peccato blaſphemus, pariens ſibi ſimiles in nequitia, mater fornicationum, & abominationum terræ dicitur. Et ratio huius eſt, quia mulier iſta ebria eſt de ſanguine Sanctorum, & Martyrum Ieſu, quos ita blaſphemat, vt, ſi præ manibus illos haberet, veluti immaniſſimus carnifex in illos ſæuiret, &, ſi corporeus eſſet, etiam in Sanctum Sanctorum Deum irrueret. Haber tandem nomen: *Myſterium*, ſcriptum in fronte, quia nemo poteſt ad plenum intelligere, & ſufficienter exprimere huius peccati grauitatem. Quæ tamen aliqua ex parte à Nobis oſtendetur. Et primò ratione obiecti, &c. vt ſupra.

Prou. 26.
Eſa. 57.
Iere. 4.

QVARTA INVENTIO EST,

CIrca pium ritum, & ſacram ceremoniam, faciẽ Chriſti velo obnubendi (conducet enim non parùm, de hoc ſermonem habere) conſiderãdam eſſe cauſam demeritoriam, agens principale, miniſtrum, materiam, formam, tempus, & effectum. Demeritoria enim cauſa peccata ſunt: *Auerti faciem* Eſa. 50.

Pſal.68. ciem meam ab increpantibus,& conſpuentibus in me. Operuit
Pſal.43. confuſio faciem meam.Confuſio faciei meæ cooperuit me. Agẽs
Pſal.131. principale Deus eſt: *Auertiſti faciem Chriſti tui*. Miniſter eſt Sacerdos,cui ſolùm ſuper ſuggeſtum prædicare conceſ-
Ambr. in 4. cap. epi. ad Epheſ. ſum,Diaconis namque tantùm ſuper prædellam.Materia eſt nigri coloris velum,obſcuritate ſua incitans nos ad dolendum de offenſa Dei,priuatione pręſentiæ Chriſti,&c.Forma veli oblonga eſt,quoniam non ſolùm faciem, ſed etiam totum Chriſti corpus magno cum Sacramento velare conſueuit hac die, in qua incipiunt myſteria paſſionis Chriſti, Re-
Ceremo. epi.c.20. demptoris humani generis,Eccleſia: *In quinta verò Dominica,quæ de Paſſione dicitur, cooperiantur*, inquit Ceremonialis Epiſcoporum, *antequàm officium inchoëtur, omnes cruces,& imagines Saluatoris per Eccleſiam; & ſuper altare nullæ ponantur imagines Sanctorum*. Tempus eſt, circa finem Quadrageſimæ,quando,poſt tot reprehenſiones,monitiones,& excitationes,adhuc in peccatis perſeuerant homines,nec reſipiſcendi propoſitum aliquod oſtendunt. Effec-
Pſal.29. tus denique: *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum con-*
Pſal.113. *turbatus. Quò ibo à ſpiritu tuo,& quò à facie tua fugiam?*
Pſal.9. *Infirmabuntur,& peribunt à facie tua,&c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

POſt iniquam, & impiam innocentis Ioſephi venditionem, & (vt captiuus eſſet) Iſmaëlitis negotiatoribus traditionem,animaduertens mœſtus, & afflictus Ruben, amatum, & prædilectum fratrem non ampliùs in ciſterna veteri commorari,vbi primò poſitus fuerat,vt neci aliorum fratrum ſubtraheretur, lachrymis, ſuſpirijſque laxatis habenis,manu ad manum colliſa, euulſis, ac diſſipatis capitis capillis,dolore conſternatus in terra ſedebat,ora,pectuſque tundebat,& lachrymoſis gemitibus inclamans, dicebat,re-
Gen.37. petebatque:*Puer non comparet, & ego quò ibo?* Et maxima ratione id quidem,amiſerat enim cordis gaudium, oculorum lumen,vitam, & ſpiritum amoris. Quod, quid importet,quantique referat,nouit ille,qui amauit aliquandò, dilexit ſemel.

Proh

Proh dolor, proh ſcelus noſtrum; puer Ieſus non comparet. N. auertit faciem ſuam à nobis, *iniquitates noſtra diuiſerunt inter nos, & illum:* Perdidimus omne noſtrum bonum, fratrem, ſponſum, patrem, animarum noſtrarum ſpem, ſalutem, amorem Quò ibimus ergo? quid nam de nobis? Ah nos miſeros, & infelices, ſine luce ibimus in æternas tenebras, ſine duce in præcipitium, ſine paſtore in lupi fauces, ſine Chriſto ad inferni draconem. Non ergo flebimus, non deplorabimus caſum noſtrum, fratres? Sed *quare*, ò Domine, *faciem tuam auertis, & arbitraris me inimicum tuum? Clamo ad te, & non exaudis me? Sto, & non reſpicis me? Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tua aduerſaris mihi? Non ſecundùm peccata noſtra facias nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis. Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus, ſed fac nobiſcum ſecundùm miſericordiam tuam, & præcipuè facias hanc in ſeruum tuum miſericordiam*, vt populo huic tanti damni, & tam grandis detrimenti originariam cauſam, huius eccleſiaſtici ritus, & piæ cerimoniæ, ad eius profectum, Sacramenta principalia, & myſteria magis conducentia ego aperire valeam, vt, vel ſic, compuncti, & illuminati interiùs, humiliter petant: *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus, &c.*

Eſa.59. *Iob 30.* *Pſal.105.* *Iudith 8.* *Pſal.24.* *1.Reg.20.* *Pſal.79.*

Huius ritus, & cerimoniæ. N. conſiderari poteſt cauſa demeritoria, agens principale, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

PEccatori, quis eum de peccato redarguat, perquirenti: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* ſatisfaciendum. Arguit enim illum Deus, inſpiratio, flagellum, lex, conſcientia, peccatum, prælatus, iuſtus, frater, peccator. *Afflictionem meam, & laborem manuum mearum reſpexit Deus, & arguit te heri*. Gen.31. *Ipſe vos arguet, quoniam in abſcondito faciem eius accipitis.* Iob 13. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*. Pſal.49. ecce primum. *Cùm autem venerit ille*, ſcilicet, Spiritus Sanctus, *arguet*

Ioan.8. *Gen.31. cum ſeqq.*

Pſal. 17. cum ſeqq. *arguet mundum de peccato, &c.* ecce ſecundum. *Diſciplina tua correxit me.* Pſal. 17. *Nec prateriet illum corripiens iudicium.* Sap. 1. *Quem enim diligit Dominus, corripit.* Prou. 3. *Beatus homo, qui corripitur à Domino.* Iob 5. *Corripiam vos ſeptem plagis.* Leui. 26. *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa eius marceſcere facit.* Iob 33. ecce tertium. *Redarguti à lege, quaſi transgreſſores.* Iac. 2. ecce quartum. *Frequenter praeoccupant peſſima, redarguente conſcientia.* Sap. 17. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Iob 27. *Si cor noſtrum non reprehendit nos, &c.* 1. Ioan. 3. ecce quintum. *Auerſio tua increpabit te.* Iere. 2. *Increpuerũt me renes mei.* Pſal. 15. ecce ſextum. *Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus, corripitur animus delinquentis,* Eccl. 7. *Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* 2. Tim. 4. *Peccantem coram omnibus argue.* 1. Tim. 5. ecce ſeptimum. *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me.* Pſal. 140. *Probata autem virtus corripit inſipientes.* Sap. 1. ecce octauum. *Tobias verò increpabat eas.* Tob. 2. ecce nonum. *Verumtamen vias meas in conſpectu eius arguam.* Iob 15. *Idcircò ipſe me reprehendo.* Iob 42. ecce decimum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

AD exprobandum ingratitudinis vitium, hominesque eiuſmodi vitio laborantes, coarguendos, licèt ex quã plurimis locis peti poſſint argumenta, & concludi, ingratos Chriſtianos, & Gentilibus, & beſtijs ipſis deteriores eſſe, aliundè tamen ingratitudinis nequitia magis demonſtrari non poteſt, quàm ex magnitudine beneficiorum Dei, quæ ille à mundi primordijs, immò à mundi æternitate in homines contulit.

Beneficium enim maximum fuit, eſſe cognitum, & volitum, quod, per ſui diuini intellectus, & voluntatis actum, hominibus largitus eſt in ſua mente, & voluntate, cùm, per tale eſſe, diuina eſſentia, & Deus ipſe identicè illi ſint, & vita ipſa creatrix. *Scotus.* Vndè Doctor ſubt. de Idæis tractans in 2. d. 1. q. 1. inquit, dictum Ioan. *Ioan. 1.* *Quod factum eſt in ipſo, vita erat,* debere intelligi, ex doctrina Aug. Illud, quod factum eſt in tempore,

pore,in Deo eſſe vitam creatricem,& hoc, per identitatem cum diuina eſſentia. Ex quo infert ille,nobilius eſſe habere creaturas in Deo, quàm in ſe ipſis. In Deo enim ſunt idem, quod Deus,modo expoſito,in ſe ipſis verò non item. Nam, licèt in ſe ipſis habeant verius eſſe huius, non tamen verius eſſe ſimpliciter.Lapis enim,licèt habeat verius eſſe lapidis in ſe, quàm in Deo, in Deo tamen habet verius eſſe ſimpliciter.

Poſt quod diuinum eſſe,reale exiſtentiæ eſſe illis tribuens, Deus,ex rationali, & corporali ſimul ſuum eſſe compegit, veluti mundi vinculum,nexum Vniuerſi, cœleſtium, & terreſtrium horizontem, ac tandem talem illum effinxit, vt omnia,tam increata, quàm creata ad illum reſpicerent. *Poſitus eſt homo in medio*(inquit Magiſter ſent.d.1.part.2.§. *Et ſicut factus eſt,&c.*)*vt ei ſeruiretur,& ipſe ſeruiret,vt acciperet vtrumque,& reflueret ad bonum hominis,& quod accepit obſequium,& quod impendit. Ita enim voluit Deus ſibi ab homine ſeruiri,vt ea ſeruitute non Deus,ſed homo ſeruiens iuuaretur;& voluit,vt mundus ſeruiret homini,& ex inde ſimiliter iuuaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat,& quod factum eſt propter ipſum,& propter quod ipſe factus eſt. Omnia enim,vt ait Apoſtolus,noſtra ſunt,ſcilicet,ſuperiora, & æqualia, & inferiora. Superiora quidem noſtra ſunt, ad perfruendum,vt Deus,Trinitas. Aequalia, ad conuiuendum, ſcilicet,angeli.Qui,& ſi nobis modò ſuperiores ſunt, in futuro erunt æquales;qui & modò noſtri ſunt, quia ad vſum nobis ſunt;ſicut res dominorum dicuntur eſſe famulorum, non dominio,ſed quia ſunt ad vſum eorum. Ipſique Angeli in quibuſdam Scripturæ locis nobis ſeruire dicuntur, dum propter nos in miniſterium mittuntur. De homine quoque in Scriptura interdum reperitur, quòd factus ſit propter reparationem angelicæ ruinæ. Quod non ita eſt intelligẽdum,quaſi non fuiſſet homo factus,ſi non peccaſſet angelus,ſed quia inter alias cauſas,ſcilicet,præcipuas, hæc etiam nonnulla cauſa extitit. Noſtra ergo ſunt ſuperiora,& æqualia, noſtra etiam ſunt inferiora,quia ad ſeruiendum nobis facta.* Hæc ille.

Magiſter.

1. *Cor.*3.

*Heb.*1.

Quod creationis beneficium, à continua conſeruatione ſtabilitum(quæ quidem conſeruatio,quaſi noua,& continua creatio eſt; nam ſi in ſecundo inſtanti non conſeruarentur res creatæ,poſt primum inſtans creationis eſſe deſinerent,

& in nihilum tenderent)tot beneficia,corpus, & animam ſpectantia,temporalia, & ſpiritualia hominem conſecuta ſunt,vt nec angelorum linguæ, &, ſi omnes creaturæ in linguas verterentur, minimum illorum quid exprimere valerent. Modicum viſum eſt Deo ſuum diuinum eſſe (per productionem in eſſe cognito,& volito)homini tribuiſſe,perfectiſſimum exiſtentiæ eſſe,in mundi opificio, eidem dediſſe, & dominum cunctarum creaturarum eum conſtituiſſe, ideò,& diuinorum Sacramentorum cognitionem illi infudit,per angelos ſuos illi apparuit, & locutus eſt, diuinam ei tradidit Scripturam, ab inimicis defendit, pro illo ipſemet pugnauit,ac tandem illa omnia,& maiora in ſui vtilitatem præſtitit,quæ in veteri Scriptura referuntur.

Quæ,quoniam pauca etiam Deo viſa ſunt, voluit homo fieri,& in forma ſerui tot amoris ſigna ei oſtendere, vt neque angelici intellectus ea perfectè capere poſſint: *Immenſa nāque diuinæ largitatis beneficia,exhibita populo chriſtiano,* inquit D.Tho.*inæſtimabilem ei conferunt dignitatem.Vnigenitus ſiquidem Dei filius,ſuæ diuinitatis volens nos eſſe participes,noſtram naturam aſſumpſit,vt homines Deos faceret, factus homo. Et hoc inſuper,quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem.Corpus namque ſuum,pro noſtra reconciliatione,in ara Crucis hoſtiam obtulit Deo Patri,ſanguinem ſuum fudit,in precium ſimul,& lauacrum,vt redempti à miſerabili ſeruitute,à peccatis omnibus mundaremur. Et vt tanti beneficij iugis in nobis maneret memoria, corpus ſuum in cibum,& ſanguinem ſuum in potum,ſub ſpecie panis, & vini ſumendum fidelibus dereliquit.* (Opuſc.57.)

Et tamen,pro his omnibus,quæ in hominis beneficium operatus eſt Dominus,non aliud,quàm ingratitudinem, diuinæ ſuæ legis violationem, mandatorum ſuorum deſpectum, offenſas, blaſphemias, &c. nequiſſimus ei rependit homo.Et quiſnam contra tantum facinus, & grauiſſimam culpam perfectè(vt caſus expoſcit)inuehere poteſt, & dignè homini tam magnam ingratitudinem exprobrare? Ipſe Dominus tantū in compendio, & bona ſua nobis collata,& noſtram ingratitudinem expreſſit,dicens Iudæis: Multa bona opera oſtendi vobis ex patre meo propter quod eorum opus me lapidatis?multis enim bonis operibus Dei, quæ ſigillatim enumerari non poſſunt,non aliud, quàm eiuſdem

lapi-

lapidationem ei retribuimus.

Vndè non mirum, ſi omnia, tam diuina, quàm humana, & omnes deniq; creaturæ hominem de peccato redarguunt, &c. vt ſupra.

SECVNDA PASSIONIS.

Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderẽt Ieſum, &c. Ioan. 7.

Ioan. 7. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

EX mutatione prauæ voluntatis miniſtrorum Principum Synagogæ, qui Chriſtum apprehendere venerant, & non ſolùm re infecta reuerſi ſunt, ſed eius prædicatione ita commoti interiùs, vt illum apud ſuos Principes laudare non veriti fuerint. *Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos*, inquit Ioannes, vbi ſupra, *& dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: Nunquàm ſi locutus eſt homo, ſicut hic homo. Reſponderunt ergo eis Phariſæi: Nunquid & vos ſeducti eſtis? Nunquid ex Principibus aliquis credit in eum, aut ex Phariſæis? ſed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt*, colligendum, dari etiam ſpirituale faſcinum, quo homines à praua voluntate in bonam mutantur, & repentè in alios viros transformantur.

Quo ſtante, ſpirituale faſcinum, ad omnes vitandas impoſturas, veneficia, incantationes, alligaturas, &c. hodie vos docere intendo. N. Cuius & compoſitionem, & modum, quo ad animam peruenit, vt illam faſcinet, & effectus, quos in illa producit, etiam docebo.

Componitur faſcinum hoc non alijs rebus, quàm inſtrumentis ſanctiſſimæ Chriſti paſſionis, flagellis, corona ſpinea, clauis, cruce, lancea, &c. quibus faſcinatus Chryſoſtomus dicebat: *Amo clauos, arundinem, lanceam, & ſpongiam ſuſpicio, pro regia corona coronam de ſpinis ad caput accomodo.* Nec non Dama. *Veneramur, & colimus, & clauos, & ſpongiam, & arundinem, & lanceam illam ſacram, & ſalutiferam, & veſtem, & tunicam, & lintea, & faſcias. Veneror lanceam* (dicebat S. Ephrem) *vulnus, arundinem, clauos, ſpongiam.* O benedictum, ac ſuauiſſimum ſpirituale faſcinum

Hom de vene. Cru. Orat. 3. de Imag. In planctu B. Virg.

Modus verò, quo ad hominis animam peruenit faſcinum hoc ſpirituale, & via, per quam tranſit, duplex eſt, quemadmodum & duplex eſt porta, per quam ad nos tranſit fides, & amor, oculus ſiquidem, & auris. Vox enim, vt obiectum auditus, & facies, vt obiectum viſus, ſimul iunguntur à ſponſa, dum ſponſum alloquitur: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora nimis.* Nauanda ergo opera, vt audiamus de Chriſto patiente, & contemplandus eſt deuotè, ac ſedulò oculis mentis, & carnis Crucifixus.

Effectus deniquè, qui ex hoc ſpirituali faſcino ſequuntur, notentur in transformationibus admirabilibus peccatorum, ad Deum conuerſorum, quorum ſuſpiria, lachrymas, eiulatus, pectoris tunſiones, propriæ miſeriæ, & nequitiæ accuſationem, ſui ipſius deſpectus, proprij amoris fugam, propriæ voluntatis abnegationem, humilitatem, patientiã, flagella, ieiunia, ſalutis proximi anſietatem, diuinæ offenſæ diſplicentiam, & ſimilia explicare valet ſolus ille, qui hæc operari tribuit, & cuius dexteræ mutatio tanta eſt.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DIuini faſcini potentiam, & virtutem explicans Samuel, qui iam vnxerat Saul in Regem ſuper Iſraël, vt præceperat ei Dominus, ſermonem ad eundem Saul conuertit, ſigna ei tribuens, ex quibus certificari poſſet, quia vnxerat eum Deus in Regem ſuper Iſraël, & dicens: *Ecce, vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius*

1. Reg. 10.

tui eius ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in Principem. Cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros, iuxta ſepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in meridie, dicentque tibi: Inuenta ſunt aſinæ, ad quas ieras perquirendas, & intermiſſis pater tuus aſinis, ſollicitus eſt pro vobis, & dicit. Quid faciam de filio meo? Cumque abieris inde, & vltra tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri, aſcendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hædos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. Cùmque te ſalutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum. Poſt hæc venies in collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum, & cùm ingreſſus fueris in vrbem, obuiam habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipſoſque prophetantes. Et inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alterum. Cuius rei effectum ſubſequenter narrans ſcriptura, inquit. *Itaque, cùm auertiſſet humerum ſuum, vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna hæc in die illa.*

Nec abſimile huic eſt, quod de Saulo, parùm nomine differente à Saul, Actorum narrat hiſtoria. Cùm enim ille, acceptis litteris à Principe Sacerdotum, properaret Damaſcum, ad vinciendos viros, ac mulieres, vt vinctos perduceret in Ieruſalem, ſubito circumfulxit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audiuit vocem, dicentem ſibi: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Cui voci cùm reſpondiſſet. *Quis es, Domine?* & audiſſet: *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare,* tremens, ac ſtupens, & mutatus in virum alterum, humiliter interrogauit: *Domine, quid me vis facere?* *Cap.9.*

Eiuſmodi ſubitæ mutationis, diuina virtute factæ, exemplum licèt imperfectum, habemus etiam in hoc Euangelio. In quo narratur, miniſtros, qui miſſi fuerant à Principibus, & Phariſæis, vt apprehenderent Ieſum, virtute prædicationis eius, veluti quodam ſpirituali faſcino, mutatos à propoſito, illum apprehendendi, re infecta, ad dominos ſuos reuerſos eſſe, illum laudare, & extollere non timentes, & dicentes: *Nunquàm ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Qua occaſione, volo, vt hodie de ſpirituali faſcino loquamur, illius compoſitionem, modum, quo ad hominis cor peruenit, *Ioan.7.*

& effectus,quos in illo producit,conſiderantes. Quò ad primum ergo,&c.vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

Spiritualis matrimonij,quod inter Chriſtum, & Crucem ſolenniter, in die Paraſceues, conſummatum eſt, hodie à Ioanne referri ſponſalia, & præludia, dum illum non in palàm ambulare,ſed in Galilæa diuerſari,quia quærebant eum Iudæi interficere,narrat, & miſſos eſſe miniſtros, vt apprehenderent illum, miniſtros, inquam, ſponſæ Crucis, vt apprehenderent ſponſum illius. Et quia in carnali matrimonio ſunt arrha, ſponſalia, præludia, & matrimonium, ita etiam in ſpirituali matrimonio inter Chriſtum, & Crucem fuit arrha data à Cruce Chriſto, in ortu natiuitatis eius; nam ſtatim ex vtero matris prodiens, pœnas, & paſſiones pro nobis ſuſtinere cœpit. Fuerunt ſponſalia, dum contra eum fugitiuum à facie impiorũ, qui eum perſequebantur, miſſi fuerunt miniſtri, vt apprehenderent illum, & ad Principes, & Phariſæos ducerent, vtique puniendum. Præludia tunc ſenſit, cum cœpit pauere, & tædere, & mæſtus eſſe, &c. Coniunctio, & conſumatio tũc accidit, cùm dilectam ſponſam Crucem amplexus, baiulauit illam, in eaque ſupra Caluariæ montem affixus eſt.

Quod quidem matrimonium habuit in ſe principales matrimonij conditiones, ſcilicet vnionem, indiſſolubilitatem, communionem corporum, bonorum, & malorum, & denique liberorum procreationem (de prima namque dicitur:
Gen. 2. & *Erunt duo in carne vna.* De ſecunda: *Quod Deus coniunxit,*
1. Cor. 6. *homo non ſeparet.* De tertia: *Mulier ſui corporis poteſtatem*
Matt. 19. *non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem*
Mar. 10. *tem non habet, ſed mulier.* De quarta: *Volo ergo iuniores nu-*
1. Cor. 7. *bere, filios procreare, matres familias eſſe.*) Communicauit
1. Tim. 5. enim Chriſtus Cruci latriæ adorationem, virtutem, decorem, gloriam, &c. Et Crux communicauit Chriſto pœnalitates, tormenta, &c. vt pro humano genere æterno Patri ſatisfacere poſſet. Vnum etiam ſunt, vt probabimus; immò, vt

mò, vt vnio hæc perpetua eſſet, & Crux, ac Chriſtus forent duo, inſeparabiliter vnita, voluit ei coniungi, & matrimonium cum ea complere in morte. Matrimonia enim, quæ viuentibus coniugibus celebrantur, intercedente morte diſſoluuntur. *An ignoratis fratres (ſcientibus enim legẽ loquor)* inquit Paulus ad Romanos, *quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit? Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri.* Quòd ſi in morte hæc coniunctio fieret, per mortem non diſſolueretur. Ita eſt in caſu noſtro. In vita nãque deſponſauit ſibi Chriſtus ſponſam Crucis, & in morte ſpirituale cum ea matrimonium conſumauit, mortuuſque per aliquot horas in illa pependit. Cuius vnionis, ſi quis modum quærat, dico quòd ſunt ita vnum Crux, & Chriſtus, vt vnum ſunt imago, & imaginatum, ſignum, & ſignatum. *Adoramus figuram pretioſæ & viuificæ Crucis,* inquit Damas. lib. 4. cap. 12. *tamquàm Chriſti ſignum. Quemadmodum principatus, & poteſtas vna eſt, quæ nobis dominatur,* ait Baſil. de Spi. San. cap. 18. *ſic etiam glorificatio nobis vna eſt, non multæ; propterea quod imaginis honor ad exemplar, ſeu ad protbotypum tranſit.* Et clariùs Atha. Serm. 4. cont. Arria. *Imaginem Regis, ſi loqui poſſet, dicturam: Ego, & Rex vnũ ſumus, ego enim in illo ſum, & ille in me. Qui adorat ergo imaginem* Regis, *in illa adorat ipſum Regem, quippè cùm ipſa imago nihil aliud ſit, quàm Regis forma, atque ſpecies.* Aug. etiam de doct. chriſt. cap. 9. *Qui veneratur vtile ſignum, diuinitùs inſtitutum, cuius vim, ſignificationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur, & tranſit, ſed illud potiùs, quò talia cuncta referenda ſunt.* Nicepho. deniqùe Dialo. qui Ortodoxus inſcribitur, apud Turr. lib. 1. pro Canon. Apoſt. cap. 25. *Cum ſcriptum ſit de Chriſto: Et adorent eum omnes angeli eius, ſitque omnis homo imaginis ſuæ prothotypon, nec vllus homo reperiatur, quin eius forma effingi poſſit, liquet, Chriſtum, vt potè qui debuit per omnia (ſicut Apoſt. ait) fratribus ſimilari, prothotypon eſſe imaginis ſuæ, tametſi verbis ſcriptum non ſit.* Quibus concordant omnes Scholaſtici, vbi de Crucis adoratione loquuntur. Adeſt tandem, & vltima conditio in hoc ſpirituali matrimonio, liberorum, ſcilicet, procreatio. Quotquot enim *per multas tribulationes intrauerunt in regnum cœlorum*, huius ſponſi, & ſponſæ filij

Marginal notes: *Rom. 7.* — *Damaſ.* — *Baſilius.* — *Athan.* — *Auguſt.* — *Nicephor.* — *Turr. referente.* — *Heb. 9.* — *Heb. 2.* — *Act. 14.*

ſunt. An non Chriſti, & Crucis filius Paul. Apoſt. qui dicebat: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti?* An non filius Crucis B. Andreas, qui, Crucem à longe aſpiciens, exclamare cœpit: *O bona Crux, diù deſiderata, & tam concupiſcenti animo præparata, &c.* An non Crucis, & Chriſti filij omnes illi martyres, qui cum Apoſtolis *ibant gaudentes à conſpectu concilij, & Principum huius ſæculi, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, &, quaſi ad epulas inuitati, ad agonem læti properabant.*

Gal. 3. *Ex paſſ. eius.* *Act. 5.* *Eccleſ. in off. mult. Marty.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Sap. 8. *1. Cor. 1.*

QVod de diuina Sapientia inquit Salom. Sapient. 8. *Attingit à fine, vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Hanc amaui, & exqueſiui eam à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius*, hoc de ſapientia Crucis, *quæ ſtultitia reputata eſt à Gentilibus, & ab Hebræis ſcandalum*, dicere poſſumus in perſona Chriſti. Crux enim, *attingit à fine, vſque ad finem fortiter*, cùm ſit mediatrix Dei, & hominum, ſcripturarum nexus, omnium veritatum medium, & vniuerſorum fidelium pretioſum vinculum. *Et diſponit omnia ſuauiter*, cùm ipſa ſit lignum, amaras aquas Marat dulcorans; Sal fontes Iericho ſuaues reddens; Virga, & baculus, quæ Dauid conſolata ſunt. *Quomodo corrumpitur, qui foris eſt homo?* inquit Chryſ. Hom. 9. in Epiſt. 2. ad Cor. *dum flagellatur, affligitur, & innumera fert mala. Quomodo renouatur? fideſque alacritate, vt audeat ſe opponere malis.* Et Hom. 26. in eamd. Epiſt. *Eo tempore potiſſimùm gratia accedit, quo quis infirmatur. Nam, vbi afflictio, ibi & conſolatio, vbi conſolatio, ibi & gratia.* Hanc Crucem *amauit Chriſtus, & exquiſiuit à iuuentute ſua*, incipiens futuri ſpiritualis, cum ea complendi, matrimonij in præſepio arrham accipere; *& quæſiuit ſponſam ſibi eam aſſumere*, dũ ſponſalia circa finem vitæ ſuæ (quando non iam in palàm ambulabat, ſed in Galilæa diuerſabatur, quia quærebant eum Iudæi interficere, & Pontifices, ac Phariſæi miniſtros miſerunt, vt apprehenderent illum) deguſtauit. *Et amator factus eſt formæ illius*, dum,

Exo. 15. *4. Reg. 2.* *Pſal. 22.* *Chryſ.*

dum, nocte ſuæ paſſionis præludia ſpiritualis matrimonij in orto experiri cœpit: *Generoſitatem tandem illius glorificauit,* dum illi coniunctus eſt; in qua coniunctione *omnium Dominus ita dilexit illam,* vt moriens hoc ſpirituale matrimoniũ complere voluerit, ne per mortem diſſolueretur, ſed in æternum duraret. Sap.8.

In ſpirituali autem hoc Chriſti cum Cruce matrimonio, conſideranda ſunt, & arrha, & ſponſalia, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

CHriſti benigno, liberalique inuitamento: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat,* aurem cordis præbendam, illudque tenendum, acceptandũque, vt triplicem noſtram ſitim, rationalem, concupiſcibilem, & iraſcibilem, ſi non expleamus omninò, temperemus ſaltem in hac ærumnoſa, per deſertum huius vitæ, peregrinatione. Cùm enim rationalis ſitis intellectui quærat ſummam veritatẽ, & voluntati optimum bonum, per inhabitantem gratiam; concupiſcibilis ſummum commodum; & iraſcibilis ſummum delectabile, hæ omnes, per potum aquæ Chriſti, temperantur hic, explentur in patria. Sitis rationalis intellectiuæ potentiæ temperatur, hic excellentia obiecti, modo ſingulari, ſcilicet, per reuelationem cogniti; finis, ad quem ſcientia diuina ordinatur, & effectus mirabilis, inde prouenientis, ſitis rationalis volitiuæ potentiæ temperatur, quia in eius obiecto ſupernaturali, & omnes rationes bonitatis includuntur, & perpetuum ibi bonum eſt, & non proſtitutum bonum eſt, & defœcatum, ſpiritualiſſimumque bonum eſt. Sitis concupiſcibilis temperatur per poſſeſſionem melioris ſpiritualis boni, iuſtis conceſſi in ſeruitute Chriſti. Sitis etiam iraſcibilis temperatur hic meditatione crucis Chriſti, *quæ dat nobis,* vt inquit Greg. Hom. 35. in Euang. *contra eum, qui mala irrogat, nullo dolore morderi, et non vinci à malo, ſed vincere in bono malum. Hanc enim Apoſtoli* (inquit Cypria. lib. de mortal.) *diſciplinam de Domini lege tenuerunt, non muſſitare in aduerſis, ſed quæcunque in ſæculo accidunt, fortiter, & patienter accipere.* Ioan.10. Gregor. Rom.12. Cypr.

Ad Chriſtum ergo, diuinas aquas ſuas nobis promittentem, & ad ſe, tamquàm ad fontem viuum, inuitantem, velociter currendum, vt omnem noſtram ſitim, & hic nunc temperar. , & penitùs poſtea in patria explere poſſimus.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Ambr. AQuæ maximas eſſe prærogatiuas, & DD. & Scripturæ teſtantur. Amb. enim ſuper Luc. 22. de ea loquens, ſic inquit: *De aqua quid loquar? Super aquam, antè ipſos mundi*
Gen. 1. *natales, Sanctus (vt legis) Spiritus ferebatur. O aqua, quæ humano aſperſum ſanguine, vt præſentium lauacrorum figura*
Gen. 7. *præcederet, orbem terrarum lauaſti. O aqua, quæ Sacramenta Chriſti eſſe meruiſti, quæ lauas omnia, nec lauaris. Tu incipis prima, tu conples perfecta myſteria. A te principium, in te finis; vel potiùs, tu facis, vt finem neſciamus. Per te fœtor tabidæ carnis abluitur, & pereuntia ſitu viſcera, aſperſo ſale, in multam ſeruantur ætatem. Per te arentibus æſtu corporibus, dulcis ad gratiam, ſalutaris ad vitam, ſuauis ad voluptatem*
Conſule Sylu. Alleg. verbo: Aqua, Nubes, Sal, & Fons. *potus infunditur. Tu nomen Prophetis, & Apoſtolis, tu nomen, Saluatori dediſti. Illi nubes cœli; illi ſal mundi; ille fons vitæ eſt; quæ montibus preſſa non clauderis, quæ ſcopulis illiſa non frangeris, quæ terris infuſa non deficis, ſed intimis ſcaturiens venis, aut ſpiritum incluſa vitalem inhalas, aut ſuccum diffuſa fertilem præſtas, aut rigatum ſuperfuſa accommodum miniſtras, ne ſiccatis exinanita vitalibus, ſolennes neget terra prouentus. Omnium elementorum ſubſtantiam cœlum, aër,*
Num. 20. *mare, & terra te reddunt. Te Prophetico percuſſa tactu, vt ſi-*
Ioan. 19. *tientium rigaret corda populorum, vomuit petra. Te, cùm de latere Saluatoris erumperes, percuſſores viderunt, & crediderunt, & ideò regenerationis noſtræ, de tribus, vna es, teſti-*
1. Ioan. 5. *bus. Tres enim teſtes ſunt, aqua, ſanguis, & ſpiritus. Aqua ad lauacrum; ſanguis, ad pretium; ſpiritus ad reſurrectionem.* Hæc Ambroſius.

Aquæ tamen duo præcipui ſunt vſus, lauatio, & potus. Lauatio, tum ad purgandum ſordes, tum ad expiandum à contagio, & maculis. Antiqui enim balneorum vſum non ſolùm frequentem, ſed & quotidianum habebant; nec non balnea,

tam

tam publica, quàm priuata; tam calida, quam frigida. Quod etiam ad expiationis vſum aqua vterentur, fidem facit ſacra, & profana hiſtoria. Sacra quidem; nam apud illam legales ablutiones, & animalium, & veſtimentorum, & corporum legimus. Profana verò; nam, ad expiandum, luſtrationis vſum fuiſſe apud Romanos, teſtatur Dion. Halicarn. lib. 3. illis verbis: *Iuſſit Horatium expiari ijs luſtrationibus quas inuoluntaria cædi præſcripſerunt leges.* De Aegyptijs habetur ex his, quæ ſcripta reliquit Horapollo lib. 1. cap. 43. *Aegyptÿ, puritatem notantes,* inquit ille, *ignem, & aquam pingunt, quòd his elementis omnis luſtratio fiat, atque expiatio.* Troianus pietate, inſignis Aeneas, medijs è cædibus regreſſus, Penates tangere recuſauit, dicens patri ſuo: *In plur. loc. exo. Leu. Nu. & Deut.* *Dion. Halic.* *Horapoll.*

Tu genitor cape ſacra manu, patriosque Penates:
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero. *Virg. 2. Aene.*

Penès veteres (inquit Tert. lib. de Bapt. cap. 5.) *quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat.* In quem morem Iudæi, cùm ſe innocentes à cæde demonſtrare volebant, piacularem vitulam mactabant, & ſuper eam manus lauabant, hæc verba proferentes: *Manus noſtra non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt, propitius eſto populo tuo Iſraël.* *Tertull.* *Deut. 21.*

Idcircò aquæ myſticæ, per Chriſtum nobis datæ, & liberaliter conceſſæ, hæc duo præcipuè, ablutionem, ſcilicet, & potum promittit Spiritus Sanctus. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini,* Ezech. 36. *In die illa erit fons patens domui Dauid & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ,* Zach. 13. In cuius figuram, Naamā in Iordane mundatus eſt à lepra ſua, ecce primum. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, & bibite,* ait Eſaias. *Apud te eſt fons vitæ,* inquit Dauid. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ,* inquit Ieremias in perſona Dei, cap. 2. & cap. 17. *Dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Et rurſus Eſa. 12 cap. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris,* ecce ſecundum. *Ezech. 36. cum rel. de tex.*

Quæ, vt adimpleret Chriſtus, in ablutionis peccatorum noſtrorum ſignum, aquam de proprio latere, poſt mortem profudit (fuit enim illa, quæ de eius latere manauit, vera *Ioan. 19.*

aqua elementaris, & non aqueus humor, vt communis tenet DD.ſententia)Et viuens,omnes ſitientes ad aquas inui-
Ioan.10. tauit,vt ſitientes ſitim reſtinguerent: *In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat,dicens. Si quis ſitit,veniat ad me,et bibat,&c.*

Primum omittentes,quia ad rem noſtram modò non facit,de ſecundo,conformiter ad Euangelium, agemus,oſtendentes,quomodo diuina aqua Chriſti omnem noſtram ſitim & temperet, & reſtinguat omninò. Cùm enim illa triplex ſit,ſcilicet,rationalis,concupiſcibilis,&c.vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

IN Chriſto adimpletum eſſe,quod in ſopore vidit Mardochæus, Heſter 10.cap.relatũ. Paruum,ſcilicet, fontem creuiſſe in fluuiũ magnum,& in lucem,ſolemque conuerſum eſſe, & in aquas plurimas redundaſſe.
Heſter.10. *Fons paruus,* inquit facer textus,*creuit in fluuium magnum, & in lucem,ſolemque conuerſus eſt,& in aquas plurimas redundauit.*Fons namque
Ambr. Chriſtus(Amb.3.de Parad.& 1.de Iſaac, Philo de profugis,
cum ſeqq. Hieron.ſuper Eſa.58.Arn.ſuper Pſal.35.& Orig.ſuper Ioſu. Hom.19.)qui erat fons paruus, antè incarnationem, quan-
Eſa.45. tùm ad cognoſci;erat.n. *Deus abſconditus;poſuerat tenebras*
Pſal.17. *latibulum ſuum;& vix notus in Iudæa,* creuit in fluuium
Pſal.75. magnum poſt incarnationem; *nam in omnem terram exiuit*
Pſal.18. *ſonus eius;& à ſolis ortu,vſque ad occaſum,laudabile factum*
Pſal.112. *eſt nomen eius.*Neque hoc contentus, poſt primam in fluuiũ magnum metamorphoſim, in lucem, ſolemque conuerſus
Eſa.49. eſt;*datus namque erat in lucem Gentium, & ſol iuſtitiæ erat,*
Malac.4. *eritque ſemper.* Poſt quæ rurſus in aquas plurimas, gratiæ, ſapientiæ,miſericordiæ,baptiſmalis luſtrationis, expiationis vitæ,Spiritus Sancti donorum,ſanctitatis, & gloriæ tan-
Ioan.10. dem redundauit.Ritè ergo Chriſtus hodie: *Si quis ſitit,veniat ad me,& bibat,&c.*

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MArdochæus, qui ſapientia, & prudentia ſua adoleſcentulam Heſter ad regni faſtigia prouexit, & populum ſuum, vnà cum Regina, opportuno tempore liberauit, nec non ipſe ad tantam celſitudinem peruenit, *vt ſecundus à Rege Aſſuero fuerit, magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum*, ſomnium, vniuerſa hæc præſignans, narrauit aliquando, dicens: *A Deo facta ſunt iſta. Recordatus ſum ſomnij, quod videram, hæc eadem ſignificantis, nec eorum quicquam irritum fuit. Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, ſolemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit.* Quod Reginæ Heſter applicans, inquit, paruum fontem, qui in fluuium creuit, &c. Heſter fuiſſe, quã Rex Aſſuerus accepit vxorem, & voluit eſſe Reginam: *Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, ſolemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit, Heſter eſt, quam Rex accepit vxorem, & voluit eſſe Reginam, &c.* ait ille. *Heſter. 10. cum ſeqq.*

Sed nos hoc Mardochæi ſomnium, occaſione verborum Chriſti: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*, altiùs interpretantes, paruum fontem, Dei Verbum eſſe dicemus, quod ante incarnationem, &c. vt ſupra. *Ioan. 10.*

QVINTA INVENTIO EST,

IN bonum conuertendo malum, quod legimus: *Miſerunt Pontifices, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum*, ſpiritualem, & laudabilem Chriſti capturam Chriſticolis moliendam, & complendam eſſe, dicendum: Quæ, vt ſuum ſortiatur effectum, curandum, vt Pontifices, & Phariſæi mittant miniſtros. Nimirum, vt Pontifices, ideſt ſuperior rationis portio (ſic enim Pontificem accipit Orig. Hom. 6. ſuper Leui.) & Phariſæi, hoc eſt diuiſi à temporalium rerum concu- *Ioan. 10.* *Origenes.*

concupiſcentijs (Phariſæi enim diuiſi interpretantur) mittant miniſtros, angelos cuſtodes, qui, licèt miniſtri ſint Dei,
Pſal. 103. Pſal. 103. ſunt etiam noſtri, vt inquit Paulus: *Omnes ſunt*
Heb. 1. *adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Rogandi, inquam, ſunt, vt Chriſtum orationibus apprehendant, & illum nobis placabilem reddant. Vel, miniſtros noſtrorum ſenſuum, tam interiorũ, quàm exteriorum, qui voluntati, reginæ in regno animæ miniſtrant, vt Chriſtum apprehendant, hoc eſt, illum, tamquàm ſuum verum obiectum, actibus ſuis ſemper præſentẽ habeant, & circa ipſum verſentur. Vt ſe feciſſe dicebat Da-
Pſal. 15. uid: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Quæ ſpiritualis apprehenſio erit pretioſiſſima, & ineſtimabilis
Coloſſ. 2. valoris, *cum ſint in illo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei,* & omnia bona, humana, & diuina, in vnam coäluerint perſonam. Nec non facillima, propter voluntatem, & deſiderium ipſiuſmet Chriſti, expoliari, prædarique à nobis deſiderantis. Vbi enim alij mercatores, qui auro, gemmiſque onerati incedunt, ne per viam aliqui eos deprædentur, ſi deſtrorſum proficiſci volunt, ſiniſtrorsũ ſe ituros eſſe petentibus dicunt, aliò verba, aliò pedes dirigentes; Chriſtus expoliari deſiderans, non ſolùm, vt in itinere ex inſidijs ſurgamus, & illum diripiamus, exoptat, verùm etiam de nobis conqueritur, quia, quò ire velit, ipſum non interrogamus, vt in itinere cœleſtibus theſauris, quæ nobis præparauit, eum
Ioan. 16. ſpoliemus: *Vado ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* Quod Chriſti deſiderium optimè noſcens Eſaias, eique à nobis nullo pacto ſatisfieri animaduertens, lamentabiliter ad Deum ſermonem conuertens, ait:
Eſa. 64. *Non eſt, qui conſurgat, & teneat te.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Eccli. 34. Filijs hominum, *qui apprehendunt vmbram, et perſequuntur ventum,* Dei apprehenſionem, ex maxima vtilitate de eiuſmodi apprehenſione procedente, perſuadens Salomon, Prou. 3. de diuina ſapientia, Dei filio loquens, ait:
Prou. 3. *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam*

eam, beatus. Quod in Patriarcha Iacob, per experimentum videmus, qui ex Dei apprehenſione maximis donis cumulatus eſt, & *Deum videns*, appellatus fuit. Sponſa etiam, quæ illum apprehenderat, & tenuerat aliquando, optiméque nouerat, quanti referret, tantum poſſidere bonum, die, noctúque, poſt illius amiſſionem, diſcurrebat, *per vicos, & plateas quærens quem diligebat anima ſua*. Immò muliebris puſillanimitatis oblita, etiam inter ipſos murorum armatos cuſtodes eum requirere non eſt verita cum vitæ, & ſalutis diſcrimine, *tulerunt enim illi milites pallium ſuum, & vulnerauerunt eam*. Quas tamen plagas, omnesque iacturas nihil æſtimabat, vt optatum, dilectúmque ſponſum inueniret, & recuperaret. Quemadmodum etiam D. Paulus, per oppoſitum, quæcunque maiora mundi bona arbitrabatur, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret.

Gen. 32. *Cant. 3.* *Cant. 5.*

Quam adhortationem, & exempla ſequentes, volo, vt in bonum conuertamus, quod malum legimus in Euangelio: *Miſerunt Pontifices, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum*, & ad Chriſti capturam, & expoliationem accingamur, mittentes, veluti Pontifices, & Phariſęi, miniſtros, qui illum apprehendãt, & theſauros eius diripiant, &c. vt ſupra.

Ioan. 10.

TERTIA

TERTIA PASSIONIS.

Ioan.7. **Ambulat Ieſus in Galilæam, &c. Ioan. 7.**

PRIMA INVENTIO EST,

VT tranſeant hinc, & vadant in Iudæá, ſuper verbis fratrum Chriſti; *Tranſi hinc, & vade in Iudæam*, Auditores adhortandos. Vt tranſeant, ſcilicet, deſiderio, & affectu hinc, ab hac lachrymarum valle, & vadant in Iudæam, in cœleſte n ciuitatem, vbi eſt perpetua bonitatis Dei confeſſio, & magnitudinum eius perennis laus. Hortandi autem ſunt ijsdem perſuaſionibus, quibus extra patriam degentes frequentiſſimè ad reditum excitantur. Ad redeundum enim his potiſsimùm rationibus inducuntur. Amicorum, & conſanguineorum epiſtolis, eis reuerſionem perſuadentibus. Incommodis, quæ extra patriam ſuſtinentur. Dulci amore patriæ. Inſida diſſimilium exterorum ſocietate. Laudabiles, & dignas actiones apud ſuos oſtendendi deſiderio. Sui ipſius perpetua ſolicitudine, qua laborant à conſanguineis, & amicis deſtituti. Ac tandem, quia extra patriam nullum rei familiaris ſtabilimentum vnquàm fit.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ ſunt in mundo. Reuertere, reuertere, Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te, ecce amicorum epiſtolas. *Ambulauimus vias difficiles, laſſati ſumus in via iniquitatis. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Ad te clamamus exules filij Euæ, ad te ſuſpiramus, gementes, & flentes, in hac lachrymarum valle. Eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cedimur, &c.* ecce incommoditates, quibus longè à patria affligimur. *Surſum eſt Ieruſalem*

Cant.6. Sap.5. Luc.15. Eccleſia. 1.Cor.4. Gala.4.

*lem,quæ eſt mater noſtra,*ait Paulus . *Quis non peregrè con-*
ſtitutus properaret in patriam regredi? inquit Cyprianus. *Lib. de mort.*
Quis non ad ſuos nauigare feſtinans , ventum proſperum cu-
pidus optaret,vt velociter caros liceret amplecti? Patriam *Serm.4.*
noſtram paradiſum computamus,parentes Patriarchas habe-
re iam cœpimus,quid non properamus , & currimus , vt pa-
triam noſtram videre , & parentes ſalutare poſſimus ? Ma-
gnus illic nos carorum numerus expectat,parentum,fratrum,
filiorum frequens nos,& copioſa turba deſiderat,iam de ſua
immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita . Ad
horum conſpectum,& complexum venire quanta , & illis &
nobis in commune lætitia eſt? &c. ecce dulcem amorem
patriæ,dulce videre ſuos. *Mundus totus in maligno poſitus* *1.Ioan.5.*
eſt. Inimici hominis domeſtici eius. In præſenti vita,quaſi in *Matt.10.*
via ſumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem ſpiri- *Gregor.*
tus,iter noſtrum,quaſi quidam latrunculi obſident, ecce infi- *Hom.11.*
dam in hoc mundo ſocietatem. *Quemadmodum terrenas di-* *in Euang.*
uitias contemnimus , cùm alias diuitias ſperamus (inquit
Chrys.Hom. 28.in Ioan.) *ita & huius vitæ gloriam , cùm* *Chryſ.*
longè maiorem,& veram gloriam coniectabimur, contemne-
mus. Hæc namque inanis, & ſtulta eſt , & nomine tantùm,
non re gloria,illa verò cœleſtis vera,quæ non homines,ſed an-
gelos,& archangelos,& angelorum Dominum , *immò & cum*
his etiam homines laudatores habet . Et rurſus : *Non aſpicis,*
vt in ſcena ſibi perſonas imponunt hiſtriones,quàm præclaras,
quàm honeſtas,quàm ad extremam , & exactiſſimam formæ
diligentiam effectas?poteſne huiuſmodi aſpectum mihi verum
eſſe monſtrare? Minimè ſanè . Quid igitur non eas aliquando
adamaſti? Non. Cur id? Quoniam inanes ſunt , imitanturque
decorem,ſed nullus ibi ſolidus decor . Ita & gloria inanis eſt,
imitaturque gloriam,ſed non vera gloria eſt , ecce actionum
extra patriam vanitatem. *Deeſt panis,non ſunt aquæ. Quid* *Num.21.*
manducabimus?quid bibemus?quo operiemur? Tēporalis vita, *Matth.6.*
æternæ vitæ comparata,mors eſt potiùs dicenda,quàm vita. *Gregor.*
Ipſe enim quotidianus defectus corruptionis , quid eſt aliud, *Hom.37.*
quàm quædam prolixitas mortis? ecce extra patriam conti- *in Euang.*
nuam ſollicitudinem. *Præterit figura huius mundi. Gaudium* *1.Cor.7.*
hypocritæ ad inſtar puncti . Non habemus hic manentem ci *Iob 20.*
uitatem,ſed futuram inquirimus. Iudæi in Paleſtinam erant *Heb.13.*
prodituri, & propterea viatorum figuram habebant. tu verò *Chryſoſt.*

A 2 *debes*

Ho. 60. ad pop. Ant. et Hom. 83. in Matth. Pſal. 54. Eccl. 2. Pſal. 143.

debes in cœlum migrare, ecce cauſam, cur nihil extra cœleſtẽ patriam cum animi affectu, & voluntatis ſtabili deliberatione perenniter affectare, & diligere debeamus, ſed *omnis noſter cogitatus in Domino iactandus* ſit, ſola æterna, & cum Deo duratura diligenda, *noſtraque portio non ſub ſole, ſub quo nihil ſtabile, ſed in terra viuentium collocanda.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

INimicorum iram declinans, eorumque furori, ad tempus, cedens Dominus, diuerſabatur in Galilæa, nolens in Iudæam ambulare, *quia quærebant eum Iudæi interficere.* (Ioan. 7.) *Vanum reputans* (inquit Theo.) *in medio inimicorum manere; & magis ipſos ad odium incitare.* (Theophil.) Factum eſt autem, vt, in Galilæa manens, in proximo eſſet dies feſtus Iudæorum, Scenopegia. *Dixerunt autem ad eum fratres eius* (*Cùm autẽ auditis fratres Domini* (inquit Aug.) *Mariæ cogitate conſanguinitatem, non iterum parientis vllam propaginem. Sicut enim in ſepulchro, vbi poſitum eſt corpus Domini, nec ante, nec poſtea mortuus iacuit, ſic vterus Mariæ nec ante, nec poſtea quicquam mortale concepit*) (Tract. 28. in Ioan.) *Tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt & Diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippè in occulto quicquam facit, & quærit ipſe in palàm eſſe. Si hæc facis, manifeſta te ipſum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum.* Ac ſi dicant, ait Beda: (Beda.) *Tu ſigna facis, & pauci ea vident, tranſi ergo ad regiam vrbem, vbi ſunt Principes, vt, viſis ſignis, laudem conſequaris ab eis. Loquebãtur autem* (inquit Aug.) (Tract. 28. in Ioan.) *prudentiam carnis Verbo, quod caro factum eſt. Vndè & ſubdunt: Nemo quippè in occulto quicquam facit; & quærit ipſe in palàm eſſe. Quaſi dicerent: Facias miracula apparere hominibus, vt laudari poſſis ab eis. Nam qui eum videntur monere, gloriæ ipſius conſulunt. Multa autem amaritudinis erant, quæ dicebantur, quia de formidine, & de amore gloriæ eum notant, nam dicunt: Nemo in occulto quicquam facit, quod erat dicere, formidinem incuſantium, & ſimul ſuſpicantium, quæ fiebant non verè facta eſſe. Per hoc autem, quod dicunt. Et quærit ipſe in palàm eſſe, amorem gloriæ in eo notant.*

At Nos

At Nos in bonum conuertentes, quod iſti in malnm dixerunt, myſticè, ſuper hæc verba: *Tranſi hinc, & vade in Iudaam*, loquemur, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

Secundùm myſticum intellectum exponenda eſſe verba Chriſti: *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum*, & ex illis colligendum, tempus noſtrum ſemper eſſe paratum, ad benè agendum, tam in gratia, quàm in mortali peccato: Hortandoſque ſæculares, vt numquàm benè operari deſinant, etiam in mortali exiſtentes. Et hoc propter quatuor. Primò, quia de operibus bonis præmium conſequimur. Secundò, quia multiplex eſt tale præmium. Tertiò, quia per ea multa mala deuitamus. Et quartò, quia ad vitam æternam conſequendam adiuuant. *Ioan. 7.*

Quòd de talibus operibus præmium conſequamur, patet authoritate, ratione, & exemplo. Authoritate quidem Iere. 5. c. *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum, facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei*. Sed mirabiliùs Matth. 10. *Qui dederit calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem ſuam.* Vndè Greg. 5. Mor. in principio, & habetur di pœn. d. 3. §. cauendum. *Niſi diues ille* (videlicet epulo) *aliquod bonum geſſiſſet, vndè in præſenti ſæculo remunerationem accepiſſet, nequaquàm Abraham diceret: Recepiſti bona in vita tua*. Ratione verò, à minori ad maius. Si enim faciens bonum ad malum finem, puta, pro gloria mundi, recipit mercedem; nam de talibus Chriſtus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*, quantò magis, qui ad bonũ finem, etiam quòd extra gratiam fit? Exemplo tandem ſcalæ Iacob, per quam aſcendebant angeli, bona hominum Deo offerentes. Nam huic ſcalæ erat Dominus innixus, quaſi ſtatim ſoluturus mercedem, bonis operibus congruentem. Quod patet in Cornelio Act. 10. cuius in mortali factæ & eleemoſynæ, & orationes aſcenderunt in cœlum. Vndè angelus ei apparens (& fuit angelus eius, vt inquit Lyranus) *Iere. 5.* *Matt. 10.* *Gregor. de pœn.* *Matt. 6.* *Gen. 28.* *Act. 10.* *Lyra.*

dixit illi: *Orationes tuæ, & eleemoſyna tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Domini.* Quare meritò concludit Petrus: *In veritate comperi, quòd non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & facit iuſtitiam, acceptus eſt illi.*

Quòd verò tale præmiũ ſit multiplex, probant DD. hanc tractantes materiam, qui has præcipuas bonorum operum, in mortali factorum, vtilitates afferunt: Nimirum; Tempus, benè expenſum, & laudabiliter. Quod etiam Philoſophi plurimi fecerunt. Aſſuefactio in bonorum operum exer-
Eſa.1. citatione. Ad quam hortatur Eſa. cap. 1. *Diſcite benefacere.* Iuſtificatus enim, ſi ſit aſſuetus in bonis operibus, faciliter, promptè, & expeditè in obſeruantia præceptorum Dei ſe
1.Ioan.3. exercebit. Appropinquatio ad Deum; *qui enim benefacit ex*
Iac.3. *Deo eſt.* Vndè hortatur nos D. Iacobus. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Receptio bonorum temporalium. Nam obſtetricibus, pueros Hebræorum ſeruantibus,
Exo.1. ædificauit Dominus domum; & ſoluentibus decimas bona
16.q.1.cap. temporalia promittuntur 16. q. 1. cap. Decimæ, & cap. Re-
Deci. & c. uertimini. Quapropter benè Aug. cœcum natum reprehen-
Reuertim. dit, qui dixit, quòd [a] *peccatores Deus non exaudit.*
Tract.44. Quòd præterea multa mala deuitemus, patet, per ea, quæ
in Ioan. dicit [b] Gre. Hom. 10. ſuper Exech. de [c] Achab, timore pœnæ
a *Ioan.9.* humiliato; de [d] Niniuitis, metu ſubuerſionis pœnitentiam
b *Gregor.* agentibus, & à periculis, & flagellis liberatis, &c. Nec non
c *3.Re.21.* non de Raab, à cœde præſeruata, quia exploratores populi
d *Ion.3.* Dei ſaluauit, Ioſu.6. Vndè benè concludit Eccli. 2. cap. *Re-*
Ioſu.6. *ſpicite, filij, nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſpera-*
Eccli.2. *uit in Domino, & confuſus eſt.* Et infra: *Quis inuocauit illum, & deſpexit eum?*

Tandem ad vitam æternam conſequendam adiuuant, cùm ſint ad gratiam diſpoſitiua, & illius impetratiua. Gratiam enim adeptus quis, poteſt meritoriè operari, Dei auxilio perſeuerare, & ſaluari. Quòd autem ad gratiam diſponant, & illam impetrent, claret in Centurione, accedente ad Ie-
Matth.9. ſum, qui tamen priùs Synagogam ſuis ſumptibus ædificauerat Iudæis, adhuc infidelis exiſtens. In alio Centurione Cor-
Act.10. nelio, cuius orationes, & eleemoſinæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Domini, qui miſit angelum, & illumina-
Gregor. uit eum, & de multis alijs. Vndè Greg. de pœn. d. 5. cap. Falſas, vbi

ſas, vbi hortatur homines exire de peccato. *Sed ſi quis perſeuerat* (inquit) *non tamen deſperet; & interim quicquid boni poterit facere, hortamini, vt faciat, vt omnipotens Deus cor illius illuſtret ad pœnitentiam.* Quam doctrinam habemus etiam ab Eccleſiaſte cap. 10 *Si ſpiritus, poteſtatem habentis,* id eſt diabolus, *aſcenderit ſuper te,* per mortale peccatum commiſſum, *locum tuum ne dimiſeris, quia curatio ceſſare faciet peccata maxima.* *Eccl. 10.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVòd in Eccleſia Dei commixti ſint boni, & mali; iuſti, & peccatores; reprobri, & electi, catholicum dogma eſt, hæreticum confutans, quod aſſerit, tantùmmodò iuſtos ad Eccleſiam pertinere. Patet id, cùm ex doctrina Chriſti, tum SS. PP. Chriſti quidem, qui regnum cœlorum, hoc eſt, militantem Eccleſiam (*ſæpè enim in ſacro eloquio regnum cœlorum præſentis temporis Eccleſia dicitur*, inquit Gregor. *Hom. 12. de quo alio in loco Dominus dicit: Mittet filius hominis ange- in Euang. los ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala. Neque Matt. 13. enim in illo regno beatitudinis, in quo pax ſumma eſt, inueniri ſcandala poterunt, quæ colliguntur.*) *Sagenæ, miſſa in Ibidem. mare, & ex omni genere piſcium congreganti; agro, triticum, & zizania continenti; ciuitati, virgines fatuas, & pru- cap. 25. dentes habentes; cœnæ, bonos, & malos, &c.* ſimile dicit. SS. *Luc. 14.* PP. verò, qui vnanimiter affirmant contra hæreticos, etiam peccatores, & reprobos ad militantem Eccleſiam pertinere. Vndè idem Greg. *Quia ex vtroque ſexu fidelium multitudo V bi ſupra colligitur, ſancta Eccleſia decem virginibus ſimilis eſſe denunciatur. In qua, quia mali cum bonis, & reprobi cum electis commixti ſunt, rectè ſimilis virginibus prudentibus, & fatuis eſſe perhibetur.* Vocabuli etiam ethymologia propoſitũ confirmat. Idcircò enim, præter alias ſignificationes, præſens Eccleſia militans appellatur; quia, ſicut in militia aliqui victores, aliqui victi ſunt; nnnnulli ſani, nonnulli vulnerati; quidam viui, quidam mortui, ita in militanti Eccleſia, boni victores, ſani, & viui ſunt; mali autem, victi, vulnerati, & mortui.

Quòd verò tam boni, quàm mali, intra Eccleſiam exiſtentes, bonum operari debeant, non deficientes, tum in gratia, tum in peccato, patet (vt cætera omittamus) per ea, quæ modò de militia tetigimus. In militia enim, miles, vulnere accepto, dimicare non deſiſtit, ne alijs vulneribus locum præbeat, & interimatur. Et fideles, quorum ſuper terram vita continua pugna eſt, ſi, inflicto peccati mortalis vulnere, bonis operibus ſe adiuuare deſinerent, ſemper maiora paterentur vulnera, ac tandem ad æternam mortem peruenirent. Vndè optimè hortatur Paulus: *Dum tempus habemus*, hoc eſt, dum tempore, in ſtatu viæ menſuramur, & nondum ad æternitatem, ſiue in bonum, ſiue in malum, peruenimus, operemur bonum. Et Eccli. vlt. cap. *Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis Dominus mercedem in tempore ſuo*. Et rurſùs Paul. ad Gala. 6. *Bonum facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus, non deficientes.*

Gala. 6.

Eccli. vlt.

Gala. 6.

Quod autem ſemper tempus ſit, bonum operandi, tam in gratia, quàm in peccato, colligimus ex verbis Chriſti: *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum*. Vt autem ad hanc bonorum operationem, in quocunque ſtatu, vos ritè inducã, de operibus bonis, in mortali factis, præmium recipi oſtendam, & præmium multiplex, &c. vt ſupra.

Ioan. 7.

TERTIA INVENTIO EST,

Ioan. 7.

DOmino parendum, qui præcipit: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc*, feſtaque à nobis celebranda eſſe. Quia autem à Veteribus quatuor de cauſis publicæ ſolennitates, & dies feſti inſtituti ſunt: In honorem Dei, ſolenniũ epularum cauſa, ſpectandorum ludorum occaſione, & feriarum obſeruatione, iiſdem de cauſis celebremus & nos. In honorẽ.n. Dei celebrantur feſta, ſiue illius ſint, ſiue Sanctorum eius. Solennes epulæ ſunt Chriſtianis, illis diebus, quibus ſunt *perſeuerantes in oratione, & fractione panis*. Spectandorum ludorum occaſio offertur nobis in paſſionibus Martyrum, & in ijs feſtiuitatibus, in quibus

Act. 2.

tria

tria genera ludorum exercere poſſumus, ſcilicet, ingenij, fortitudinis,& dexteritatis. Feriarum obſeruatione tandẽ ea feſta celebranda,inquit Iſych. ſuper Leu. 23. quibus Domini triumphi recoluntur. Dicendum ergo ad hæc conſequenter, &c. *Iſychius.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ADeò proprium homini eſt, & ſuæ rationali naturæ cõforme vnam primam cauſam independentem,& vnum primum motorem, non motum agnoſcere, & venerari, vt nullo vmquàm tempore aliqua,etiam barbara, & efferata natio,extiterit,quæ Deum aliquo exteriori ſigno non coluerit,& venerata fuerit. Pythagoras à diuinarum rerum cultu ſuæ doctrinæ ſumpſit exordium, dicens: *Immortales primùm Deos cole. Nec immeritò,*inquit Stephanus niger in Comment.in Pytha.carm. *Nouerat enim vir, maximo ingenio, ſummaque doctrina præditus ſanctæ vitæ fundamentum, Deorum eſſe venerationem. Nos igitur, primum omnium, Deos eſſe colendos,docuit,idque,ut ſeſe habent, legitimè faciẽdum admonuit. Neque enim vnicuique, pro arbitrio, nouos fingere Deos,nouos religionis ritus inducere licet, ſed, ſecundùm Maiorum leges,colendi,patrijsque moribus, atque inſtitutis vnumquemque vitam agere oportet. Eſt igitur legibus parendum, Dijque legitimè colendi.* Virgilius etiam lib. 1. Georg. *Pythag.* *Steph.nig.*

In primis venerare Deos,&c. *Virgilius.*

Quod & Phocilides Græcè dixit, Poëmatis ſui admonitorij initio: *Primum cole Deum,poſtea verò genitores tuos.* Iſocrates etiam Parænesi ad Demonicum principio hortatur illũ ad Deorum venerationem. Chriſtianæ autem religionis ſummam expreſſit Spiritus Sanctus olim, & confirmauit tandẽ Chriſtus: *Dominum Deum tuum adorabis, &c. Omnia enim benè,& congruè geruntur, ſi principium rei fuerit decens,& amabile Deo,* inquit Iuſtin. in Aut. *Quomodo oportet Epiſco. Per diuini enim nominis inuocationem humani actus perfectè proſperantur in fine,* notatur in L. 1.ff de orig.iur. Et per oppoſitum, vt inquit Boët. 3. de conſol.cap.17. *rerum* *Phocilid.* *Iſocrates.* *Deut.6. & 10. ac Matth.4.* *Iuſtin.* *l.1.ff. de orig.iur.* *Boëthus.*

Aa 4 *omnium*

omnium Patre prætermiſſo nullum ritè fundetur exordium. Sine auxilio enim Dei nihil boni peragere poſſe humanam fragilitatem, habetur de Conſe.d.4.cap.vlt. *de Conſ.d. 4.cap.vlt.*

Vndè non mirum;ſi populus Dei; ne à Gentibus ſuperaretur, immò, vt illas ipſe ſuperaret, non ſolùm ſemper Deũ coluit,ſed diuerſas ſolennitates,à Deo inſtitutas, quibus publicè illum veneraretur, obſeruauit, aliaſque adiunxit, humano iure obſeruandas. De quorum feſtorum dierum obſeruatione,cultu,& veneratione,vt,ſemel ſaltem,aliquid dicamus,annotandum,propter quatuor antiquitùs feſtos dies, feriaſque introductas,&c.vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

DE myſtica deambulatione Domini in ſymbolicam Galilæam,ſuper verbis Euangeliſtæ: *Ambulabat Ieſus in Galilæam*; agendum. Quæ quidem deambulationes tot ſunt,quot ſymbolicæ Galilæ. Eſt autem illa volubilis, volutatio, tranſmigratio, lactea,rota,& reuelatio. *Ioan.7.*

In Galilæa;quæ rota dicitur (hoc eſt, diuina natura, quæ per rotam ſignificatur, cum careat principio, & fine; vndè etiam diuinæ actiones per rotam ſignantur. Dan.enim 7. per rotam ignis,vim diuinæ punitionis intelligimus. Et per rotam plauſtri in tritura, grauiorem eiuſdem caſtigationẽ accipit Hiero.ſuper Eſa.28.) duobus myſticis pedibus ambulauit,& ambulat,productione, ſcilicet, Spiritus Sancti,& operatione à dextra. *Hieron.*

In Galilæa, quæ lactea, ideſt, candida vocatur (gignit enim candidum populum,vt inquit Beda huius expoſitionis author;*γαλὰ enim Græcè, Latinè lac dicitur*, inquit ille, & ſignificat perſonas innocentes,& puras,vt fuerunt B.Virgo,& Sanctus Ioſeph,Ioannes Baptiſta,&c.)ambulauit item duobus pedibus,affluentia,videlicet,gratiarum, & multiformitate virtutum. *Beda.*

In Galilæa,quæ transmigratio appellatur (& refertur ad transmigrationem Synagogæ in Eccleſiam, legis in Euangelium,

lium,Prophetarum in Apoſtolos, typi in propotypum, vmbræ in veritatem, & Moſis in Chriſtum) ambulauit item duobus pedibus, ablatione dignitatum, intelligentiæque ſacræ Scripturæ à Iudæis, & collatione earum, & innumerabilium aliarum gratiarum in chriſtianos.

In Galilæa,quæ volubilis appellatur (& congruit hominibus viatoribus,qui inſtabiles, & volubiles ſunt) ambulauit etiam,& ambulat duobus pedibus, flagellis nimirum,& proſperitatibus.

In Galilæa,quæ volutatio exponitur (& conſuetndinarijs peccatoribus quadrat,qui *volutantur in volutabro luti*, iacent in malis,in ipſis volutantur,& de malis in mala præcipitant;vt de tota humani generis maſſa inquit Aug. in Enchiri. *Iacebat in malis, vel etiam voluebatur*, ait ille, *& de malis in mala præcipitabatur totius humani generis maſſa,damnata,& adiuncta parti eorum, qui peccauerant, angelorum,luebat impiæ deſertionis digniſſimas pœnas)* ambulauit,& ambulat duobus pedibus, grauioribus tribulationibus*(extremus enim morbus extrema rimedia*,& mordaciſſimo,pungentiſſimoque conſcientiæ ſtimulo. 2.Pet.2. cap.25.26. et 27.to. 3. Hypoc.l.1. Aphor.6.

In Galilæa deniqúe,quæ reuelatio interpretatur (& cœleſti gloriæ congruit,vbi,*reuelata facie, &,ſicuti eſt*, Deus videtur) ambulat duobus ſimiliter pedibus Chriſtus, increato, & creato obiecto Sanctos beatificans: Vel in corpore,& anima: Vel interiùs,exteriuſque reficiens, &c. 1.Ioan.1.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Vicinus paſſioni Dominus, cùm à Iudæis ad necem quæreretur*(quærebant enim eum interficere*, inquit ſacer textus hodierni Euangelij) *ambulabat in Galilæa, nolens in Iudæa ambulare.* Quo,qua de cauſa potiſſimùm ageret,variè loquuntur SS. PP. *Futurum erat*, inquit Aug. *vt aliquis fidelis Chriſti abſconderet ſe, ne à perſecutoribus inueniretur,& ne illi pro crimine obijceretur latibulum, præceſſit in capite,quod in membro confirmaretur. Quæ deitatis oſtendebat,& quæ humanitatis*, inquit Chryſ. *fugiebat enim perſecutores,vt homo,& apparebat eis,vt Deus,vtrumque vere exi-* Ioan.7. Tract.28. in Ioan. Hom.47. in Ioan.

Theophil. *rè exiſtens. Seceſſit in Galilæam*, inquit Theo. *quia nondum paſſionis aderat tempus. Vanum enim reputabat*, inquit idẽ, *in medio inimicorum manere, & magis ipſis ad odium incitare.* Atque ita diuerſi diuerſa doctiſſimè loquuntur.

Nos, ad myſticum intellectum ſermonem conuertentes, dicemus, in Galilæam Dominum ambulaſſe, vt varia diuina myſteria nobis adaperiret, pro vt varia eſt Galilæę myſtica, & ſymbolica interpretatio. Dicitur enim rota, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

SPiritualem Scenopegiam à tribus celebratã tradunt SS.PP. à viatore, & beato ſimul, à viatoribus tantùm, & à beatis dumtaxat. A Chriſto viatore, & beato ſimul celebrata fuit, quando, vt peregrinaretur in terra, carnem induit, inquit Cyril. 3. ſuper Ioan. 11. A nobis viatoribus tunc celebratur, cùm, ſecundùm interiorem ſenſum, nos aduenas, & peregrinos ſuper terram reputamus; inquit enim Paulus: *Non habemus hic manentem ciuitatem ſed futuram inquirimus.* A beatis verò ſine intermiſſione in cœlo celebratur, & perfectiùs tũc, cùm, recuperatis corporibus, perpetuò cum Chriſto gaudebunt, ait Aug. expendens verba Chriſti: *Tempus meum nondum aduenit: Tẽpus meum, ideſt, gloria* (inquit ille) *nondum aduenit; ipſe erit dies feſtus meus, non diebus iſtis præcurrens, & tranſiens, ſed permanens in æternum. Ipſa erit feſtiuitas, & gaudium ſine fine, æternitas ſine labore, ſerenitas ſine nube.*

Heb. 13.

Tract. 28. in Ioan.

Ioan. 7.

Quadrat autem myſterio, Iudæos Scenopegiæ feſtum ex præcepto legis in tabernaculis manentes, & faſciculos ex pomis citreis, frondibusque palmarum, ramis myrtinis, & ſalicis torrentis compactos, in manibus geſtantes celebraſſe. (Quod enim legitur Leu. 23. *Sumetisque vobis, die primo, fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulasque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium & ſalices de torrente*, pro, *fructu arboris pulcherrimæ*, vel, vt Septuaginta verterunt: *Fructum arboris pulchrum*, Hebræi, *Hadar*, pro citro arbore

Leu. 23.

bore interpretantur; & Paraphraſtes, pro, *arboris pulcberrimæ, arboris citrei*, poſuit. Et pro *ligno denſarum frondium*, Paraphraſtes Chaldæus, *Hadaſſim*, ideſt, *myrtos*, expoſuit, & & vertit.)Chriſtus enim fuit in tabernaculo illo, de quo Dauid: *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus*. Nos viatores in tabernaculo, de quo Pet. 2. Can. 1. *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*. Et beati in tabernaculis, de quibus idem Dauid: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum*. *Pſal. 45.* *2. Pet. 1.* *Pſal. 85.*

Faſciculum etiam ex cedro, palma, myrto, & ſalice compactum geſtauit Chriſtus; geſtant boni viatores, geſtant, & beati. Chriſtus quidem, nam cedrum, pro cruce accipit Aug. q. in Num. 33. Palmam, pro victoria, quam de inimicis viſibilibus, & inuiſibilibus reuexit, interpretantur idem Aug. Tract. 51. in Ioan. & Amb. ſuper Luc. 19. Myrtum, pro ornamento virtutum ſumit Hieron. ſuper Eſa 55. Et ſalices de torrente, pro lege, & myſterijs, quorum author Chriſtus, interpretatur Orig. ſuper Exo. Hom. 5. Boni viatores verò, nam pro cedro magna opera intelligunt Aug. ſuper Pſal. 79. & 103. ac Greg. 32 Mor. 12 Pro palma ſanctam intentionem, Philo de vita Mos. & Greg ſuper Cant. 7. Pro myrto compaſſionem erga proximum, Greg. Hom. 20. in Euang. Et pro ſalice torrentis, orationes, & lachrymas Dauid, Pſal. 136. & Eſa. 15. c. Beati tandem, quia cedro altitudinem gloriæ tribuit, Greg. 32. Mor. 12. & ſuper Cant. 5. Palmæ victoriam de inimicis, Euch. Form. ſpiri. 4. Rup. 4. ſuper Apoc. & Greg. ſuper Ezech. Hom. 7. & 19. Myrto ſocietatem Sanctorum iucundiſſimam, Hieron. & Rup. ſuper Zach. 1. Et ſalicibus de torrente perfectam iuſtitiam, Hieron. ſuper Eſa. 44. & Hila. ſuper Pſal. 136. *Auguſt. cum ſeqq.* *Pſal. 136.* *Eſa. 15.* *Gregor. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MVlta licèt, in honorem Dei, feſta celebrarent, certis temporibus, Iudæi, tria tamen apud illos erant omnium celeberrima, feſtum videlicet Paſchatis, in memoriam beneficij eductionis de Aegypto; feſtum Pentecoſtes, in memoriam beneficij collationis legis, & feſtum Scenopegiæ, in memo-

memoriam beneficiorum, per quadraginta annorum ſpatium, receptorum in deſerto. Primum celebrauit Chriſtus toto tempore vitæ ſuæ, ſicut & ſecundum, ac tertium, inſigni tamen modo Paſcha celebrauit, quando tranſiturus erat ex hoc mundo ad Patrem, pridie videlicet, quàm pateretur. Secundum etiam, quò ad vixit, legi Moſis voluntariè ſe ſubijciens; ſingulariter verò, quando ſub viſibili forma, credentibus Spiritum Sanctum è cœlis miſit. Tertium quoque Ioan.7. ſemper, ac præcipuè, quando *aſcendit Ieroſolymam, & iam die feſto mediante, docebat & mirabantur Iudæi*, & multos conuertit ad fidem, ac Scribas, & Phariſæos confudit; miniſtrorum, qui ad illum apprehendendum venerant, voluntatem diuina ſua prædicatione mutauit, & præclara illa geſſit, quæ 7.cap. refert Ioannes; quorum fragmentum in hodierno Euangelio ponitur.

De primo, & ſecundo non eſt hodie, ſed alias nobis ſermo. De tertio, vt aliquid proferamus, dicemus iuxta myſticum ſenſum, ſpiritualem Scenopegiam à tribus celebratam, &c. vt ſupra.

QVARTA

QVARTA PASSIONIS.

Facta ſunt Encœnia in Ieroſo-lymis, &c. Ioan. 10. *Ioan.10. cum ſeqq.*

PRIMA INVENTIO EST,

IN paſtorali officio, de quo Dominus in præſenti Euangelio, & aliàs loquitur, de ſe ipſo vero paſtore, & ouibus ſuis ſermonem inſtituens, ea omnia perfectè reperiri, quæ in irrationalibus ouibus, & earum paſtore animaduertere licet. Paſtorem nimirum, oues, canes, baculum, paſcua, aquas, fiſtulã, ouile, & à lupo defenſionem. *Ego ſum paſtor bonus*, ecce
primum. *Vos non eſtis ex ouibus meis*, ecce ſecundum. *Lin-* *Pſal.67.*
gua canum tuorum ex inimicis ab ipſo, ecce tertium. *Virga* *Pſal.22.*
tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt, ecce quartum.
Ingredientur, & egredientur, & paſcua inuenient, ecce quin-
tum. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, ecce *Eſa.12.*
ſextum. *Oues meæ vocem meam audiunt*, ecce ſeptimum. *Et fiet vnum ouile*, ecce octauum. *Non rapiet eas quiſquam de manu mea*, ecce nonum. In vno tantùm differentia eſt; quod paſtores irrationalium ouium eas tandem occidunt, vt earum carnibus veſcantur, aut ſpontaneè in eorum manibus illæ moriuntur; Chriſtus verò vitam tribuit, & vitam æternam ouibus ſuis: *Ego vitam æternam do eis*.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

OVium appellatione fideles in Scripturis paſſim ſignificari, in prõptu ſunt loca Gen.4.12.20.29.30.31.32.34. *Gen.* 37.38.

Exo.cum vel.de tex. 37.38.46.& 47.Exo.2.3.10.12.13.& 34.Leu.1.3.4.7.& 14.1. Reg.16.Pſal 8.15.18.64.73.76.94.113.& 118.Iob 1.& 42.Iere.11.Ezech.34.Eſa.11.& 53. Eccl.2. Zach.13. Matth. 9. 10. 15. 18. & 25.Ioan.21.& alia quàm plurima. Nec non auctoritates PP. Cypr. Epi. 1. Hila. ſuper Pſal.64.Hieron. ſuper Eſa.11 Greg.ſuper 1.Reg.14. & 35.Mor.17.Iſych.ſuper Leu. 1.& 3.Beda ſuper Gen.29.& 30.Orig.ſuper Leu. Hom. 3. & 7.in diuer. Hom. 9. & ſuper Matth. Hom. 34. Cyril. 7. ſuper Ioan.1. & ferè omnes PP. vbi de ouibus myſticè loquuntur.

Quod confirmant proprietates ouium,hominibus fidelibus,& præſertim electis,quadrantes. Ouis enim eſt animal manſuetum,alteri proficuum,non mordens dentibns, non calcibus,vnguibus,aut cornibus nocens, paſtorem diligenter ſequens, ad ſibi proſpiciendum ea nihil ſtolidius, aut imbecillius,& idcircò paſtoris directione, & defenſione ingens,in ferò auidiùs carpens;&c.Vndè non mirum, ſi fideles,& præſertim electos, totiès in Euang. ouibus comparat Chriſtus,& rursùs hodie, cum Iudæis ſermonem habens: *Ioan.10.* *Vos non eſtis ex ouibus meis*. Quem de ouibus ſermonem, & paſtoralis officij conſiderationem explicabimus. Sed,vt illam completè pertractemus, omnia ea, quæ in paſtoribus irrationalium ouium animaduertere contingit, in hac ſpirituali paſtura,& paſtorali myſtico officio reperiemus. Vt enim in illis animaduertere contingit, paſtorem, oues, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

DE diuina prædeſtinatione,ſub paſtoris ſymbolo,à Chriſto propoſita, etiam nobis loquendum.Circa quam quinque principaliter conſideranda: Paſtor, oues, actiones ouium, actiones paſtoris, & actiones inimici ouium, & paſtoris. *Ioan.10. cum ſeqq.* *Vos non eſtis ex ouibus meis*,ecce paſtorem, & oues. *Oues meæ vocem meam audiunt,& ſequuntur me*,ecce actiones ouium. *Ego cognoſco eas,ego vitam æternam do eis,et non peribunt in æternum,* ecce

ecce actiones paſtoris: *Et non rapiet eas quiſquam de manu mea*, ecce actiones inimici ouium, & paſtoris.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

ALtiora diuinorum ſacramentorum myſteria, quibus à Deo digni facti ſunt veteres, & noui Eccleſiæ Sancti, ſi omni cũ ſtudio occultare, & in cordis profundo religiosè, & humiliter conſeruare illi procurarunt, ne tantorũ bonorum datorem offenderent, neſcio, quomodo hoc mane, doctis, & indoctis, perfectis, & imperfectis diuinæ prædeſtinationis, electionis, reprobationis, iudiciorum, ſecretorum, gratiæ, gloriæ, &c. recondita myſteria publicè aperire, & communi lingua exponere mihi licitum fuerit. N. Dauid enim dicebat: *Abſcondi in corde meo eloquia tua, vt non peccem tibi.* *Pſal. 118.* Tobias: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* *Tob. 12.* Dion. Areopag. myſticam theologiam diſcipulo ſuo Theophilo *Diony.* tranſmittens præcipit ei, ne illam huius mundi ſapientibus proderet. Quid? etiam Ethnici hoc intellexerunt, & obſeruarunt. Doctiſſimus namque Apulæius, de diuinis rebus di- *Apulæius.* ſcipulum quendam ſuum inſtruens, ſæpe ſæpiùs ſermonem interrumpebat, inquiens: *Dicerem, ſi dicere liceret, cognoſceres, ſi liceret audire, ſed parem noxam contraherent auris, & lingua temerariæ incurioſitatis.* Hermes, excuſationem *Hermes.* afferens, cur de diuinis altiſſimis rebus non loqueretur, dicebat: *Deum eſſe ſolo ſilentio prædicandum.* Sapientum iudicium eſt, Platonem ſub ſymbolorum inuolucris, & Ariſtote- *Plato.* lem ſub oſcuris litteræ verbis, philoſophiæ arcana, ne qui- *Ariſtot.* busuis hominibus paterent, occludere voluiſſe. Mirum in modum denique extollitur, & laudatur illius vox, qui ad Deum conuerſus, diuinam eius celſitudinem, & propriam vilitatem maximo cordis affectu expreſſit, dicens: *Tibi ſilentium, & laus.*

Quæ cùm ita ſint, an de mirabilibus, & obſtruſiſsimis diuinæ prædeſtinationis myſterijs hodie mihi loquendum eſſet, diu anceps fui. N. At denique mihi dicendum intellexi, quia Euangelicis prædicatoribus dictum legi. *Quod dico vo-* *Matt. 10.* *bis in tenebris, dicite in lumine, & quæ in aure auditis, prædicate*

dicate ſuper tecta. Fidelibus etiam populis conceſſum eſt
Matt.13. *noſſe myſterium regni Dei*, & Spiritus Sanctus ſub lingua-
Mar.4.& rum forma idcircò, præter alias cauſas, datus eſt, vt in om-
Luc.8. ni lingua Sanctiſsimæ Trinitatis myſteria panderentur, & omnis auris audiret, quæ pandebantur.

Cùm ergo, & mihi de diuinis ſacramentis loqui conceſſum ſit, & vobis ea audire cœlitùs datum, de mirabili, & penè ineffabili æternæ prædeſtinationis myſterio, ſub ea, qua illud induit Chriſtus forma, loqui aggrediens, quinque de illo ſcrutabor, ſcilicet, paſtorem, oues, actiones ouium, & paſtoris, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

ENcæniæ, ſeu templi dedicationis, tempus, modum, & finem inquirenda. Tempus quidem, quod triplex eſt, ſcilicet, Veris, Autũni, & Hyemis. In Vere dedicauit templum Ezra, in Autumno Salomon, in Hyeme Iudas Machabæus, & fratres eius. De prima dedicatione in ordine noſtro, quæ eſt ſecunda ordine temporis
1.Ezræ.5. 2.Ezræ.5. De ſecunda in ordine noſtro, & prima ordine
3.Reg.8. temporis 3.Reg.8. De tertia 1.Macha.4. Quæ à Salomone
1.Mac.4. facta eſt, menſe ſeptimo accidit. Quæ ab Ezra, menſe Martio. Quæ à Machabæis, menſe Caſleu.

Myſterio autem non vacat (Eccleſiàrum dedicationis tempus exprimente Scriptura) Veris, Autumni, & Hyemis mentionem fieri, non autem Æſtatis, quandoquidem Æſtiua
Hieron. domus hæreticorum eſt, ſecundùm Hieron. ſuper Amos.3. Tria tempora multa nobis innuunt, ſecundùm myſticum intellectum. Per Verem enim flores bonarum cogitationũ, per Autumnum fructus bonorum operum, per Hyemem rigorem pœnitentiæ intelligimus, & cœteras id genus myſteria.

Num.7. Modus verò ille, qui exprimitur Num.7. vngendo nimirum tabernaculum, & vaſa eius oleo ſancto, offerendo dona, & ſacrificia, laudando in hymnis, & canticis Dominum, & deuotè orando.

Finis

Digitized by Google

Finis denique quintuplex eſt, vt habetur lib. 1. cap. 6. in Rationali diuin. offi. Dedicantur enim Eccleſiæ, dicitur ibi; ad diaboli poteſtatem indè arcendam, ad fidelium orationum facilem exauditionem, ad laudes Dei perſoluendas, competenti, & communi loco, ad Sacramenta diuina adminiſtranda, & ad refugium. De primo varia leguntur exempla, & præcipuè apud D. Gregorium lib. 3. Dialog. cap. 30. De ſecunda 3. Reg. 8. *Vt exaudias orationem, quã orat ſeruus tuus in loco iſto.* & 2. Paral. 7. *Oculi quoque mei erunt aperti,* inquit Deus, *& aures meæ erectæ, ad orationem eius, qui in loco iſto orauerit. Elegi enim, & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* De tertia Pſal. 5. *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* De quarta l. 41. C. de Epiſ. & Cler. ait Imperator: *Qui conſtituerunt ſanctiſſimas Eccleſias, reliquerunt illis ſubſtantias, vt per eas debeant ſacra Liturgiæ fieri, et vt in illis à miniſtrantibus pijs Clericis Deus colatur.* Auth. de non alienandis, & permutandis rebus Eccleſiaſticis. Nouel. Conſt. Collat. 2. §. *Quia vero cognouimus: In ſanctiſſimis Eccleſiis ſacrum exhibetur miniſterium, &c.* De quinta, & poſtrema l. 3. C. de ijs qui ad Eccleſiam confugiunt. Imperatores Theodo. & Valentini. *Pateant ſummi Dei templa timentibus; ad tuitionem confugientium ſancimus eſſe propoſita; confugientibus, ad aram ſalutis eſſe præcipimus.* Item l. præſenti C. eod. Imperator Leo: *Decernimus, nullos de ſacroſanctis Eccleſiis orthodoxæ fidei expelli, aut trahi confugas. His, qui hoc moliri auſi fuerint, capitali, & vltimi ſupplicij animaduerſione plectendis.* Et l. 2. C. eod. Theodoſius, & Honorius: *Fideli præceptione ſancimus, nemini licere, ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes abducere, ſub hac, videlicet, definitione, vt, ſi quiſquam contra hanc legem venire tentauerit, ſciat ſe maieſtatis crimine eſſe retinendum.* Nec non 17. q. 4. c. *Reum: Reum, ad Eccleſiam fugientem nemo abſtrahere audeat, neque indè damnare, ſeu donare ad pœnam, vel ad mortem, vt honor Eccleſiarum conſeruetur.* Tandem Conc. Aurelianen. cap. 3. & habetur 17. q. 4. c. *Id conſtituimus: Id conſtituimus obſeruandum, quòd Eccleſiaſtici Canones decreuerunt, & Lex Romana conſtituit, vt ab Eccleſiæ atrijs reos abſtrahere omninò non liceat,*

Rat. diu. offi. *Gregor.* *3. Reg. 8.* *2. Paral. 7.* *Pſal. 5.* *L. 41. C. de Epiſ. et Cl.* *L. 3. C. de his qui ad Eccl. conf.* *L. præſen. C. eod.* *L. 2. C. eod.* *17. q. 4. ca. Reum.* *Conc. Aur. cap. 3.* *17. q. 4. ca. Id conſt.*

ſed nec alteri conſignare, niſi ad Euangelia datis ſacramentis, de morte, & debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri: Ita vt ei, cui reus fuerit criminoſus, de ſatisfactione conueniat.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVia vita hominis ſua conditione atteritur, quod mortale eſt ſeneſcit, & vnà cum illo quod æternum eſt deorſum trahitur, à prima nouitate in veterem hominem degeneri conuerſatione illa redeunte, hinc eſt, quòd reno-
2.Cor.5. uatione indies opus habet, vt à criminoſa vetuſtate *in no-*
Eph.4. *uam tranſeat creaturam, & renouetur ſpiritu mentis ſuæ.*
Comparatur homo in ſacris litteris aliquibus, quæ, ex ſui
Conſu. pro natura, tranſeunt, & non ſolùm renouari, ſed nec redire ea-
bis nomin. dem numero poſſunt; puta, *vmbræ, vento, imagini, diei ex-*
Conc. Bib. *ternæ, quæ præterijt, &c.* Comparatur etiam aliquibus, quæ
& Sylu. renouari indigent; puta, *terræ, arbori, lecto, viæ, ciuitati,*
Alleg. *&c.* Ac tandem templo: *Templum Dei, quod eſtis vos,* inquit
2.Cor.6. Paul. 2. Cor. 6. & confirmant Greg. ſuper 1. Reg. 2. Hieron.
Gregor. ſuper Ion. 2. Hila. ſuper Pſal. 64. & 137. Arno. ſuper Pſal.
cum ſeqq. 78. & Philo de nobilit. Cuius quidem templi ædificationem tunc animaduertimus, cùm eius formationem conſideramus. Aedificati verò renouationem, cùm à peccato ad iuſtificationem tranſit. Cuius renouationis ſymbolum, tam circa tempus, quàm circa modum, & finem, in diuini templi dedicatione (quæ ſpiritualis quædam renouatio eſt) diſcere poſſumus. Cùm enim templi dedicatio Encænia dica-
Ioan.10. tur ab Euangeliſta, & 3. Reg. 8. (nam vbi intextu vulgatæ
3.Reg.8. editionis, *dedicauerunt*, legimus: *Dedicauerunt templum Domini Rex, & omnis Iſraël,* in Græco, pro *dedicauerunt,* ἐνεκαίνισαν legimus; à dictione ἐγκαίνια deriuatum) Encæniorum feſtiuitatem in memoriam dedicati, & initiati templi celebratam eſſe intelligimus. Sonat enim Græcis ἐγκαίνια quod Latinis initialia, & noua quædam. Encœuia enim ab ἐν & καινὸν dicuntur. Vndè ἐγκαινίζω, & ἐγκαινόω, innouo, initio, & & dedico ſignificat. Græcè *enim* καινὸν *dicitur nouum,* inquit Auguſt. *& quandocunque nouum aliquid fuerit dedicatum,*

tum, Encœnia vocatur. Cùm ergo templo homo comparetur, debet, ſicut illud, ſpiritualiter renouari, & ad nouam Dei religionem, & cultum initiari.

Quod eò faciliùs præſtabit, quò renouationis materialis templi tempus, & modum, & finem fuerit à Spiritu Sancto, & ſacris DD. edoctus, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

ENcœniorum, de quibus mentio in Euangelio, deſcribi à Ioanne tempus, locum, perſonas principales, illa celebrantia, & accidentia, notatu digna, quæ tunc temporis, tum in factis, tum in doctrina euenerunt. *Facta ſunt Encœnia*, ecce feſtiuitatem. *In Ieroſolymis*, ecce locum. *Et hyems erat*, ecce tempus. *Ieſus, & Iudæi*, ecce perſonas principales, feſtum celebrantes. *Iudæi*, enim in textu non quoſlibet Iudæos ſignificat, ſed Iudæos illos, qui frequenter Dominum circundabant, occaſionem quærentes, vt poſſent accuſare eum. *Et ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis: Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis?* Et infra: *Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum*, ecce accidentia in factis. *Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm, &c*, ecce accidentia in doctrina.

Ioan.10. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

REligionem, & diuinum cultum magni ſemper feciſſe omnes homines, ex Philoſophorum doctrinis, ex hiſtorijs, fide dignis, & ex PP. teſtimonio diſcimus. Ariſtoteles enim lib.7. Polit.c 8. de rebus, ciuitati neceſſarijs, & ſine quibus benè regi non poteſt, tractans, poſt nonnulla, inquit: *Quintum autem, ac præcipuum, circa rem diuinam cultus, quod vocant ſacrificium.* Vbi notanda illa vox, *præcipuum*. Et lib.5. cap.11. Principes ad religionem hortans, inquit:

Ariſtotel.

Idem.

inquit: *Videri etiam oportet, ipſum erga religionem Deorum affici vehementer.* Et rationem huius reddit, dicens: *Minùs enim formidabunt populi, ne quid contra iuſtitiam fiat, ſi religioni deditum illum exiſtimabunt Principem, ac Deorum timorem habere; minùſque contra illum audebunt inſurgere, quaſi Deos habeat propitios, & fauentes.* Præterea Mercurius affirmat, ornamentum, & menſuram hominis religionem eſſe: Natura enim humana, teſte Iamblicho, adeò debilis eſt, & infirma, vt neque de ipſo Deo loqui, aut aliquid agere poſſit, ſine ipſo Deo. Pythagoras, perfectiſſimum modũ, ad perfectionem perueniendi, Dei vnionem cum hominem eſſe, dicebat. Regna autem benè gubernari non poſſe, abſque fauore, & gratia Dei particulari, docet Plato lib. de Regno, perpulchram, ad hoc perſuadendum, brutorum ſimilitudinem afferens. Nam, vt bruta per ſe ipſa, abſque hominis iudicio curari nequeunt, ſic nec homo ad fœlicitatem dirigi, abſque Dei auxilio poteſt. Sicut enim ſe habet homo ad bruta, ſic & Deus ad hominem. Xenophon, philoſophus, & hiſtoricus grauiſſimus, octo libros, de Inſtitutione, ſiue Pædia Cyri, compoſuit; quibus quemcunque magnum Regem, pacis, & belli tempore, prudentiſſimè, ac doctiſſimè format. Is lib. 8. refert; Cambyſen, patrem Cyri, dum Cyrus ad Aſtiagen, auum ſuum proficiſceretur, monuiſſe illum, vt amicus Deorum eſſet, & erga illos religioſus: Nec vnquàm aliquod arduum opus aggrederetur, ni priùs illorum fauorem, & gratiam implorаſſet. Quæ verba in corde Cyri adeò altè conſederunt, vt mirum ſit, legere, quoties Xenophon Cyri erga Deos pietatem inculcet; & quàm diligenter ille, antè belli initium, ſacrificijs illos placare ſtuduerit, quàmque humiliter, parta victoria, omnem belli fœlicem euentum ab eis recognoſceret. Iſocrates ad Nicoclen, Regem Cypri, ſcribens, Orat. 1. inquit; Omnium ſacrificiorum maximum, & optimum eſſe, propriam bonitatem, & erga Deos pietatem. Plus enim ſperare debent, qui aliquid boni, diuinæ voluntati conforme, operantur, quàm, qui templa illis ædificant. Dio. Orat. 1. c. 3. diuino cultui, & religioni, in Principis inſtitutione primum locum tribuit. Titus Liuius Decad. 1. lib. 5. in perſona Camilli loquens, inquit; omnia proſperè ſuccedere ijs, qui Deos reuerentur, & ſequuntur; & è contrario, infauſta eſſe illorum opera, qui ipſos contemnunt.

Mercur. *Iambli. citatus à Celio Rodig. lib. 9.* *Pytagor.* *Plato.* *Xenoph.* *Iſocrates.* *Dio.* *Tit. Liu.*

temnunt. Et rationem huius affert Plinius lib. 14. aſſerens, omnem noſtram vitam in religione conſiſtere. Ablata enim religione (inquit Cicero lib. 1. de nat. Deo.) tollitur etiam & fides, & conſuetudo humani generis, atque cum his perit ſimul excellentiſſima illa virtus, quæ erga homines iuſtitia nuncupatur. Mirabile autem eſt, quòd, ad hanc rem, Ioſeph Acoſta, Indicarum hiſto. lib. 6. cap. 15. refert; ſcilicet, Inghos, Reges Perù, ſpolia, & res, bello acquiſitas, in tres ſolitos fuiſſe diuidere partes, quarum primam templis, in Dei cultum, attribuebant. Et quod refert etiam Cic. lib. 5. Tuſcu. videlicet, Athenienſes, Diagoram philoſophum è ciuitate expuliſſe, quòd de Dijs malè ſentiret. Quàm cordi tandem Romanis fuerit religio, & Deorum cultus, quia hac breui Introductione explicari non poteſt, ſufficiat, præcipuos de hac re Scriptores, & ſingularia loca citaſſe. Nimirum, Cic. Orat. de Aruſp. reſponſ. Val. Max. lib. 1. c. 1. de cul. Deo. Gel. lib. 14. c. 7. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 11. Bapt. Fulgos. lib. 1. Sueto. in Octau. c. 35. Plutar. in vita Marcel. Cicer. lib. 2. de leg. lib. 2. & 3. de nat. Deo. Arnob. lib. 3. cont. Gent.

Plinius. *Cicero.* *Ioſe. Aco.* *Cicero.* *Cicero. cum ſeqq.*

Vndè non mirum, ſi (tanta religione, & cultu cunctis nationibus, etiam falſos Deos colentibus) ſe verum Deum adorari, & coli, interiori, & exteriori cultu, tam ſeuerè, & diſtrictè, atque ita frequenter præceperit Deus; idolatras tam dirè punierit, & puniri in lege præceperit; ac tot Feſtiuitates inſtituerit, in quibus Iudæi omnes in vnùm conuenirent, ad Deum adorandum, laudandum, & de acceptis beneficijs ei gratias agendum. Et, ſi Chriſtus benedictus, ad hæc in hominum cordibus confirmanda, & ſtabilienda, quamuis non eſſet ſub lege, Iudaicis Feſtis intereſſe, ſui præſentia illa approbare, & in hac re, imitationis exempla cunctis fidelibus relinquere voluit. Propter quod non ſolùm ad principales Feſtiuitates, Paſchæ, Pentecoſtes, & Scenopegiæ conueniebat, ſed etiam ad minora, & humano iure introducta, vt erat Feſtum Encœniorum, à Iuda Machabæo, & fratribus eius ordinatum, &c. vt ſupra. *1. Mac. 4.*

QVINTA INVENTIO EST,

Ioan.10. VErba Chriſti: *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* non ſolùm occaſionem nobis præbent, ſed ferè cogunt, vt quadruplicem hominum differentiam in medium proferamus. Aliqui enim ſunt, qui reddunt bonum pro bono, aliqui bonum pro malo, aliqui malum pro malo, & aliqui malũ pro bono:
Matth.5. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* ecce primum. *Benefacite his, qui oderunt vos, &c.*
Leu.24. ecce ſecundum. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, & maledictum pro maledicto,* ecce tertium. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* ecce quartum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

VArietatem maximam in hoc mundo reperiri, omnes creaturæ Dei, tam permanẽtes, quàm ſucceſſiuæ proteſtantur. Permanentia quidem, nam, ſicut *ſtella differt à ſtel-*
1.Cor.15. *la in claritate,* ita cœtera cuncta in ſpecie, virtute, & viſibili forma. Hinc naſcitur mundi ornatus, pulchritudo, harmo-
Eccl.1. nia, & numerus. Succeſſiua verò, quia *generatio præterit, &*
Eccl.3. *generatio aduenit; tempus naſcendi, & tempus moriendi, &c.*
1.Cor.7. *præterit figura huius mundi, nihilque permanens ſub ſole.* Va-
Eccl.1. rietatis huius cauſa rerum conditio eſt, mundi ratio eſt, creaturarum diſpoſitio eſt, Dei ordinatio eſt, qui, *ſicut tem-*
Gregor. in Hymno: Aeter. rerum cond. *porum dedit tempora, vt alleuet faſtidium,* ita omnem varietatem, vt nos delectet, & ſimul gloriam ſuam in tãta rerum multitudine oſtendat. In omni tamen cunctarum creaturarum varietate, nihil hominibus variabilius, mutabilius. Varij ſunt enim homines in vultu, in origine, regione, patria, familia,

famillia,nominibus,veſtitu,lingua, ſcripturis, ac tandẽ corporis habitu,inclinatione,habitudine,genio,moribus. Vndè non mirum,ſi alij boni,alij mali,alij ſapientes,alij inſipientes,&c. Et(vt ad rem noſtram veniamus) ſi erga beneficos, & gratos alij ſic,alij verò ſic ſe gerunt. Aliqui enim reddunt benefactoribus ſuis bonum pro bono, &c. vt ſupra.

QVINTA PASSIONIS.

Rogabat Ieſum quidam Phariſæus, vt manducaret cum illo, &c. Luc. 7.

Luc. 7.

PRIMA INVENTIO EST,

IN holocauſto turturæ (de quo Leu. 1. *Offeret eam Sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet ſanguinem ſuper crepidinem altaris, veſiculam verò gutturis, & plumas proijciet propè altare, ad orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi ſolent. Confringetque aſcellas eius, & non ſecabit, neque ferro diuidet eã, & adolebit ſuper altare, lignis igne ſuppoſito. Holocauſtum, & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino*) perfectiſſimam Mariæ Magdalene conuerſionem præfigurari. Ipſa enim, quæ vera turtur (per turturem enim pœnitentes ſignari fidem faciunt Bern. ſuper Cant. Serm. 59. Greg. ſuper Cant. 1. Orig. ſuper Rom. 12. & D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 3.) tunc retorſit ad collum caput, cùm à conſideratione mundi, & deliciarum eius conuerſa eſt ad conſiderationem ſpiritualium. Quod innuit Euangeliſta, dicens: *Vt cognouit*. Tunc ruptum eſt vulnus fœdiſſimi peccati eius, & decurrit ſanguis peccatorum:

Leu. 1.

Bernar. cum ſeqq.

Pſal. 50. *Hieron. cum ſeqq.* *Libera me de ſanguinibus, &c.* in lachrymas conuerſus, vſque ad crepidinem altaris, hoc eſt, pedes Chriſti (Hieron. ſuper Ezech. 43. qui eſt verum altare, Aug. 1. q. in Euang. 34. Greg. ſuper Pſal. 50. Cyril. 4. ſuper Ioan. 28. Bern. Serm. 4. Omn. Sanct. & Iſych. ſuper Leu. 1. 4. & 8.) cùm, diuino telo in pectore transfixa, *lacbrymis cœpit rigare pedes eius.* Tunc veſicula gutturis eius proiecta eſt ſimul cum pennis vanarum cogitationum, cùm, ſummo Sacerdoti Chriſto, corde, & ſpiritu omnia ſua peccata confeſſa eſt, & formaliter iuſtificata. Vndè Chriſtus, ad eam conuerſus, tamquàm Sacerdos pœnitentem abſoluens, dixit ei: *Remittunt tibi peccata tua.* Tunc aſcellæ confractæ, cùm per affluentiam gratiarum, & donorum, ad peccandum rurſus, & prioribus culpis Deum offendendum, vires ademptæ, & per continuam pœnitentiam & carnis macerationem omnis humanus affectus mortificatus. Quæ, ſic reddita, ſuppoſito diuini amoris igne, concremata eſt, in holocauſtum, & oblationem ſuauiſſimi odoris Domino. *Dilexit enim multùm, & quæ prius frigida peccando remanſerat, poſt modum amando fortiter ardebat.*

Luc. 7. *Gregor. Hom.* 25. *in Euang.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

TVrtur, quamuis exile, & modicum animal ſit, præclaras nihilominus apud SS. PP. ſortitur myſticas, & ſymbolicas interpretationes. Per turturem enim diuinam ſapientiã, ab omni creata ſapientia ſeiunctam, à terreniſque eleuatam, & ſolitariam intelligit Philo: *Quis rerum diui. hæres.* Per turturem Chriſtum Orig. ſuper Cant. Hom. 1. & 4. Per turturem Eccleſiam idem Orig. ſuper Cant. Hom. 2. Arnol. ſuper Pſal. 83. & Aug. Hom. 33. Per turturem verbi Dei Prædicatores Greg. 6. Mor. 13. & 19. Mor. 24. Per turturem ſpirituales homines, ſublimiùs viuentes, contemplationique vacantes Iſych. Prol. ſuper Leu. Beda ſuper Gen. 15. Rup. 1. ſuper Leu. 7. & D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 3. Carnem cum bonis operibus Aug. ſuper Pſal. 83. Cautos in via Dei, & timidos ad cõmittendum peccatum Clem. Alex. 1. Pæda. 4. Gemitum cordis, & oris, caſtitatem, & lachrymas, & opera, ex gemina charitate procedentia Iſych. ſuper Leu. 5. & 15. Scientiam

Origenes. cum ſeqq.

ſpiritua-

ſpiritualem idem Iſych.ſuper Leu.1.& Euch.form.Spiri.5. Atque ita alij aliter.

Per turturem autem,ob gemitum,& alias conuenientias, ſignari pœnitentes,docent Bern.ſuper Cant.Serm.59.&c.vt ſupra.Præcipuè autem Magdalenam,figura Leu. 1.in promtu eſt,&c.vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

ACtionibus B.Mariæ Magdalenæ, dum, ad Deum conuerſa, acceſſit ad Ieſum, omnibus,quibus miſerrima eius anima indigebat,perfectè prouiſum eſſe,atque proſpectum. Quia enim illa peccandi finem non faciebat,& in deteriora ſemper prolabebatur,ſtatu indigebat,idcircò ſtetit:*Stans.* Quia refugio,& propugnaculo, contra iram Dei, quam tot peccatis contra ſe prouocauerat, opus habebat, idcircò poſt Chriſtum ſapienter ſe recepit: *Stans retrò*. Quia ad iratum Dominum non ſolùm placandum,ſed & ſibi reconciliandum,mediatore egebat,idcircò,non ad caput diuinitatis,ſed ad pedes humanitatis Chriſti mediatoris noſtri cucurrit: *Stans retrò ſecus pedes eius*. Quia mediator non ſuffeciſſet, niſi & ipſa de commiſſis peccatis doluiſſet, & prioribus malis actionibus oppoſitas bonas operata fuiſſet,idcircò *lacbrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*. *Luc.7. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

VEntilatum dubium,agitatiſſima quæſtio: Quid nam difficilius,loqui,vel ſilere. Silere difficillimum arbitratus eſt Pythagoras, qui ſilentij quinquennium diſcipulis ſuis indixit. Doctus ille,de quo Cicero in Lælio, pro nihilo ducturum ſe,aiebat,cœleſtium, & terreſtrium cogitationē, ſi de *Pythag. Arch.Tar. Cicero.*

ſi de mirabilibus viſis cum amicis conferre non potuiſſet. De Midæ tonſore referunt Poëtæ, quòd,cùm ſecretum,de aſininis auribus,ſibi commiſſum,tacere non poſſet, foſſam ingreſſus eſt,& proclamauit: *Aures aſininas habet Rex Midas.* Deindè foſſam terra adoperuit. Sed temporis ſucceſſu creuerunt illic arundines,quæ,commotæ,vocem,quam tonſor infoderat,reddiderunt. Quam tacendi difficultatem ſuprema(vt aiunt)manu confirmant Eccl.6.cap. vniuerſum hominis laborem in tacendo conſtituens: *Omnis labor hominis in ore eius.* Quòd autem difficilius ſit loqui, quàm tacere,ſunt ferè innumeræ Scripturæ, & PP.authoritates, propter periculum,verbo excidendi, atque ita, vel Deum, vel proximum offendendi. Vndè omnes Sancti rogant, vt à peccatis linguæ à Deo liberentur. *Lingua enim noſtra*, vt inquit Iac.ſuæ Can.3.cap. *ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis.* Quo in loco Glo. *Vniuerſitas iniquitatis lingua vocatur, quia per eam cuncta facinora,aut conantur, aut patrantur, aut defenduntur.* Quare idem Iac.vbi ſupra. *Si quis in verbo non offendit,hic perfectus eſt vir.* Et Eccli.14. *Beatus vir, qui non eſt lapſus verbo in ore ſuo.* Rogandum ergo: *Non declines cor meum in verba malitiæ,&c.* et: *Pone, Domine, cuſtodiã ori meo,& oſtium circumſtantiæ labijs meis.*

Eccl.6. Iac.3. Eccli.14. Pſal.140. Ibidem.

Prægrandis huius quæſtionis deciſionem, aut compoſitionem in medium proferre quàmuis ego non audeam.N. non enim tertius è Cœlo Cato ſum,aut Palæmon, vt tantã poſſim decidere,aut componere litem; in eam tamen partem ſemper inclinaui(meam in dicendo imperfectionem agnoſcens)faciliùs eſſe tacere, quàm loqui. Et tacuiſſem vtique ſemper,niſi obedientia oppoſitum mihi iniunxiſſet. Hodie verò multò lubentiùs, cùm de conuerſione B.Mariæ Magdalene agitur. *Cogitanti enim mihi* (vt Greg.verbis vtar) *de Maria Magdalene pœnitentia, magis flere libet, quàm aliquid dicere.Cuius enim vel ſaxeum pectus illæ huius peccatricis lacbrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant?* Sed Euangelici Concionatores, *qui omnibus omnia facti ſunt*,quique electi ſunt,*vt verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ diſpendant*,tacere,& ſoli ſibi viuere nequeũt. Ex debito ergo aſſumpti Apoſtolici muneris vnà vobiſcum ſermonem ego habere coactus.N.dicam,&c.vt ſupra.

Hom.33. in Euang. 1.Cor.9. Hil.Com. in Matth. c.26.

TERTIA

TERTIA INVENTIO EST,

IN verbis Iob,vlt.cap. *Auditu auris audiui te,nunc autem oculus meus videt te. Idcircò me reprehendo,& ago pœnitentiam in fauilla, & cinere*, Mariæ Magdalene conuerſionem perfectè deſcribi, eiuſque ordinem mirabiliter exprimi. Primò enim illa auditu auris audiuit famam Ieſu,nec non(vt aliquibus contemplatiuis placet)ipſummet prædicantem. A quo verbi Dei acutis iaculis in corde transfixa eſt. Secundò oculus eius mentalis vidit eum,ideò namque ait Euangeliſta: *Vt cognouit*. Tertiò,poſtquàm audiuit,& vidit,ſemetipſam reprehendit, ac propterea *lacbrymis cœpit rigare pedes eius,capillis capitis ſui tergebat,et oſculabatur pedes eius,& vnguento vngebat*. Tandem egit pœnitentiam in fauilla,& cinere,in eræmum ſola ſecedens,poſtquàm (in Maſſiliam iam nauigio miraculosè delata, vnà cum fratre Lazaro, S.Maximino,& S.Celidonio, qui fuerat cœcus à natiuitate, ac Marcella, pediſſequa Marthæ, qui omnes naui,ſine remigio,aut duce, mari expoſiti ſunt, & à Iudæorum finibus pulſi, vt tradunt Pet. de Nat. lib.1 cap. 72.S. Anton.p.1.tit.6.cap.19.§.1.& Democar.lib.1.de Miſſ. cont.Caluin.)Regem, & Reginam quàm plurimis miraculis ad Chriſti fidem conuertit, Aquenſem vrbem veritatis viam docuit, & multa mirabilia patrauit. Quo in loco, per triginta annos incognita permanſit, vbi nec aquarum fluenta,nec arborum,nec herbarum erant ſolatia. Cuius rei teſtes ſunt S.Antonin.vbi ſupra,Pet.in Catal.lib.6.cap.124. Acta Mariæ,Marthæ,& Lazari, nec non Francis.Petrar.lib. 14.Epi. Senil.Epi. vlt.in qua illius ſpeluncam ſe viſitaſſe dicit,& carmina quædam,ibi manens,pio affectu compoſuiſſe. Quorum initium:

Iob vlt. *Luc.7.* *Pet.de na.* *S.Anton.* *Democar.* *cont.Calu.* *S.Anton.* *Petrus.* *Acta Ma. Mart.& Laza.* *Fran.Pet.*

Dulcis amica Dei,lacbrymis inflectere noſtris,&c.

Ait enim infra:

Bis tria luſtra ſibi,nunquàm mortalis egentem,
Rupe ſub hac aluit.

Hic

Hic incluſa libens, longis veſtita capillis,
Veſte carens alia, ter denos paſſa Decembres
Diceris, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

FVtura bona, mundo, in aduentu Meſſiæ, ſuperuentura, explicans Dauid, Pſal. 71. inquit: *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Iuſtitia in illo formaliter, quia *fuit iuſtitia cingulum lumborum eius.* Iuſtitia effectiuè, quia peccatores iuſtos fecit, *replens eos fructu iuſtitiæ*. Iuſtitia diſtributiuè, reddens figuris veritatem, Deo honorem, &c. Iuſtitia punitiuè, *Principem huius mundi, & fortem armatū* eijciens, & puniens. Iuſtitia præmiatiuè, dans Sanctis ſuis, *vt edant, & bibant ſuper menſam ſuam in regno ſuo, &c.* Pax verò, *quia pacificauit per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris ſunt.* Pacificauit enim homines cum angelis, homines Hebræos cum Gentilibus, & vtroſque cum Deo. Vndè Pau. Ephe. 2. vocat Chriſtum pacem noſtram, ne dum pacificatorem, & mediatorem. *Nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, &c.*

Pſal. 71. *Eſa. 11.* *Philip. 1.* *Ioan. 12.* *Luc. 11.* *Luc. 22.* *Coloſſ. 1.* *Ephe. 2.*

Hanc iuſtitiam, & pacem oriri fecit in omnibus peccatoribus, quos, vel per ſe, vel per Apoſtolos ſuos, alioſque fideles conuertit. Iuſtitia enim in eorum conuerſione apparet, per formalem iuſtificationem, per mancipationem eorundem in obſequium Dei, cuius de iure ſunt, & per ſatisfactionem pœnalem, quam diuina iuſtitia requirit. Pax verò, in reconciliatione cum Deo, qui antè eos odio habebat, *ſicut & omnes iniquos*, & per reconciliationem cum proximo, quem in multis offendit peccator. Sed ſingulari quodam modo oriri viſæ ſunt iuſtitia, & pax in conuerſione Mariæ Magdalenæ, quæ per oſculum pedum pacem habuit cum Deo, & per cæteras ſuas operationes ſingularem quandam iuſtitiam oſtendit. Quæ omnia, verbis Iob ipſamet exprimens, & omnem à ſua conuerſione vſque ad finem vitæ, actionum ſuarum ſucceſſum enarrans, ad Chriſtum conuerſa, inquit: *Auditu auris audiui te, &c.* vt ſupra.

Pſal. 118. *Iob vlt.*

QVAR-

QVARTA INVENTIO EST,

DIuũ Lucam Euangeliſtam Mariæ Magdalene,tum auerſionem,tum conuerſionem
perfectiſſimè deſcribere. Auerſionem
quidem,quoniam, cùm quatuor peccati
grauitatem prodant,temporis diuturnitas,publicitas, multiplicitas, & vilitas,
hæc omnia in Mariæ Magdalene peccato concurriſſe ille demonſtrat. Antiquitatem, quia: *Erat*.
Publicitatem,quia: *In ciuitate*.Multiplicitatem, quia:*Peccatrix*. Vilitatem,quia peccatrix peccato carnis. Tenetur
enim communiter à DD. non ſolùm Magdalenam muliebri
vanitati ſubiectam fuiſſe,ſed etiam peccato carnis corporalite commaculatam.Vndè Hieron ad Furiam, tom.1. de vi- *Hieron.*
duit.ſeruan. non ſolùm peccatricem, ſed & mæretricem
illam vocat,dicens: *Mæretrix illa in Euangelio,baptizata
lachrymis ſuis,& crine,quo multos antè deceperat, pedes Domini tergens,ſaluata eſt.* Aug.etiam tom.10.Serm.4.ad fra- *Auguſt.*
tres in eræmo. *Serpens,* inquit,*pellem veterem, per ſingulos
annos, depoſiturus, anguſtum foramen inquirit, per quod
tranſiens,pellem derelinquit. In hoc foramine Maria illa,
mæretrix,in domo Simonis, mæretricis habitum depoſuit, &
plorans ad pedes Saluatoris, veſtem ſibi innouauit*. Chryſ. *Chryſ.*
quoque tom.2.Hom.49.in Matth. *Veniat tibi in mentem,*
ait, *mæretricis illius,quæ à menſa ita manſuetum Chriſtum
riddidit,vt Simonem increparet,dicens*: *Oſculum non dediſti
mihi.* Idem Hom.68.ſuper verbis illis Chriſti, Matth.21. *Idem.*
Publicani,& mæretrices præcedent vos in regnum cælorum,
id inſinuat, dicens: *Non audiſtis, quomodo illa mæretrix,
quæ omnes impudicitia ſuperauit, vniuerſos rurſus continentia,& virtute poſt ſe reliquit?Non dico illam*(inquit Chrys.)
*de qua in Euangelio ſcribitur,ſed hanc,quæ noſtra memoria,
&c.* Greg.tandem: *Quot ergo in ſe habuit oblectamenta,tot* *Gregor.*
*de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum,
numerum criminum, vt totum Deo ſeruiret in patientia,
quicquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. Sic igitur mæretrix*

trix effecta eſt boneſtior virginibus. Putatur tamen, inquit Ianſe. Concor. Euang. p.2.cap.48. *Magdalena non publica fuiſſe meretrix, ſed primùm traditam viro in caſtello Magdalo, cum eo aliquamdiu vixiſſe, poſteà verò voluptatibus ſeductam, marito, aut derelicto, aut mortuo, captam fœdo, & alieno amore, non publicè quidem ſe proſtituentem, ſed illicitis deditam amplexibus.* Quod (SS.PP. mentem exponens) dixit pientiſſimus Epiſcopus.

Ianſen.

Auerſione illius ita demonſtrata, conuerſionem etiam perfectiſſimam fuiſſe, oſtendit Lucas, tum ex intrepido eius inter conuiuantes ingreſſu, tum ex affluentia lachrymarũ, tum ex deſpectu capillorum, tum deniquè ex omnibus illis eius actionibus, quas in Euangelio commemorat. Non enim tantùm ipſamet ad Chriſtum eſt conuerſa, ſed omnia ſua Chriſti obſequio conſecrauit, & quæ priùs profanis vſibus deputauerat, ad ſacrum, & diuinũ vſum dedicauit, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DIuino excitatus ſpiritu, & ſecreto puriſſimo illapſu illuminatus Dauid, in gratiarum actionem linguam ſoluens, inquit, Pſal. 27. *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei*. Ac ſi diceret: Dominus, qui eſt adiutor meus, & protector meus, in quo nunquàm ſperauit cor meum, quin adiutus fuerim; cùm luxuriæ peccato fœdata, & corrupta eſſet caro mea, gratia, & miſericordia eius, qui me ad pœnitentiam conuertit, illa refloruit, & in nouam puritatem reparata, illius dignum habitaculum effecta eſt. Vndè ex tota voluntate mea confitebor ei, & pſalmum dicam nomini eius. Verba hæc Dauid pro Chriſto, ab aliquibus intelliguntur, cuius caro in natiuitate floruit, in paſſione aruit, & in reſurrectione refloruit, quemadmodum virga Aron, quæ primò virens, ſecundò areſcens, tertiò floreſcens deſcribitur. Ita aiunt Orig. ſuper Num. Hom. 9 ſuper Eſa. Hom. 3. & ſuper Cant. Hom. 2. & 3. nec non Hieron. ſuper Pſal. 27.

Pſal. 27.

Origenes. Hieron.

Tamẽ, quatenus noſtro deſeruit inſtituto, vt de Mariæ Magdalene perſona rectè intelligi poſſint, Euangelicus textus nobis

nobis ne dum facultatem tribuit, ſed etiam, vt intelligamus, inuitat, per ea, quæ de conuerſa peccatrice eloquitur. Computruiſſe enim, & in fœcibus emarcuiſſe Magdalene carnem, quatuor peccati eius conditiones fidem faciunt; videlicet, antiquitas, publicitas, &c. Refloruiſſe autem eandem, conuerſio eius perfectiſſima teſtatur, &c. Vndè ex voluntate ſua potuit confiteri Domino, & enarrare mirabilia eius, vt fecit, prædicando, poſt reſurrectionem Chriſti, &c.

QVINTA INVENTIO EST,

DVo conuiuia, vnum apertè, aliud tacitè deſcribere Lucam Euangeliſtam. Apertè deſcribit côuiuium factum Chriſto à Phariſæo: *Rogabat Ieſum quidam Phariſæus, vt manducaret cum illo, &c.* tacitè, conuiuium factum à Magdalena eidem Chriſto: *Et ecce mulier, &c.* In primo pauit Phariſæus Chriſtum corporaliter multùm imperfectè, nam *aquam pedibus Chriſti non dedit, oſculum non præbuit, oleo caput eius non vnxit.* Et quod peius eſt, conſolatus eſt corpus Chriſti, contriſtauit animam: Videns enim mulierem peccatricem ad pedes Domini, ait intra ſe: *Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* In ſecundo pauit Chriſtum mulier ſatis perfectè, quoniam mẽſa, ſuper quam ſtrauit, fuit conſcientia eius, de qua Eccli. 29. *Tranſi hoſpes, & orna menſam.* Panis, dolor, de quo Pſal. 126. *Qui manducatis panem doloris.* Caro, cor eius, aſſum igne diuini amoris: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Aqua, lachrymæ: *Lachrymis cæpit rigare pedes eius.* Vinum, compunctio: *Potaſti nos vino compunctionis.* Et præter hæc præſtitit, quæ Phariſæus omiſit. Lauit enim aqua oculorum pedes Chriſti, oſculum dedit eis, & vnguento eos inunxit. In quibus duobus conuiuijs (ſicuti, & in quolibet conuiuio fieri ſolet) collocutiones variæ pro horum conuiuiorum diuerſitate, acciderunt. *Simon, habeo tibi aliquid dicere, &c.* ecce primam primi conuiuij collocutionem. *Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua, &c.* ecce ſecundam ſecundi conuiuij.

Luc. 7. cum ſeqq.

Eccli. 29.

Pſal. 126.

Pſal. 59.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

HOſpitalitatem eſſe ſectandam, & Sacræ Scripturæ authoritas, & Sanctorum exempla, & rationes perſua-
Rom. 12. dent. *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes*, inquit Paul. Rom. 12. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc*
Heb. 12. *enim placuerunt quidam, angelis hoſpitio receptis*; inquit idem Heb. 12.

Et eſt ſecunda propoſitionis noſtræ probatio, per exempla nimirum Sanctorum, qui hoſpitalitatem ſectati ſunt. Ex quorum numero antiquitùs fuere Patriarcha Abraham,
Gen. 18. Gen. 18. Loth, Gen. 19. Iob, qui de ſe ipſo fatetur, 31. cap.
Gen. 19. *Foris non manſit peregrinus, & oſtium meum viatori patuit.*
Iob 31. Et nonnulli alij. Recens verò, D. Greg. hoſpitalitatem ſec-
Gregor. tans, angelos, & angelorum Dominum hoſpitio recepit. Idem lib. 3. Dialo. cap. 11 de S. Cerbonio Epiſcopo, quem, ob virtutem hoſpitalitatis, ab incurſu rabidi, & ſæuientis Vrſi, iuſſu Totilæ, Gothorum Regis, in eum immiſſi, mirabiliter
Vincent. ereptum fuiſſe, refert. Hiſque ſimilia exempla narrat Vincent in Spec. lib. 25. cap. 13. & ſequentibus, & alij quàm plu-
Aut. Spec. rimi, quos, magna ex parte, in vnum congeſſit Auth. Spec.
mag. exëp. magni exempl.

Ratio etiam idem perſuadet, tum per regulam, è princi-
Matth. 7. cipijs naturæ depromptam: *Quod vultis, vt faciant vobis*
Gen. 37. *homines, & vos facite illis*. Tum quia *quilibet homo caro, &*
Eph. 5. *frater noſter eſt, & nemo vnquàm carnem ſuã odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam.* Tum ratione vnionis membrorum in
Rom. 12. corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. *Multi enim vnum corpus*
1. Cor. 12. *ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Et, ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Sumus enim corpus Chriſti, et mẽbra de membro.* Tum ratione
Matt. 25. præmij, & pœnæ; hoſpitales enim audient: *Venite, benedicti*, inhoſpitales autem: *Ite, maledicti.*

Quæ hoſpitalitas, cùm & corporalis, & ſpiritualis ſit, vtriuſque exemplum à Luca in præſenti Euangelio proponitur, &c. vt ſupra.

SEXTA

SEXTA PASSIONIS.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum, &c. Ioan. 11.

Ioan. 11. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST.

PArtibus illis, quibus quodlibet rationis conſiliū conſtat, hoc Iudæorum, & quæcunque Rerum pub. conſilia conſtare. Cùm enim (iuxta doctrinam Ariſt. & Scholaſticorum) in vnoquoque rationis conſilio cõſultatio, veluti aliquid faciendi, vel non faciendi ratio excogitata, iudicium, & προαίρεσις, ſiue prælectio ſit, in hoc Iudæorum conſilio eſt conſultatio: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Eſt iudicium: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gẽs pereat.* Eſt tandẽ προαίρεσις, ſiue prælectio: *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.*

Ariſt. 3. Ethic. & alibi. Scholaſtici locis infra citatis.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DOctores Scholaſtici, tractantes materiam liberi arbitrij 24. & 25. d. 2. Sent. nec non Alex. Alen. 2. p. q. 72. Tho. 2. p. q. 83. & Soto de nat. & grat. à 13. cap. lib. 1. vſque 20. tres in parte rationali conſtituunt actus, conſultationẽ nimirum, ſiue conſilium, iudicium, & electionem. Conſultatio, & conſilium circa media, electio verò circa finem: Nemo enim conſultat; An debeat eligere beatitudinem, ſed de medijs, ad illam perueniendi; An, videlicet, per ſolitu-

Ale. Alen. D. Tho. Sotus.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

HOſpitalitatem eſſe ſectandam, & Sacræ Scripturæ authoritas, & Sanctorum exempla, & rationes perſuadent.
Rom. 12. *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes*, inquit Paul. Rom. 12. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc*
Heb. 12. *enim placuerunt quidam, angelis hoſpitio receptis*; inquit idem Heb. 12.

Et eſt ſecunda propoſitionis noſtræ probatio, per exempla nimirum Sanctorum, qui hoſpitalitatem ſectati ſunt. Ex quorum numero antiquitùs fuere Patriarcha Abraham,
Gen. 18. Gen. 18. Loth, Gen. 19. Iob, qui de ſe ipſo fatetur, 31. cap.
Gen. 19. *Foris non manſit peregrinus, & oſtium meum viatori patuit.*
Iob 31. Et nonnulli alij. Recens verò, D. Greg. hoſpitalitatem ſec-
Gregor. tans, angelos, & angelorum Dominum hoſpitio recepit. Idem lib. 3. Dialo. cap. 11 de S. Cerbonio Epiſcopo, quem, ob virtutem hoſpitalitatis, ab incurſu rabidi, & ſæuientis Vrſi, iuſſu Totilæ, Gothorum Regis, in eum immiſſi, mirabiliter
Vincent. ereptum fuiſſe, refert. Hiſque ſimilia exempla narrat Vincent in Spec. lib. 25. cap. 13. & ſequentibus, & alij quàm plu-
Aut. Spec. rimi, quos, magna ex parte, in vnum congeſſit Auth. Spec.
mag. exēp. magni exempl.

Ratio etiam idem perſuadet, tum per regulam, è princi-
Matth. 7. cipijs naturæ depromptam: *Quod vultis, vt faciant vobis*
Gen. 37. *homines, & vos facite illis*. Tum quia *quilibet homo caro, &*
Eph. 5. *frater noſter eſt, & nemo vnquàm carnem ſuã odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam.* Tum ratione vnionis membrorum in
Rom. 12. corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. *Multi enim vnum corpus*
1. Cor. 12. *ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Et, ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Sumus enim corpus Chriſti, et mẽbra de membro.* Tum ratione
Matt. 25. præmij, & pœnæ; hoſpitales enim audient: *Venite, benedicti*, inhoſpitales autem: *Ite, maledicti.*

Quæ hoſpitalitas, cùm & corporalis, & ſpiritualis ſit, vtriuſque exemplum à Luca in præſenti Euangelio proponitur, &c. vt ſupra.

SEXTA

Digitized by Google

SEXTA PASSIONIS.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum, &c. Ioan. 11.

Ioan. 11. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST.

PArtibus illis, quibus quodlibet rationis conſiliũ conſtat, hoc Iudæorum, & quæcunque Rerum pub. conſilia conſtare. Cùm enim (iuxta doctrinam Ariſt. & Scholaſticorum) in vnoquoque rationis conſilio cõſultatio, veluti aliquid faciendi, vel non faciendi ratio excogitata, iudicium, & προαίρεσις, ſiue prælectio ſit, in hoc Iudæorum conſilio eſt conſultatio: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Eſt iudicium: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gẽs pereat.* Eſt tandẽ προαίρεσις, ſiue prælectio: *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.*

Ariſt. 3. Ethic. & alibi. Scholaſtici locis infra citatis.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DOctores Scholaſtici, tractantes materiam liberi arbitrij 24. & 25. d. 2. Sent. nec non Alex. Alen. 2. p. q. 72. Tho. 2. p. q. 83. & Soto de nat. & grat. à 13. cap. lib. 1. vſque 20. tres in parte rationali conſtituunt actus, conſultationẽ nimirum, ſiue conſilium, iudicium, & electionem. Conſultatio, & conſilium circa media, electio verò circa finem: Nemo enim conſultat; An debeat eligere beatitudinem, ſed de medijs, ad illam perueniendi; An, videlicet, per ſolitu-

Ale. Alen. D. Tho. Sotus.

 dinem,

dinem, an per vitam ſocialem. In qua conſultatione circa media, hoc fit, vt duorum, quæ in conſilio proponuntur, rationes in medium afferantur, & quæ nam potiores ſint, collatione ipſa, diſcutiatur. Vt exempli cauſa: Eſt quis Hiſpanis Romã profecturus, & conſultat; An per mare; an per terram iter ſuum peragat. In hac conſultatione, quæ eſt circa media, conducentia ad finem (Romam) confert intellectus bona, & mala, commoda, & incommoda vtriuſque itineris. Poſt quam conſultationem, potioribus rationibus, vel eiuſmodi apparentibus ex vna parte repertis, venitur ad ſecundum actum, qui eſt iudicium, quod pertinet ad intellectum, ſicut & conſilium, puta, per terram iter eſſe arripiendum. Conſilio finito, & ſententia prolata, offertur voluntati iudicium intellectus, & tunc voluntas eligit, & determinat, vel quod intellectus faciendum eſſe iudicauit, vel oppoſitum illius, libera eſt enim.

Hæc eadem, quæ in operationibus rationalis partis, & in conſilio animæ accidunt, in vno quoque Reip. conſilio, procul dubio, reperiuntur. Eſt enim conſiliũ, in quo opiniones, & opinionum rationes diſcutiuntur. Eſt iudicium, dum ſic, vel ſic agendum eſſe, iudicatur. Eſt tandem electio, dũ, quod iudicatum eſt, ad praxim trahitur, & implendum ſtatuitur.

Fidem faciat coactum Iudæorum concilium contra Chriſtum, de quo hodie ſermonem habituri ſumus, hæc ita eſſe, vt dicimus. In concilio namque conſultationem apertè videmus, dum legimus: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, &c.* Iudicium, vel ſententiam, dum audimus: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo, &c.* Sententiæ tandem approbationem, in praxim redactam, dũ concluſum videmus: *Ab illo ergo die, &c.* vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

Ioan. 11. cum ſeqq.

Sententiam, in concilio Iudæorum latam contra Chriſtum: *Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat,* & iniuſtam, & iuſtam fuiſſe, pro vt diuerſa agentia prolationis eius conſiderantur. In Caipha enim, verba hæc proferente, & alijs conſi-

conſiliarijs, ſententiam eius approbantibus, duo motores fuerunt, intrinſecus, & extrinſecus. Intrinſecus propria eorum voluntas, morti Chriſti inhians, extrinſecus Spiritus Sanctus. Quam diſtinctionem affert Ioannes, dicens: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed, cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, &c.* Et Lucas, ex perſona Petri, Act. 4. *Conuenerunt enim verè in in ciuitate iſta aduersùs ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſraël, facere, quæ manus tua, & conſiliũ tuum decreuerunt fieri.* Cùm enim audis (*facere*) intrinſecum motorem, & agentem voluntatem iniquorum intellige. Cùm audis (*fieri*) motorem, & agens extrinſecum, Dei, ſcilicet, voluntatem, Chriſtum ad paſſionem ordinantem, aduerte. Ex parte ergo intrinſeci agentis, & motoris, nequiſſimæ, inquam, voluntatis Pontificum, & Phariſæorum, iniuſtiſſima fuit ſententia, ex parte autem Dei, extrinſecè agentis, & mouentis, iuſtiſſima. *Act. 4.*

Patet primum, tum ex parte totius concilij, liuore, & odio congregati (vt enim audierunt ab illo Lazarum reſuſcitatum, ſtatim, diabolico ſpiritu acti in furorem, conciliũ contra bonorum largitorem collegerunt: *Multi ergo ex Iudæis* (inquit Ioannes ſtatim poſt miraculi ſuſcitationis Lazari narrationem) *qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderunt, quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus. Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi concilium, &c.* Tum ex parte modi, ipſo enim inaudito capitalem ſententiam contra eum tulerunt. Cuius oppoſitum præcipiebat lex, Deut. 16. 17. & 19. Vndè, & Nicodemus, ille, qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipſis, dixit ad eos: *Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognouerit, quid faciat?* Immò Romanis ipſis Gentilibus conſuetudinem fuiſſe, audiendi reum, & defenſionem illi tribuendi, teſtis eſt Feſtus Præſes, qui, vt Act. 25. refertur, dixit Regi Agrippæ: *Vir quidam eſt derelictus à Felice vinctus* (loquebatur autem de Paulo Apoſtolo) *de quo, cùm eſſem Ieroſolymis, adierunt me Principes Sacerdotum, & ſeniores Iudæorum, poſtulantes aduersùs illum damnationẽ. Ad quos reſpondi* (ò dedecus, & ignominiã Iudæorum, diuina lege illuminatorum) *quia non eſt Romanis conſuetudo,*

cap. 11. *Deut. 16. 17. & 19.* *Ioan. 7.* *Act. 25.*

donare aliquem hominem, priuſquàm is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina. Tum ex pate cauſæ: *Quia multa ſigna facit.* Tum tandem ex parte Iudicum, qui non habebant ſupra
Ioan. 19. Chriſtum poteſtatem. Vndè dixit Chriſtus Pilato: *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet de-*
Iuriſperiti cõiter. *ſuper. Sententia autem à non ſuo Iudice lata eſt nulla.*

Ioan. 11. Patet ſecundum, varijs de cauſis, ſed præcipuè illis duabus, quas affert Ioannes in textu: *Quia Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed, vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

DAuid Regem typum fuiſſe Chriſti, præter authoritates
Auguſt. Aug. ſuper Pſal. 26. 33. 54. & 56. nec non ad Dulcitium.
Hieron. q. 8. & 22. cont. Fauſt. 27. & Serm. 107 Hieron. ſuper Eſa. 22.
cum ſeqq. Greg. 5. Mor. 29. Rup. 1. de diui. offi. 17. 1. ſuper Reg. 2. & 3.
1. Reg. 17. ſuper Reg. 25. ſunt etiam conuenientiæ: Quia, ſicut Dauid
cum ſeqq. fuit filius Iſai, qui interpretatur exiſtens, ita Chriſtus fuit filius æterni Patris, qui eſt verè exiſtens: quique, vt Iſai miſit filium ſuum Dauid ad inuiſendos fratres ſuos, qui erant in militia, ita ipſe miſit Chriſtum filium ſuum ad videndos
** Mich. 5.* fratres ſuos, militantes in præſenti Eccleſia. Sicut etiam
Matth. 2. Dauid de Bethlehẽ, domo panis, eſt ortus,* ita & Chriſtus
Ioan. 7. de Bethlehem, quæ, poſt eius natiuitatem, verè domus panis
Ioan. 6. dicta eſt, hoc eſt, domus Chriſti, *qui eſt panis vitæ, & panis*
1. Reg. 16. *viuus, qui de cœlo deſcendit.* Sicut Dauid vnctus eſt in Re-
Pſal. 44. gem, ſic & Chriſto ipſemet Dauit Pſal. 44. *Vnxit te Deus,*
1. Reg. 17. *Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Vt Dauid occidit
Auguſt. Goliath gigantem, ita & Chriſtus occidit diabolum, Aug.
1. Reg. 21. Serm. 197. Vt Dauid mutauit vultum ſuum coram Abimelech, & ſtultum ſe oſtendit, ita Chriſtus factus eſt Gentibus
1. Cor. 1. ſtultitia. *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapien-*
2. Reg 11. *tiam,* dicebat Paulus. Vt Dauid acceſſit ad Bethſabee, ita etiam Chriſtus Eccleſiæ ex Gentibus copulatus eſt: Vel le-

gi (priùs

gi (priùs carnali populo coniunctæ) ſpirituali intellectu ſociatus eſt, Amb. Apol. Dauid 3. Aug. 12. cont. Fauſt. 8. & Greg. 3. Mor. 41. Vt Dauid ſaluauit Aegyptium, ita Chriſtus ſaluauit peccatorem, Aug. q. in Gen. 154. Greg. Nyſſe. de vit. Moſ. Orig. ſuper Exo. Hom. 5. Amb. 2. de Abra. 4. Philo 2. Alleg. & de congreſſu, &c. ac Cryſ. ſuper 1. Cor. Hom. 15. Vt tandem Dauid multa perpeſſus eſt, ita & Chriſtus, Pſal. 56. 77. 121. 131. 142. 143. nec non Pſal. 17. 51. 52. 55. Eſa. 7. 22. & 55. Iere. 30. Ezec. 34. & 37. Oſe. 3. Amos 9. Cant. 4. & alibi ſæpè.

Ambr. cum ſeqq. *1. Reg. 30.* *à 1. Reg. 16. et deinceps Pſal. cum rel. de tex.*

Fuit tandem typus Chriſti in hoc, quòd eadem ſententia, & quaſi iiſdem verbis data fuit contra Dauid, & contra Chriſtum. Cùm enim Dauid fugeret à facie filij ſui Abſolō, & ille quæreret ab Achitophele, quid nam agendum, vt Dauid de medio tolleretur, reſpondit Achitophel, *perſequendum eſſe Regem deſolatum, & occidendum, & reducendum vniuerſum populum, quomodo vnus homo reuerti ſolet.* Cuius rationem reddens, ait: *Vnum virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.* Cùm etiam Chriſtus fugeret à facie irati Filij, Hebræi, per Abſalom figurati, inquantùm Chriſtum perſecutus eſt, Auguſt. ſuper Pſal. 3. Arn. ſuper eundem Pſal. Greg. ſuper Pſal. 142. & Rup. ſuper 2. Reg. 35. Et cùm inter ſe quærerent Pontifices, & Phariſæi: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* occidendum eſſe Chriſtum, concluſum eſt; & determinationis huius eandem, quam Achitophel contra Dauid, rationem attulit Caiphas: *Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Quæ quidem ſententia, diuerſimodè conſiderata, & iniuſta, & iuſta eſt, &c. vt ſupra.

2. Reg. 17. *Auguſt. cum ſeqq.* *Ioan. 11.*

TERTIA INVENTIO
EST,

VT ſaluti noſtræ, quæ in diſcrimen verſatur, proſpiciamus, ea omnia nobis agenda, & dicenda, quæ agunt, & dicunt hodie in Euangelio Pontifices, & Phariſæi. Colligendum, inquam (vt ſumus Pontifices, hoc eſt, vtentes ſuperiori rationis portione, Orig. ſuper Leu. Hom. 6. & Phariſæi, hoc eſt, di-

Origenes.

Rom. 1. eſt, diuiſi à cæteris nationibus, *& ſegregati in Euangelium Dei)* concilium, omnibus noſtris potentijs conuocatis. Et
Ioan. 11. dicendum: *Quid facimus, quia hic homo,* carnalis, & vetus,
Rom. cum rel. de tex. Rom. 6. Ephe. 4. 1. Cor. 3. & Orig. ſuper Rom. 3. & 6. ſuper Matth. Hom. 20. & ſuper Ezech. Hom. 1. Tert. de Reſur.
Origenes. cum ſeqq. Hieron. ſuper Soph. 1. Aug. ſuper Pſal. 8. Amb. ſuper Rom. 6. & Greg. 4. Mor. 17. *multa ſigna facit,* in deterius quoti-
Rom. 2. diè prolabendi, *theſaurizandi ſibi iram Dei,* & ad finalem perditionem perueniendi? *Si dimittimus eum ſic,* vt ſpiritui præualeat, nec corrigatur, ſed abſque pœnitentia decedat, *venient Romani,* hoc eſt, dœmones (Romani enim excelſi, & ſublimes interpretantur, quales ſunt dœmones, omnibus creaturis in naturalibus ſuperiores*) & tollent,* momentaneis hiſce delectationibus, *locum noſtrum* in paradi-
Ioan. 14. ſo, de quo Chriſtus: *Vado parare vobis locum,* & gentem ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, &c. *Expedit* (concludamus*)* noſtræ ſaluti, *vt vnus moriatur* mundo, carni, diabolo, vitijs, & peccatis *homo* carnalis, *& non tota gens* potentiarum, & ſenſuum interiorum, atque exteriorum *pereat* æterna damnatione, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

MAgnam eſſe Conciliorum vtilitatem, quotieſcunque recta intentione coguntur, & prudentes viri, ac timentes Deum ad illud conuocantur, fidem faciunt diui-
Prou. cum rel. de tex. næ, & humanæ Scripturæ: *Salus, vbi multa concilia,* Prou. 11. & 24. et: *Qui agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientia,* Prou. 12. & 13. *Veritatem tuam à concilio multo,* Pſal. 39. *Propterea ab initio confirmatus ſum, & conſiliatus ſum, & cogitaui, & ſcripta dimiſi,* Eccli. 39. *Multam inueni in me ipſo ſapientiam, & multum profeci in ea,* inquit idem cap. 51. cuius rationem affert, dicens: *Conſiliatus ſum enim, vt facerem illam, zelatus ſum bonum, & non confundar.* Et ſæpè ſæpius in libris Prou. Eccl. Sap. Eccli. Tob. Iob, & Pſal. Conci-
Exo. 7. & Eſa. 19. Eſther. 1. liorum, & conciliandi actus vtilitas inculcatur. Pharao, licèt praui, & indurati cordis, conſiliarios tamen habuiſſe legitur. Rex Aſſuerus, Sapientum, qui ex more Regio ſemper illi aderant,

aderant,ſcientes leges, ac iura maiorum, faciebat cuncta conſilio. Quod & de profanis Principibus per varia exempla probant Sophocles, Euripides,Plato, Senarius Græcus, Plutar.tom.3.Opus.A.Gell.lib.23.cap.17.Lamprid.in Alex. Seuero,Valer.lib.9.cap.5.& quàm plures alij. Solus enim Deus, inquit Chryſ.Hom.de feren.repreh.ex verbis Pau. Rom.11.*Quis cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? &c.*non indiget conſilio. Illi omni ſenſu,& diſcurſu deſtituti ſunt, ait Bern.lib.2.de conſid. qui nihil ſibi deeſſe exiſtimant.Immò Aug lib.14.de ciuit. Dei cap.13.affirmat, ſtatim,vt aliquis id,quod nouit,ſibi ſufficere perſuadet, cecidiſſe,&,in complacentia proprij conſilij, mox perditum eſſe hominem illum. *Sophocles. cum ſeqq.* *Chryſ. Rom. 11.* *Bernar.* *Auguſt.*

Quod cùm ita ſit,ſi etiam nos colligemus concilium,laudabilem,& ſatis proficuam exercebimus actionem, Spiritui Sancto,ac tot doctiſſimis viris,illo afflatis,morem gerentes: Immò,ſi omnia illa faciemus,dicemusque in bonum,quæ in malum Pontifices,& Phariſæos feciſſe,contra Chriſtum colligenda concilium,refert Ioannes in præſenti Euangelio,noſtræ ſaluti ſatis proſpectum erit. Dicamus ergo,coacto concilio, & conuocatis ad illud omnibus noſtris potentijs, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

Iiſdem rationibus, quibus locum, & gentē ſe perdituros dicebant Pontifices, & Phariſæi, ſi non occidebant Chriſtum, ſed liberum dimittebant: *Si dimittimus eum ſic,venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*, & locum, & gentem perdidiſſe illos,demonſtrandum.Quatuor potiſſimùm modis hanc conſequentiam: *Dimittimus Chriſtum,ergo venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*,ad mentem Iudæorum, probant SS.PP.& quomodo ex hoc antecedente: *Dimittimus Chriſtum*, ſequatur hoc conſequens:*Ergo venient Romani, & tollent, &c.*ad hominem oſtendunt. Primò ſic. *Si dimittimus Chriſtum, omnes*

credent in eum, credent & Romani, qui, poſtquàm crediderint, *tollent locum noſtrum, & gentem*. Tum, quia obedient illi, qui noſter inimicus eſt, inimicus noſtrarum traditionum, contrarius legi Moſis, violator ſabbati, &c. Tum, quia nos, qui in eum credere nolle decreuimus, quia ſcimus, quòd peccator eſt, peccatorum, & publicanorũ amicus, a vorax, & potator vini, b Galilæus, & à Galilæa Propheta, ſecundùm Scripturas, non ſurgit, vt inimicos legis, quam illi amplexi fuerint, & legiſlatoris, in quem illi crediderint, perſequentur, & tollent locum noſtrum, & gentem. At, ò diuinam ſapientiam, mundanam ſapientiam infatuantem, quia non dimiſerunt, ſed occiderunt Chriſtum, omnes crediderunt in eum (*in omnem enim terram exiuit ſonus Apoſtolorum, & in fines orbis terræ verba eorum*) crediderunt & Romani, & venerunt, & tulerunt locum, & gentem, vexillum crucis Ieroſolymitanis arcibus inferentes, &c.

Ioan. 9. Matt. 11. & Luc. 7. a Matt. 11. b Ioan. 7. Pſal. 18. et Rom. 10.

Secundò ſic. *Si dimittimus Chriſtum, omnes credent in eum* huius plebeculæ, & inſani vulgi, *non enim ex Principibus aliquis credit in eum, aut ex Phariſæis, ſed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt*, atque ita in duas diuidemur partes, & ſchiſma erit inter nos. Immò nunc aliqui dicunt, *quia bonus eſt, alij non, ſed ſeducit turbas*. Quòd, cum intelligent Romani (qui de re militari experti ſunt, & optimè norunt, tum ex hiſtorijs, tum longo agendarum rerum vſu, nullum inimicos nanciſci poſſe opportunius tempus, in hoſtes inſurgendi, quàm cùm ciuile bellum in proprios ciues graſſatur, & diſſidium eſt inter eos) *venient, & tollent locum noſtrum, & gentem*. At, ò diuinam iuſtitiam, & defectionem ſcrutantis ſcrutinij, quia non diuiſi ſunt à populo, & plebe ſua, ſed illos in propriam ſententiam protaxerunt, *quia conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius; quia conuenerunt aduerſus ſanctum puerum Dei Ieſum Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſraël; quia omnes clamauerunt: Non habemus Regem, niſi Cæſarem, nolumus hunc regnare ſuper nos*, & petierunt inſtantiſſimè vno ore: *Crucifigatur*, idcircò venerunt Romani, & tulerunt locum, & gentem.

Ioan. 7. Ioan. 9. Pſal. 63. Pſal. 2. Act. 4. Ioan. 19. Luc. 19. Matt. 27.

Tertiò ſic. *Si dimittimus Chriſtum, omnes credent in eum*, & pro Meſſia, & Chriſto, in lege promiſſo, illum habebunt. Meſſias, quòd debeat eſſe Rex Iſraël, expreſſiſsimè in Scri-

pturis

pturis habetur,quod nec turbæ quidem ignorant;nam,poſtquàm illas * in monte (miraculoſè,vt dicunt) cibauit,venerunt,vt raperent eum, & Regem crearent. Vndè,cum in eum crediderint,Regem illum ſalutabunt, & Regem Iſraël nominabunt. Alium tentare Regem conſtituere, Romanis maximè diſpliciturum, non dubitandum, rebellionis enim apertiſſima declaratio. Quare,tanta nouitate in iram concitati,maximo cum exercitu venient, & quia nobis potentiores ſunt,*tollent locum noſtrum,& gentem.* At, ò diuinam diſpoſitionem, & humanam nequitiam, quia Chriſtum, tamquàm verum Meſsiam,& Regem Iſraël non receperunt, ſed crucifixerunt,regnauit ſuper eos, regnauit & ſuper Romanos,omneſque nationes (ideò namque titulus: *Ieſus Nazarænus,Rex Iudæorum,ſcriptus Hebraicè, Græcè,et Latinè*) & Romani,ne dũ infeſtum hunc Regem non habuerunt, ſed pedibus eius diadema,& ſceptrum ſuppoſuerunt, in Regem ſuum receperunt, & Iudæos, qui illum reiecerunt, & occiderunt,perſecuti ſunt,venerunt,& tulerunt locum, & gentẽ. Dan.7. Mich.4. & Luc.1. & alibi ſæpè. * Ioan.6.

Quartò ſic. *Si dimittimus Chriſtum,omnes credent in eũ.* Qui in eum credunt,doctrinam eius amplectuntur, non reſiſtendum eſſe malo,diligendos inimicos,benefaciendum his, qui oderunt nos,auferenti pallium, dandam eſſe etiam tunicam,percutienti in vna maxilla, præbendam eſſe ei & alteram,& iſtiuſmodi inſana, & riſu digna præcepta obſeruant, ab illo tradita. Romani hoc, illorum,qui crediderint in eum,inſtitutum, & viuendi normam audient, & capta huius profeſſionis opportunitate, venient, & populum, hac doctrina dementatum, eiſque nedum malum non redditurum, ſed nec reſtiturum, opprimẽt,& *tollent locum noſtrũ, & gentem.* At, ò diuinam bonitatem, & deteſtabilem malitiam hominum, quia hanc legem,quæ illis ſtulta videbatur, non receperunt, ſed (ſemper rebelles, vindictam inferentes, iniurias trutinantes, offenſas exenterantes, perſequentes, ſanguinem effudentes,ſanctos Dei occidentes) fecerunt in Chriſtum quæcunque voluerunt,Romani, omneſque nationes cœleſtem, & fundatiſſimam hanc doctrinam amplexi ſunt, & miraculoſè,Deo adiuuante,ſtultitiá crucis illi præualuerunt, de inimicis hoc ſigno victoriam reportarunt, & ad eos, viros ſanguinum venerunt, *& tulerunt locum, & gentem.* Iac.5. Matth.5. Ibidem.

Intro-

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SIne Deo, eiuſque conſilio omnia humana ſtudia diligen-
tias, & conſilia, vana, & erroribus plena, vbique loco-
rum, & temporum extitiſſe, ex diuinis litteris, & cuiuſuis
conditionis, aut religionis Hiſtoricis compertum habemus.
Eſa.8. *Inite conſilium, & diſſipabitur, loquimini verbum, & non*
Eſa.30. *fiet*, inquit Deus per Eſa.8. cap. Et clariùs cap. 30. *Væ filij*
deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex
me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, &c.
Iob 5. Nec mirum, quoniam *apprehendit Deus*, inquit Iob 5. cap.
1.Cor.3. & Paul. 1. Cor. 3. *Sapientes in aſtutia eorum, & conſilium*
prauorum diſſipat. Per diem incurrent tenebras, &, quaſi in
Eccl.27. *nocte, ſic palpabunt in meridie.* Et Eccl. 27. *Facienti nequiſ-*
ſimum conſilium, ſuper ipſum deuoluetur, non agnoſcet, vn-
Gen.37. *dè adueniat illi.* Quid profuit fratribus Ioſeph vendidiſſe in-
nocentem puerum Iſmaëlitis, ne regnaret ſuper eos? Do-
minus Aegypti factus eſt, & apprehendit Deus eos in aſtu-
tia eorum. Quò tandem omnes Pharaonis diligentiæ, & co-
Exo.per natus, ad opprimendum populum Dei, peruenerunt? quoti-
multa cap. die magis, magiſque ille multiplicabatur, & creſcebat; in
manu forti, & brachio excelſo eduxit illum Dominus de
Aegypto, & Pharaonem cum omni exercitu ſuo proiecit
in mare rubrum. Inſidiæ, & calumniæ Principum Chaldæo-
Dan.6. rum contra Danielem, ne dum illi damnum non intulerunt,
ſed, vt clariùs eius prouidentia, ſapientia, & bonitas agno-
Heſter per ſceretur, in cauſa fuerunt. Conſilium Aman cum vxore, fi-
multa cap. lijs, & amicis ſuis, de Mardochæo perdendo, ne dum non
impletum eſt, ſed diſſipatum, ſed Aman in eadem furca, quã
2.Reg.15. Mardochæo ille parauerat, ſuſpenſus eſt. Longum Abſolo-
et deinceps mi ſtudium, & diligentia, quibus Hebræorum animos ſibi
conciliare curauit, & eorum corda ſollicitare, vt tandem
optato regno potiretur, tot actionum, & laborum machi-
na, tam longa, tantoque conatu fabricata verſutiarum, &
ſtudiorum tela, quid tandem fecit? ad quid peruenit, niſi,
vt capillis in arbore ille ſuſpenderetur, & tribus lanceis in
corde transfixus, miſerrimè deperiret. Nec mirum quidẽ:

Cogita-

Cogitauerunt enim conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire, & exacerbauerunt Deum in conſilio ſuo. Vndè, quia *Deus impiorum conſilium præcipitat, perire facit conſilium à filijs hominum, & inutilem reddit ſapientiam eorum*, *nec non diſſipat conſilium Iuda, & Ieruſalem*, bonum eſt conſilium Tobiæ, quod, inter alia multa, dedit filio ſuo: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant*: *Orandum eſt enim*, iuxta doctrinam ſanctiſſimæ fœminæ Iudith, *vt firmũ faciat Deus conſilium noſtrum*. Et ad Deum recurrendum, quia ſolùm apud ipſum eſt bonum conſilium vt teſtatur Iob 12. cap. dicens: ***Apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo, ipſe habet conſilium, & intelligentiam.*** Et, quod maius eſt, conſilium eius ſtabile eſt: *Conſilium Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione, & generatioñem*, inquit Dauid Pſal. 32. Vndè, quòd non aliud verum conſilium dici poſſit, quàm ſuum, vel ſuo ſpiritu initum, gloriatur ipſemet Deus, Prou. 8. *Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Pſal. 20. Pſal. 105. Eſa. 19. Iere. 49. Tob. 4. Iudith 18. Iob 12. Pſal. 32. Prou. 8.

Sed caſus in terminis eſt in Euangelio Ioannis, quod hodie S. Eccleſia proponit. Pontifices enim, & Phariſæi contra Chriſtum conſilium colligentes, & non ex Deo, immò contra Deum ipſum, & determinantes, *expediens eſſe, vnum hominem mori pro populo, & non totam perire gentem*, prauũ conſilium collegerunt, peſſimam ſententiam dederunt, & id, quod vltimum Hebraici generis exterminium, & deſtructio fuit, concluſerunt. Sed, vt meliùs propoſitum oſtendamus, rationem, quæſo, exenteremus, & ſapientiam examinemus, qua, Chriſtum eſſe occidendum, ſenſerunt, & determinarunt. Ex hoc enim apertiſſimè videbitur, defeciſſe ſcrutantes ſcrutinio, & obſcuratum eſſe, ſine Deo, inſipiens cor eorum. Omne robur, tota vis determinationis huius concilij, in quo de morte Chriſti concluſum eſt, ſtat in hac ratione: *Si dimittimus Chriſtum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*. Ratio hæc quomodo induéatur, & quomodo ex antecedente conſequens ad eorum mentem inferatur, quatuor potiſſimum modis oſtendunt SS. PP. &c. vt ſuprà. Pſal. 18. Rom. 1.

QVIN-

QVINTA INVENTIO EST,

AN conciliandum. Et ſi conſiliandum, quibus cum conſiliandum, in hac Inuentione diſcurrendum. Conſiliandum eſſe docent, & Philoſophi, & Theologi. Philoſophi quidem, Ariſt. 1. Perier.cap.6.& 3. Eth. c.3 Plut.in Apopht. Lacon. Lampr. in Seue. Plato in Theog. ſiue de ſapien. in princ. Saluſth.idem Ariſt.in Rhet.ad Alex.in Epi.operi præfixa, & alij quàm plurimi. Theologi verò D. Tho.2.2.q.49. art.3. Aug. lib.14. de ciuit. Dei cap. 13.Bern.lib.2. de conſide. Chryſ. Hom.de feren. repreh. & alij,& nouiſſimè,maximæ eruditionis Card.Gab.Paleot. lib. de Sacr.Conſ.conſul. p.1. q.1. Idque his potiſſimùm de cauſis. Ob imbecillitatem humani intellectus, cuncta rimari non valentis. Ob vim, impetumque paſſionum, quæ ne dum intellectum obcœcare ſolent, ſed & voluntatem ſecum rapere. Ob damnum, quod ex immatura noſtra deliberatione, & proximo, & nobis inferre poſſumus. Ob diuinam determinationem,vt vnus homo ab altero erudiatur. Et ob diuerſitatem mediorum, ad vnum finem perueniendi,quæ in multorum conſultationibus erumpunt, ad rem dignè, & laudabiliter peragendam.

Ariſtot. cum ſeqq.

Conſultandum deinde cum his, qui illis conditionibus præditi fuerint, quas docet Ariſt. lib.2. Rhet. ad Theodect. cap.21. videlicet,prudentia,amicitia, & virtus: Prudentia, vt homo,qui conſilium dat,ſapiens ſit, & expertus. Amicitia,tum reſpectu noſtri,tum reſpectu conſilium dantis: Noſtri quidem,quia faciliùs credimus his,quæ ab amico dicuntur,& in noſtram vtilitatem proponuntur: Reſpectu verò conſilium dantis,vt nobis proficuum, & non pernicioſum ſit conſilium. Virtus deindè, quia conſilium, à virtute procedens, maximam vim habet, & nemo ſe decipi credit ab eo, quem probum virum, & Deum timentem exiſtimat. Idem Ariſt.lib.5.Polit.cap.9.& Plato in Gorg.ad perfectionem,& complementum omnium humanarum actionum tria neceſſaria eſſe docent,videlicet, ſcire, velle, & poſſe,aut (vt dixit

Ariſtot.

Idem. Plato.

Digitized by Google

dixit Bal. L. multum. C. ſi quis alte. vel ſibi) ſcientia, potentia, & voluntas. Quæ quidem tria in perfecto conſiliario deſiderantur, nam horum trium vno deficiente, conſilium perniciosum erit, aut ſaltem non proficuum, vt conſideranti patet. Vel (vt inquit Greg. Nazian. in Carm.) experientia, charitas, & libertas. Quæ metricè exprimens, ait: *Baldus.* *Gre. Naz.*

Nam terna cùm ſint, vt vetus ſenſit cohors,
Pollere debet optimus monitor, quibus,
Rerum vſus, ingens charitas, os liberum;
In me requires prorſus ex tribus nihil.

Experientia quidem; nam (vt inquit Cic. lib. 2. de Orat.) plena, & perfecta Reip. cognitio, vel in primis, in conſiliario deſideratur. Charitas deinde, nam (vt inquit Greg. lib. 1. Epi. 33.) nemo maiori fide, & vtiliùs conſilium dare poteſt, quàm ille, qui te, & non tua diligit. Et charitate præditum, timendum non eſt, in bonum finem, pro gloria Dei, & proximi vtilitate, bonum conſilium non daturum. Libertas deniq́ue; nam illa neceſſaria eſt, vt, quæ, pro Dei gloria, & proximi vtilitate, dicenda ſunt, intrepidè, & abſq́ue vllo humano reſpectu dicantur. Vel, vt bimembrem diuiſionem faciamus, illa duo in conſiliarijs requiri dicemus, quæ in præpoſito domus ſuæ requirit Chriſtus, Matth. 24. *Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, &c.* Et rurſus cap. 25. *Euge ſerue bone, & fidelis, &c.* Quæ hac tria reddunt, prudentiam, amicitiam, & bonitatem. Dicendum ergo ad hæc conſequenter, &c. *Cicero.* *Gregor.* *Matt. 24. & 25.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Naturales, & corruptibiles creaturæ, quia ex contrarijs compoſitæ, & propria conditione caducæ, ſtatim interirent, niſi Deus, earum conditor, conueniens vniuſcuiuſq́ue naturæ nutrimentum ſingulis applicaſſet, & per interrupta cōcilia illorum eſſe nō conſeruaret. Patet primum authoritate Dauid: *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum, inuocantibus eum. Qui dat eſcam omni carni, &c.* Et Chriſti teſtimonio: *Conſiderate lilia agri, &c.* Et rurſus: *Conſiderate coruos, quia non ſeminant, &c.* Patet ſecundum, *Pſal. 146.* *Pſal. 135.* *Luc. 12.*

dum, conſideratione multorum in vnum conuenientium, vt mundus, mundique creaturæ in ſuo eſſe permaneant. Nobiliores.n. Cœli partes, Sol, Luna, Aſtra, Planetæ, quaſi cōciliū faciunt, in hæc inferiora influentes. A quo cùm aliqua maligna ſtella recedit, & ſchiſma facit, inde ariditates, diluuia, infirmitates, &c. Elementa quoque quaſi concilium agunt, dum ad elementatorum eſſe, & conſeruationem cōcurrunt. A quo cum aliquod ſchiſmaticum elementum diſſidet, nolens ab alijs debitum temperamentum accipere, tunc (ruptis amicitiæ, bonique fœderis vinculis) compoſitorum interitus. Hæc noſtra humana, fragiliſque vita, tota varijs, diſſimilibuſque partibus conſtans, quando vnquàm ſana, incolumis, & permanens, niſi quando partes in concilio ſtant, nexumque naturali adinuicem iunguntur? Caro, oſſa, ſanguis, venæ, arteriæ, nerui, ſpiritus animales, vitales, naturales quid aliud ſunt, in vnum conuenientes, niſi concilium quoddam? Concilium repræſentant aues, piſces, beſtiæ in vnum congregatæ. Concilium, pratorum, camporumque flores, arbores terræ, res cunctæ, inter ſe ipſas, & ad vnum primum reſpectum habentes.

Quomodo ergo homines, materialibus omnibus ſuperiores, non conciliabuntur? Vndè, pro maximo inconuenienti, intulit aliquando Ariſtot. *Ergo non expedit conciliari, &c.* Videbimus igitur, &c. vt ſupra.

1. Perier.

SABBA-

SABBATO PASSIONIS.

Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficeret, &c. Ioan. 12. *Ioan. 12.*

PRIMA INVENTIO EST,

SVſcitationis Lazari inſigne miraculum quinque, illud concomitantibus, illuſtrari. Conuerſione multorum Iudæorum: *Multi ergo ex Iudæis, qui venerant, quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum.* *Ioan. 10. cum ſeq.* Celebris conſilij, ob illud, collectione: *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus. Collegerunt ergo, &c.* Iudæorum defectione à Scribis, & Phariſæis, aliiſque Synagogæ Principibus ad Ieſum: *Ioan. 11.* *Multi propter Lazarum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.* *Ioan. 12. cum ſeq.* Cœca, & ſtulta cogitatione Principum & Sacerdotum, *vt Lazarum interficerent*. Et glorioſo applauſu, quo in Ieruſalem exceptus eſt Chriſtus, propter hoc miraculum: *Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarū vocauit de monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis. Propterea, & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVot ſunt in Chriſto, filio Dei, perfectiones, tot & nominibus illum appellare poſſumus. Vnumquodque enim illorum aliquam ipſius excellentiam, & proprietatem exprimit. Vndè non mirum (cùm infinitæ in illo ſint perfectiones)

dum, conſideratione multorum in vnum conuenientium, vt mundus, mundiq́ue creaturæ in ſuo eſſe permaneant. Nobiliores.n. Cœli partes,Sol,Luna,Aſtra,Planetæ,quaſi cōciliū faciunt, in hæc inferiora influentes. A quo cùm aliqua maligna ſtella recedit,& ſchiſma facit,inde ariditates, diluuia, infirmitates, &c. Elementa quoque quaſi concilium agunt, dum ad elementatorum eſſe, & conſeruationem cōcurrunt. A quo cum aliquod ſchiſmaticum elementum diſſidet, nolens ab alijs debitum temperamentum accipere, tunc (ruptis amicitiæ, boniq́ue fœderis vinculis) compoſitorum interitus. Hæc noſtra humana, fragiliſq́ue vita, tota varijs, diſſimilibuſq́ue partibus conſtans,quando vnquàm ſana,incolumis, & permanens, niſi quando partes in concilio ſtant, nexumq́ue naturali adinuicem iunguntur? Caro, oſſa, ſanguis, venæ, arteriæ, nerui, ſpiritus animales, vitales, naturales quid aliud ſunt, in vnum conuenientes, niſi concilium quoddam? Concilium repræſentant aues, piſces, beſtiæ in vnum congregatæ.Concilium,pratorum,camporumq́ue flores, arbores terræ, res cunctæ, inter ſe ipſas, & ad vnum primum reſpectum habentes.

Quomodo ergo homines, materialibus omnibus ſuperiores,non conciliabuntur? Vndè,pro maximo inconuenienti,intulit aliquando Ariſtot. *Ergo non expedit conciliari, &c.* Videbimus igitur, &c.vt ſupra.

1. *Perier.*

SABBA-

SABBATO PASSIONIS.

Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficeret, &c. Ioan. 12. *Ioan. 12.*

PRIMA INVENTIO EST,

SVſcitationis Lazari inſigne miraculum quinque, illud concomitantibus, illuſtrari. Conuerſione multorum Iudæorum: *Multi ergo ex Iudæis, qui viderant, quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum.* *Ioan. 10. cum ſeq.* Celebris conſilij, ob illud, collectione: *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus. Collegerunt ergo, &c.* *Ioan. 11.* Iudæorum defectione à Scribis, & Phariſæis, alijſque Synagogæ Principibus ad Ieſum: *Multi propter Lazarum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.* *Ioan. 12. cum ſeq.* Cœca, & ſtulta cogitatione Principum & Sacerdotum, *vt Lazarum interficerent*. Et glorioſo applauſu, quo in Ieruſalem exceptus eſt Chriſtus, propter hoc miraculum: *Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarū vocauit de monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis. Propterea, & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVot ſunt in Chriſto, filio Dei, perfectiones, tot & nominibus illum appellare poſſumus. Vnumquodque enim illorum aliquam ipſius excellentiam, & proprietatem exprimit. Vndè non mirvm (cùm infinitæ in illo ſint perfe-

ctiones)

Cōſule pro his Conc. Bibl. & Sylu. Alleg.

ctiones) ſi multis, varijſque in ſacra Scriptura nominibus nuncupatur. Appellatur enim principium, lux, lumen, ſapientia, verbum Dei, & vitæ, ſermo, os, manus, bracchium, angelus, oriens, princeps, rex, ſacerdos, veritas, via, vita, lex, propitiatio, & ſexcentis nominibus, quorum ſufficientiam in tabulis analyticis generalibus totius ſacræ Scripturæ, Concordant. præfixis, inueniet Eccleſiaſtes.

Tamen, quamuis tot, tantiſque nominibus appelletur, quaſi vnicum ſit eius nomen, vel ſaltem hoc inter omnia magis excellens, terribilem, & auferentem ſpiritum Principum appellat eum, Dauid, cùm Epiſtolam quandam D. eius

Pſal. 75. M. mittens, inſcriptionem à tergo ita formauit: *Terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud Reges terræ.* Sicut enim, quando alicui Epiſtolam ſcribimus, magis præclarum titulum illius in inſcriptione ponimus, ita Dauidem cum Deo feciſſe non ambigendum. Cur autem terribilem apud Reges terræ, & auferentem ſpiritum Principum voluerit Deum appellare Dauid, & hoc ſuper omnes alios eum titulo donare, hæc fortaſſis cauſa eſt, quia, ſicut, pro ſtatu iſto, potiſſima Deum cognoſcendi via eſt per effe-

Rom. 1. ctus: *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, &c.* & inter homines, nullus poteſtatis diuinæ inſignior, & euidentior effectus, quàm is, qui ſupra Principes eſt, omnibus hominibus ſuperiores, hinc eſt, quòd videntes homines, ſupremòs

Iob 4. inter ipſos, *flante Deo perire, & ſpiritu iræ eius conſumi*, illum maximè reuerentur, & de diuina eius eximia potentia altiſſimè ſentiunt, humillimèque ei ſubduntur. Quod, & antiquis experimentis, & præſentibus exemplis optimè noſcēs Dauid, vnus ex Principibus, hoc (Deo ſcribens) apertè confitetur, dicens in inſcriptione Epiſtolæ, illi miſſæ: *Terribili, &c.* Adde: Eò magis id illum feciſſe, vt, quod erat contra ſe, & quod, vel occultare, vel ſaltem non ita liberè confiteri eum debuiſſe, aut voluiſſe, cogitari poterat, libens humillimè fateretur, Deo debitum honorem tribuens, & præclariſſima apud homines gloria illum non fraudans.

Hoc erat antiquo tempore nomen, & titulus eius, quan-

Pſal. 93. do *Dominus, erat Deus vltionum, viſitans iniquitates, &c.*

Exo. 20. At nunc, tempore gratiæ, quando iam factus eſt *Pater mi-*

1. Cor. 1. *ſericordiarum, & Deus totius conſolationis,* ſi aliquis ad eum Epiſtolam tranſmittere vellet, aliam inſcriptionem eum re-

perire

perire neceſſarium foret, vt titulum, ſibi magis gratum, &
magis competentem operibus eius, illi tribueret. Deberet autem, meo iudicio, oppoſitum Dauidico titulo titulum reperire, & illum in epiſtolæ inſcriptione ponere, dicendo: *Miti, & humili corde, ſpiritum, & vitam tribuenti.* Matt.11.
Ait enim, quò ad primam inſcriptionis partem, ille de ſe: Ioan.6.
Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Et, quò ad ſecundam. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeãt.* Ioan.10.
Verum eſſe, quod in prima parte ei tribuo, fidem facit
Pet.1.ſuæ Can.2.cap.dicens: *Qui cùm malediceretur, non* 1.Pet.2.
maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè. Verum eſſe etiam quod in ſecunda ponitur, mortui ab illo reſuſcitati teſtimonium perhibent. Et præcipuè Lazarus, qui non ſolùm mortuus, ſed & quatriduanus, & fœtens deſcribitur. Cuius hiſtoriam cùm ſuperioribus diebus ex Ioanne S. Eccleſia propoſuerit, hodie circumſtantias, & ſubſequentes quaſdam actiones, illud magis conſpicuum, & celebre reddentes, ex eodem Ioanne proponit, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST.

COgitant Principes Sacerdotum, vt Lazarum interficiant. Cum exultatione, & cordis iubilo Chriſtum excipit turba. *Hoſanna* lçtis vocibus reſonat in ore populorum. Et hæc omnia myſteria Pſal.15.
comprehendit Dauid, dicens: *Prouidebã* Pſal.15.
Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea Quandoquidem: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear*, ecce Lazari liberationem à Principibus Sacerdotum, eum occidere cogitantibus. *Lætatum eſt cor meum*, ecce turbæ exultationem in aduentu Filij Dauid, ſuper aſinam, & pullum ſedentis. *Et exultauit lingua mea*, ecce cõfeſſionis, & laudis vocem; ſcilicet: *Hoſanna, &c.*

Digitized by Google

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Num.27. QVemadmodum Moſes, vt refertur Num.27.maximo cordis affectu orabat Dominum, vt dignaretur, hominem,omnibus numeris abſolutum,& vndequaque perfectum prouidere populo ſuo, qui præeſſet illi, cunctos eius actus in viam ſalutis dirigendo, eosque,vt dux,& paſtor,ſapientiſſimè in vltimum finem,ea,qua decet,ratione ordinanando: ***Prouideat Dominus, Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante eos, ne ſit populus iſte,ſicut oues abſque paſtore;*** ita hæc eadem ſæpè ſæpiùs, in ſpiritu humilitatis, pro populo Dei, & ego inſtanter Chriſtum rogaui, imbecillitatem meam agnoſcens, qua impotens ſum, ne dum populum vnũ, ſed neque minimum quemuis fidelium verbo ſimul,& exemplo paſcere, intrare, & exire ante eos,& in magnis difficultatibus docere, inſtruere, & in vltimum ſalutis terminum tutiſſima via perducere. Sed tunc ardentiùs, omnibuſque votis huic non ſubeſſe oneri concupiſco, & à tanto Apoſtolico munere alienum eſſe exopto, cùm Ioannis Euangeliſtæ altiſſimam doctrinam, profundiſſima myſteria pertractare mihi contingit. Eſt enim ita in verbis obſcurus,in ſenſu profundus, in myſterijs altus, in ſacramentis copioſus, in varietate frequens, & in copia abundans, vt potiùs lectorem obruat, exterreat & implicet, quàm peruium ſe ſe,& mortalibus viribus intelligibilem præbeat. Tantæ difficultatis fidem hodie faciat mihi Euangelij eius fragmentum hoc, quod præ manibus habemus, Concionatoribus, fidelibus populis exponendum, ab Eccleſia propoſitum. In quo cogitationes prauæ Pontificum Synagogæ, de Lazaro occidendo,exprimuntur: Lætitia turbarum, Chriſtum excipientium,deſcribitur, &c. Quæ quidem omnia tantæ magnitudinis myſteria ſunt, vt illa mei naturalis intellectus acumen ſatis, ſuperque exſcedere animaduertens,ad orationem ſolito feruentius refugerim,Dominum obſecrans, vt *confeſſori*
Eccleſ in off. S.Cle. *ſuo fontis venam aperire dignaretur*. Et quia *propè eſt Do-*
Pſal.144. *minus inuocantibus eum in veritate,* Dauidis auxilium, mihi cœli-

hi cœlitùs miſſum, agnoui, ad euangelicam altiſſimam ſapientiam aliqua ex parte intelligendam. Is enim Pſal. 15. principalia, propoſiti ab Eccleſia Euangelij, complectitur, dicens: *Prouidebam Dominum, &c.* vt ſupra. *Pſal. 15.*

TERTIA INVENTIO EST,

QVia legimus in præſenti Euangelio, quòd *multi propter Lazarum, abibāt ex Iudæis, & credebant in Ieſum*, & veriſimile eſt (cùm ſtatim reſuſcitatus Chriſtum interrogauerit; an eum iterū mori oporteret, & de cætero nunquàm riſit, vt teſtatur Pet. de Nat. lib. 1. cap. 72.) illum aſſiduè de rebus ſpiritualibus locutum fuiſſe, &præcipuè de veritate aduentus Chriſti, & de rebus alterius vitæ. *Pet. de Nat.* Quia etiā legimus, Chriſtum ſuper aſinam ſediſſe, & ita Ieroſolymam ingreſſum fuiſſe, vbi à turba contra ſe ipſum, & in perniciem propriæ illorum ſalutis verba audiuit. Quia etiam Gentiles, qui ad diem feſtum Paſchæ venerant, Ieſum videre deſiderarunt, illorum primitiæ, qui Chriſtum (reijcientibus illum Iudæis) receperunt, petentes ab eo, vt doceret illos vias ſuas, & greſſus eorum perficeret in ſemitis ſuis. Quia Chriſtus, à turba comitatus, orat Patrem: *Pater ſaluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum,*& exauditus fuit à Patre:*Venit enim vox de cœlo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo*. Quia diuinis eius inſpirationibus, clariſſimis miraculis, & efficaci prædicationi Iudæi reſtiterunt; dixerunt enim: *Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Et quis eſt iſte filius hominis?*

Idcircò dicendum; omnia hæc mirabiliter explicuiſſe Dauid in Pſal. 16. dum cecinit: *Vt non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Mi-* *Pſal. 16.*

rifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. A reſiſtentibus dextera tua cuſtodi me, vt pupillam oculi.

Vt non loquatur os meum opera hominum, hoc Lazaro quadrat, poſt reditum ad vitam, diuina loquenti. ***Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras***, id Chriſto conuenit, durã viã humilitatis,& deſpicientiæ, vt Patri obediret, nobiſque exemplum præberet, calcanti,& dura à peccatoribus audienti. ***Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea***, id Gentilibus competit, Chriſtum videre cupientibus, & ab eo illuminari deſiderantibus. ***Ego clamaui, quoniam exaudiſti me, inclina aurem tuam mihi & exaudi verba mea. Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te***, id Chriſto, Patri ſupplicanti, & ab eodem exaudito, congruit. ***A reſiſtentibus dextera tua cuſtodi me, vt pupillam oculi***, id turbis applicandum, agnitæ veritati, & diuinæ dexteræ, per Chriſtum operanti, reſiſtentibus, à quibus, vt cuſtodiretur (veluti oculi pupilla) rogabat Chriſtus Patrem ſuum, in perſona fidelium, & nos rogare debemus.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

AD terminandam contentionem, inter Chore, Dathan,& Abiron, ex vna parte; Moſen, & Aaron, ex altera, ſubortam (Nolebant enim illi Principem eſſe ſacerdotum,& paſtorem præcipuum Aaron) iuſſit Dominus, vt habetur Num. 17. vt ***Moſes loqueretur ad filios Iſraël, & acciperent ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas à cunctis Principibus tribuum, virgas duodecim, & vniuſcuiuſque nomen ſuperſcriberet virgæ ſuæ. Nomen autem Aaron eſſet in tribu Leui, & vna virga cunctas eorum familias contineret. Quas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio ponere debebat, vt cuius virga germinaſſet, is ad Sacerdotij, & paſtoralis officij principatum electus agnoſceretur. Altera die inuentum eſt, germinaſſe virgam Aaron, & turgentibus gemmis erupiſſe flores, qui, folijs dilatatis, in amigdalas deformati ſunt.*** *Num.* 17.

Quo euentu contentio dirempta eſt, & ſimul myſticè ſignificatum, debere illum, qui ſacerdotis, & paſtoris officium

ſubit,

ſubit, animam habere, doctrinâ florentem, & bonis operibus fructificantem. Ex quorum, & ſacerdotum, & paſtorum numero cùm ego ſim, ſacerdos virtute ordinis, paſtor vigore muneris; quos flores doctrinæ vſque modo, hoc verno tempore, apud vos protulerim. N. vos ipſi vidiſtis: Quos verò bonorum operum fructus ediderim, nouit Deus, *qui ſcrutator eſt cordium, qui probat renes, & corda, qui dat velle, & perficere pro bona voluntate.* Sed quoſnam flores bonorum deſideriorum, quosue *fructus, dignos pœnitentiæ*, prædicatione mea, in vobis germinauerim, hoc libenter ſcirem, vt laboris mei non inanis conatus eſſet, nec in ventum verba proferrem. Virga enim ſacerdotis, & paſtoris non ſolùm formaliter, & in ſe ipſa florere debet, ſed etiam effectiuè, & in alijs, verbo, & exemplo, moribus, & doctrina eos ad bonum inducendo. Saltem hodie (ſi nunquàm aliàs) hi flores, & fructus à vobis erumpere incipiant, poſtquàm præſens Euangelium, & flores, & fructus continet: Flores bonorum affectuum, tum in turba, quæ Chriſtum plauſibiliter excipit, tum in Gentilibus, Chriſtum videre cupientibus. Fructus verò conuerſionis multorum Hebræorum, qui propter Lazarum reſuſcitatum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum. Vt autem myſteria hæc perfectè audiatis, Dauidem, quæſo, attendite, illa omnia mirificè in Pſal. 17. explicantem, &c. vt ſupra.

Sap. 1. *Iere. 11.* *Phil. 2.* *Luc. 3.*

QVARTA INVENTIO EST,

VT Chriſtum ſequamur (præcipitur enim vnicuique noſtrûm: *Qui mihi miniſtrat me ſequatur*) ſeptem nobis neceſſaria eſſe, videlicet, viam, pedes, lumen, ducatum, cibum, notitiam termini, & modus, ad terminum perueniendi. Via ſubſtâtialis eſt Chriſtus: *Ego ſum via*, & ſemitæ ſunt æquitates: *Ducam te per ſemitas æquitatis.* Pedes affectus: *Pes meus affectus meus.* Lumen veritas: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt, &c.* Ducatus, Chriſti: *Qui ſequitur me, &c.* Cibus, *panis viuus, qui de cœlo deſcendit.* Notitia

Ioan. 12. *Ioan. 14.* *Prou. 4.* *Auguſt.* *Ioan. 12.* *cum ſeqq.*

Ioan.14. termini: *In domo Patris mei, &c.* Ac tandem ad terminum
Matt.16. perueniendi modus: *Tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*
Mar.8.& Luc.9.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

CHriſti in aſſumpta carne celſitudinem, ac maieſtatem explicans Paulus, dixit, ſcribens ad Hebræos: *Quem conſtituit,* ſcilicet, Pater, *hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* A quo nihil diuerſus Ioannes: *Omnia*, inquit, *dedit ei Pater in manus.* Et ſapientiſſimè quidem de Chriſto has duas vniuerſales, omniaque complectentes, propoſitiones hi duo Apoſtoli protulerunt. Non ſolùm, vt quæ ſparſim de illo dixerant diuerſis in locis, ſummatim, & veluti in cōpendio poſt modum abſoluerent: Verùm etiam, vt cuiuſcunque ordinis varias res, à ſe inuicem diſiunctas, collectiuè in Chriſto reperiri oſtenderent. Subſtantiæ enim, quæ ſparſim in angelo, homine, viuentibus cunctis ſubſiſtunt, omnes in Chriſto vnitiuè inueniuntur. Qualitates nobiles, tum ſpirituales, tum phyſicæ, quæ diuiſæ in creaturis ſunt, in vnum conueniunt ſubiectum, Chriſtum, &c.

(Margin: Heb.1. — Ioan.13.)

Et, ne longiùs vagemur, & per ſingula diſcurramus. Vt aliquis ad optatum terminum perueniat, multis opus habet, nempe, via, pedibus, &c. quæ quidem omnia à ſe inuicem diſtant. Conueniunt tamen in largitore vno, Chriſto, quem ſi ſequi diſponas, ſtatim præſtò tibi erunt. Idcircò enim abſolutè inquit Chriſtus: *Qui mihi miniſtrat me ſequatur.* O, Domine, multis opus habemus, vt te ſequamur, multa nobis comparanda ſunt, antequàm ad te ſequendum accingamur, viamque tuam aggrediamur. Non (inquit Chriſtus) iſta curetis, propter hæc ſolliciti non ſitis, his difficultatibus ne prepediamini, qui præcipit, dabit etiam & modū, præceptum adimplendi, & omnia, ad ſequendum neceſſaria, ſubminiſtrabit. Tantùm à vobis voluntatem, & conſenſum expoſco. Ignoratis forſan ſubſtantialem viam? *Ego ſum via.* Ignoratis ſemitas? *Ducam vos per ſemitas æquitatis, &c.* vt ſupra.

(Margin: Ioan.12. — Ioan.14. — Prou.4.)

QVIN-

QVINTA INVENTIO EST,

INgreſſum Chriſti in Ieroſolymam, de quo hodie in Euangelio, quinque præcipuè illuſtrari: Actione turbarum, obuiam illi euntium, & veſtimenta propria, ramosque arborum in via ſternentium, confeſſione populorum affirmantium, verum illum eſſe Meſsiam, narratione inſigniores miraculi eius, teſtimonio inimicorum, glorioſa nominis ipſius fama, & voce Patris, de cœlo deſcendente. *In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent, quia venit Ieſus Ieroſolymam, &c.* ecce primum. *Hoſanna, benedictus, qui venit, &c.* ecce ſecundum. *Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, &c.* ecce tertium. *Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis, quia nihil proficimus? Ecce mundus totus, &c.* ecce quartum. *Erant autem quidam Gentiles, &c.* ecce quintum. *Venit ergo vox de cœlo, &c.* ecce ſextum. *Ioan. 12. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

NOn poſſumus non demirari maximam Chriſti patientiam erga Scribas, & Phariſæos, Synagogæ Pontifices, Principesque Sacerdotum, qui nedum multis ſcatentes vitijs, Deo abominabilibus, verùm etiam cunctis eius operibus contraire, & prædicationem eius vndequaque impedire tentantes, ab illo tamen tolerati ſunt. Vndè Paul. Rom. 9. *Rom. 9.* *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum.* Miracula viderunt, *et quæ nemo alius fecit.*, ſigna apud ipſos *Ioan. 15.* operatus eſt, quæ diuinitatem, in eo habitantem, clariſſimè prodiderunt. Doctrinam tandem ab eo audierunt, quæ eos ſemper confudit, & in admirationem egit aliquando. *Et tamen ipſi obdurati*, inquit Alcui. *magis eum tentare, quàm* *Alcuin.* *ipſi obedire volebant. Opera enim eius in nullo incuſare valentes, captionem quandam ex verbis cupiebant inuenire. Et*

intuere peruerſitatem illorum. Nam, cum per ſermonem erudit, dicunt ei: Quod ſignum oſtendis? Cum autem per opera demonſtrat, dicunt ei: Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm; quaſi ſemper ad contrarium ſtantes. Manſuetis, & ſimplicibus, inquit idem Alcui. *ſermonem Domini admirantibus, Scribæ, & Phariſæi interrogant, non vt diſcant, ſed vt veritati laqueos nectant. Turbis*, inquit Beda, *quæ minus eruditæ videbantur, Domini ſemper facta mirantibus, Scribæ, & Phariſæi, vel negare, vel ſiniſtra interpretatione peruertere laborabant.* De multiplici fraude Iudæorum, & circumuentione contra Dominum loquens Chrys. & continuam illorum nocendi auiditatem, imperfrictamque frontem deſcribens, ſimilitudinem hanc affert. *Sicut, ſi aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, ſi excluſa fuerit per aliquam violentiam, aliundè ſibi ſemitam quærit, ſic Iudæorum malignitas, ex vna parte confuſa, alium ſibi aditum inuenit. Hæc eſt autem differentia*, inquit idem Chryſ. *bonorum hominum, & malorum. Bonus enim comprehenſus in peccato gemit, quia peccauit, malus autē fremit, non quia peccauit, ſed quia comprehenſus eſt in peccato, & non ſolùm pœnitentiam non agit, ſed magis aduersùs corripientem iraſcitur. Vndè & Principes Sacerdotum, et Phariſæi comprehenſi, magis ad malitiam ſunt excitati.* Tanti autem (præter intrinſecam eorum nequitiam) odij, & rancoris cauſam hanc affert idem Chryſ. *Poſtquàm introiuit Ieſus templum, & videns animalia, quæ ad ſacrificium pertinebant, foras eiecit: Tunc præcipuè cogitauerunt eum occidere. Dicebant enim intra ſe: Neceſſe eſt, vt populus per iſtum dimittat conſuetudinem hoſtiarum, quæ ad noſtrum pertinet lucrum, & acquieſcat offerre ſacrificium iuſtitiæ, quod ad gloriam pertinet Dei; & ſic iam non erit populus iſte poſſeſſio noſtra, ſed Dei. Si autem occiderimus eum, dum non eſt, qui iuſtitiæ fructum à populo quærat, ſemper durabit conſuetudo offerendarum hoſtiarum, & ſic populus iſte erit noſtra poſſeſſio.* Aliam etiam affert cauſam Matthæus, quia nimirum eorum vitia, & peccata publicè arguebat, atque ita apud plebem contemptibiles illos reddebat: Non quidem quantùm ad authoritatem, ſed quantùm ad mores. Cùm enim aliquādo, vt facere conſueuerat, eos reprehendiſſet, murmurantes, & perturbati ab eo receſſerunt. Vndè diſcipuli ad Ieſum: *Scis, quia Phariſæi, audito hoc verbo, ſcandalizati ſunt?*

Marginal notes: *Alcuin.* — *Beda.* — *Hom. 42. ope. imper.* — *Chryſ.* — *Idem.* — *Matt. 15.*

Quic-

Quicquid ſit; videntes tam mirabiles Chriſti operationes, & cœleſtem eius doctrinam audientes, prauitatem cordis deponere, & in illum credere debebant. Et quis non tunc ad fidem eius conuerſus fuiſſet, cùm, reſuſcitato Lazaro, ſedens ſuper aſinam, & pullum Ieroſolyma intrauit, & tot mirabilia acciderunt? *Principes autem ſacerdotum*, inquit Chryſ. *neque ita perſuadebantur, ſed ex reliquis miraculis, & ex præconijs puerorum, eum extollentibus, indignabantur. Vndè ſequitur: Videntes autem Principes ſacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid, indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis, quid iſti dicunt? Sicut autem columna, ſi modicum obliquata fuerit, accepto pondere, amplius vadit in latus, ſic & cor hominis, cùm peruerſum fuerit, ſi alicuius viri iuſti opera videat, vel audiat, non confirmatur, ſed magis ad inuidiam concitatur: Hoc modo ſacerdotes concitati ſunt contra Chriſtum, dicentes: Audis, quid iſti dicunt?* Sed nos videamus hæc myſteria, ingreſſum hunc Chriſti, poſt Lazarum ſuſcitatum, extollentia, & verum Iudæis illum fuiſſe Meſſiam, ſatis, ſuperque probantia. Ingreditur Chriſtus Ieruſalē, & turbæ procedunt obuiam ei, &c. vt ſupra. *Chryſ.*

DOMI-

DOMINICA PALMAR.

Matt. 21. Cùm appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis, & veniſſet Bethſage, &c. Matth. 21.

PRIMA INVENTIO EST,

Chryſ. CIrca ſolutionem aſinæ, & pulli, ligatum peccatorem ſignificantium (*Propter quaſdam autem ſimilitudines,* inquit Chryſ. *animalibus aſſimilati ſunt homines, Dei filium non cognoſcentes, et præſertim aſino. Eſt enim animal immundum, & præ cæteris penè iumentis magis irrationabile, & ſtultum, & infirmum, & ignobile, & oneriferum. Sic fuerunt homines ante Chriſti aduentum, paſſionibus diuerſis immundi, irrationabiles, verbi ratione carentes, ſtulti propter contemptum, infirmi ſecundùm animam, ignobiles, quia obliti generationis cœleſtis, facti fuerant ſerui paſsionum, & dæmonum, oneriferi, quia ſufferebant ſarcinam erroris à dæmonibus, vel Phariſæis impoſitam. Ligata autē erat, id eſt, diabolici erroris vinculo impedita, vt non haberet libertatem, eundi quò vellet. Nam, antèquàm peccemus, liberum habemus arbitrium, ſequi voluntatē diaboli, an non. Quòd, ſi ſemel peccātes, obligauerimus nos operibus eius, iam noſtra virtute euadere non poſſumus, ſed, ſicut nauis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, vbi tempeſtas voluerit, ſic & homo, diuinæ gratiæ auxilio perdito, per peccatum non quod vult agit, ſed quod diabolus vult*) & vinculum, eſt palum, cui vinculo ſtringitur, & ſolui eum præcipientem, & manum ſoluentem, & ad quid ſoluitur, conſideranda.

Idem. Hilar. Vinculum enim, vel error eſt, vt nunc audimus ex Chryſoſtomo, vel ipſummet peccatum, Hila. ſuper Pſal. 68. vel

praua

praua conſuetudo, Ric. de S. Vict. de ſecur. conſci. 25. & Rup. ſuper Oſe. 13. *Ric. de S. Vict.*

Et palus, eiuſdem cum vinculo conditionis, & proprietatis. Si enim vinculum error ſit, palus magiſter erroris proculdubio erit. Si peccatum, voluntatis determinatio. Si praua conſuetudo, prauorum operum complacentia. Vel, erroris palus ignorantia, apparens ratio, negligentia, & ſimilia, in errore peccatorem tenentia. Vel, peccati palus illecebræ, delectationes, priuatio timoris Dei, erubeſcentia, timor difficultatis bonæ operationis, &c. Vel, prauæ conſuetudinis palus mala ſocietas, ſpes veniæ, mortis obliuio, aliorum exempla, longum præſumptum tempus pœnitentiæ, &c. *Ruper.*

Solui præcipiens Deus eſt: *Miſit duos diſcipulos ſuos, dicens eis: Ite in caſtellum, &c.* *Matt. 21.*

Manus, vel Dei miſericordia, vt vult Chryſoſtomus: ***Et niſi Deus valida manu miſericordiæ ſuæ***, inquit ille, ***ſoluerit eum, vſque ad mortem in peccatorum ſuorum vinculis permanebit.*** Vel, doctrina, & miracula Apoſtolica, vt inquit idem: ***Soluite, ſcilicet, per doctrinam veſtram, & per miracula veſtra, quia omnes Iudæi, & Gentes per Apoſtolos ſunt liberati.*** Vel, authoritas ſoluendi poſt peccatorum confeſſionem, Apoſtolis, & eorum filijs à Chriſto conceſſa; vt ſuper verba Chriſti, Ioan. 11. ***Soluite eum, &c.*** docent Aug. & Alcui. ***Mortuus autem procedens adhuc ligatus eſt confitens, adhuc reus; vt autem ſoluerentur peccata eius, miniſtris hoc dixit: Soluite eum, & ſinite abire. Quod eſt: Quæ ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis***, inquit Alcuinus. ***Chriſtus ergo ſuſcitat, quia interius per ſe ipſum viuificat. Soluunt diſcipuli, quia per miniſterium Sacerdotum abſoluuntur viuificati***, inquit Aug. *Chryſ.* *Ioan. 11.* *Auguſt.* *Alcuin.* *Matt. 18.*

Ad quid tandem ſoluantur animalia hæc, tres in Euangelio exprimuntur cauſæ. Vt adducerentur Chriſto: *Soluite, & adducite mihi.* Vt ſuper illa ſederet: ***Et eum deſuper ſedere fecerunt.*** Vtque prophetia impleretur: ***Dicite filiæ Sion, &c.*** *Matt. 12. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

INimicis deuictis, fugato hoſte, ſubactis varijs nationibus, & parta victoria, triumphum agentes Imperatores, & Re-

& Reges mundi huius, maxima cum pompa nobiliſſimos, pretioſiſsimos, & ornatiſſimos triumphos ſuos agebant. Auguſtus Cæſar triplicem triumphum egit, victor ab Oriẽte rediens, octauo Idus Ianuarij, vt ſcribit Oroſ. lib. 6. cap. 20. Prima namque die triumphum egit de Pannonijs, Dalmatis, Iapydis, finitimiſque eorum, & nonnullis Galliæ, ac Germaniæ populis: Nam C. Carina Morinos, aliosque eorum rebellionis ſocios domuerat, Sueuosque, Rhenum magno numero aliquoties tranſgreſſos, profligauerat. Secunda die de Actiaca nauali pugna triumphauit. Tertia de ſubacta Ægypto. Ex his pretioſiſſimus, & ornatiſſimus fuit Ægyptiorum triumphus, nam, inter alia, quæ in eo inferebantur, Cleopatra etiam in lecto portabatur, ad imitationem mortis eius effi[illegible]ta, vt quodammodo ipſa quoque inter reliquos captiuos cum Alexandro, filio ſuo, filiaque Cleopatra, quibus Solis, & Lunæ nomina indiderat, ſpectata fuerit. Et tunc primùm ipſe, poſt ducentos annos, Iani portas, ſopitis omnibus, finitiſque bellis, fœliciter clauſit, vt concorditer affirmant Dio lib. 51. Sueto. in Aug. cap. 22. & Oroſ. lib. 6. c. 20. Qui quidem Sueto. addit, quadraginta Elephantis, dextra, atque ſiniſtra Lychnuchos geſtantibus, Capitolium aſcendiſſe. M. Anton. currum leones, Aureliani cerui vehebant. Et de Aureliano, inquit Flaui. Vopis. Syracus. *Fuit currus quatuor ceruis iunctus, quo, vt multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelia. inuectus eſt, vt illic caderet ceruos, quos cum eodem curru captos vouiſſe Ioui Opt. Max. ferebatur.* De M. Anton. Pli. lib. 8. c. 16. *Iugo ſubdidit eos* (loquitur autem de leonibus) *primuſque Romæ ad currum iunxit M. Anton. & quidem ciuili bello cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis.* Quòd verò Pomp. Magni in Aphricano triumpho currum Elephanti ſubierint, teſtatur idem Pli. eod. lib. c. 2. dicens: *Romæ iuncti primum ſubiere currum Pomp. Magni Aphricano triumpho, quòd priùs, India victa, triumphante Libero Patre, memoratur.*

Oroſius. *Dio.* *Oroſius.* *Sueton.* *Flau. Vopiſ.* *Plinius.* *Idem.*

At Redemptor noſter, ingreſſurus Ieruſalem ſub ipſum Paſchæ feſtum, triumphum egit ſuper aſinam, & pullum. Tum, ad mundanã ſuperbiam confutandam, & arguendam. Tum, ad imitandum humilitatis exemplum, tum denique ad ſignificandum, quòd peccatorem, per iumentum hoc ſignificatum, ſoluturus venerat. In quo myſterio, &c. vt ſupra.

SECVN-

SECVNDA INVENTIO EST,

REgem Chriſtum, de quo & Propheta, & Euangeliſta: *Ecce, Rex tuus venit tibi, &c.* quadrupliciter in ſpirituali regno regnaſſe, ſcilicet, ſucceſſione, electione, donatione, & vi. Succeſsione, quia eſt filius Regis: *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis*. Electione, quia, cùm *entia nolint malè diſponi, vnus ergo Princeps.* Vndè omnes dicunt Chriſto: *Veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter.* Donatione etiam, quia ipſe fatetur: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, &c.* Vi tandem, quia *Princeps huius mundi eiectus eſt foras, & fortis armatus, fortiore illo ſuperueniente, vniuerſa arma perdidit, & ſpolia eius diſtributa ſunt*. Per ſucceſſionem regnans Chriſtus, regnat in regno diuinæ naturæ, omnibusque paternis bonis, Quicquid enim perfectionis eſt in Patre, eſt etiam in Filio. Regnans per electionem, regnat in mundo ſenſibili, & præcipuè in Eccleſia. Regnans per donationem regnat in regno ſanctæ prædicationis. De quo ipſemet Hebræis: *Auferetur à vobis regnum Dei, &c.* Regnans vi, regnat ſuper Principem mundi, & reliquas aëreas poteſtates. Quare adimpleta eſt prophetia Ezechielis: *Erit Rex vnus omnibus imperans.*

Pſal.71. *Ariſt.12. Meta. t.c. vlt.* *Eſa.3.* *Pſal.2.* *Ioan.12.* *Luc.11.* *Matt.21.* *Ezech.37.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

CHriſtum Regem eſſe probant ex Scripturis SS.PP. Rex eſt Chriſtus, inquit Orig. Hom. 15. ſuper Matth. quia regnat ſuper temporalia, & ſpiritualia, habens à dextris ſpiritualem, & à ſiniſtris corporalem creaturam. Rex eſt Chriſtus, inquit Aug. Serm. 2. de Epipha. quia eſt iudex viuorum, & mortuorum, & regnat tam ſuper ſubditos, quàm ſuper Reges, vbi temporales Reges ſolùm ſuper ſubditos regnant. Rex eſt Chriſtus, inquit Tert. aduer. Iud. quia vbi alij determinato

Origenes. *Auguſt.* *Tertull.*

minato tempore,& certo loco regnarunt, Chriſtus & ſemper: *Poteſtas eius poteſtas æterna, &c.* & vbique: *A ſolis ortu, vſque ad occaſum, &c.* regnauit. Rex eſt Chriſtus, inquit Chryſ. Chrys. Hom. 1. in Matth. quia ſicut Sacerdos ſuper omnes Pſal. 112. Sacerdotes, ita Rex ſuper omnes Reges. Eſt Rex, inquit Cypr. Cypr. exponens verba illa Oratio. Domini. *Adueniat regnum tuum,* quia, ſicut in præſenti vita eſt noſtra redemptio, & reſurrectio, ita poſt mortem eſt noſtrum regnum. Eſt Rex Chriſtus, inquit Bern. Serm. 2. Epipha. quia alij Reges regnant, & regnum eorum eſt de hoc mundo, Chriſtus verò regnat in hoc mundo, & *regnum eius non eſt de hoc mundo.* Eſt Rex Chriſtus, inquit Greg. in Moral. quia non ſolùm dominatur corporibus, ſed etiam animabus noſtris, ſedans, & compeſcens aduentu ſuo omnes inordiuatas affectiones, & beſtiales motus.

(Margin: Dan. 7. — Chryſ. — Pſal. 112. — Cypr. — Matt. 6. — Luc. 11. — Bernar. — Ioan. 18. — Gregor.)

Iure ergo, & Propheta, & Euangeliſta Regem illum appellat: *Ecce, Rex tuus, &c.* Qui quidem non ſolùm regnat, ſed etiam ijs omnibus modis, quibus Reges omnes diuerſimodè regnare conſueuerunt. Nimirum, ſucceſſione, &c. vt ſupra.

(Margin: Zacha. 9. — Matt. 21.)

TERTIA INVENTIO EST,

QVia omnium creaturarum, & præcipuè noſtrũ Rex eſt Chriſtus, eique, veluti legitimo Principi, ſeruire debemus, abſolutum modum ei famulandi nobis turbarum actionibus demonſtrari. Illæ enim Chriſtum, tamquàm Regem Iſraël, excipientes, tribus obſequium illi impenderunt, &, ſicuti Domino, famulatæ ſunt. Nimirum, ramis palmarum, quos manibus geſtarunt, veſtimentis, quæ in via ſimul cum arborum frondibus proſtrauerunt, & vocibus, quibus eius laudes, & gloriam explicuerunt: *Acceperunt ramos palmarum,* ecce primum. *Strauerunt veſtimenta ſua in via. Cadebant ramos de arboribus, & ſternebant in via,* ecce ſecundum. *Turba autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna, &c.* ecce tertium. Quibus, myſticè expoſitis, ſi Domino obſecuti fuerimus, officium noſtrum, mu-

(Margin: Matt. 21. cum ſeqq.)

ſtrû, munuſue impleuerimus,&,qua decet ratione, Chriſto vero,& ſoli noſtro Principi famulati erimus. Dicendum ergo conſequenter,&c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SAnctiſsimus,& doctiſſimus pariter Ieſus Sirach pro acceptis beneficijs panegyrim in Dei laudem ſemel decãtans,vt ſublimiori,quo poſſet,illum titulo in cantico nominaret, Regem illum appellauit, dicens : *Confitebor tibi Domine,Rex,&c.* Ieremias expectatum Meſſiam mundo promittens,ſimulque punitionem ſuper omnes malos paſtores, qui non gregem,ſed ſemetipſos paſcebant, venturam prædicens, Regis titulo illum à Patre promitti perhibet, dicens : *Et ſuſcitabo Dauid germen iuſtũ,& regnabit Rex, &c.* Michæas velocem, & quaſi furtiuum Meſſiæ tranſitum Iudæis prædicens, ne pigritantes oſcitarent, ſed, veluti ſpeculatores,aduentum eius præſtolantes,aſtarent deſuper,Regem Chriſtum appellat,inquiens:*Tranſibit Rex eorum coram eis.* Eſaias magnum honorem,ſpirituales diuitias, & chriſtianã magnificentiam in aduentu Meſſiæ hominibus prænuncians, fauſto Regis nomine Chriſtum appellat:*Dominus Deus noſter,ipſe veniet,& ſaluabit nos.* Deuotiſſima Anna, Samuelis mater,de poteſtate venturi Meſſiæ loquens, & inimicos nominis eius minaciter, futurorum euentu, exterrens,dixit in Cant.*Dabit imperium Regi ſuo,& ſublimabit cornu Chriſti ſui.*Quid plura? ipſemet Chriſtus, quaſi de magno quopiam glorians,& inſignem, ac ſupremum fauorem, ſibi à Patre collatum,referens,dixit per os Dauid:*Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion, montem ſanctum eius, &c.* Vndè non mirum,ſi, vbi alij temporales Reges in ætate competenti Reges inaugurantur, & creantur, non autem Reges naſcuntur,& poſt mortem non amplius Reges ſunt, Chriſtus,& natus eſt Rex: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum* & poſt mortem etiam fuit Rex: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Vndè paruulus adoratur,vt Rex,grandis excipitur, vt Rex,mortuus adoratur,vt Rex.

Eccli.51. *Iere.23.* *Mich.2.* *Eſa.35.* *1.Reg.2.* *Pſal.2.* *Matth.2.* *Ioan.19.*

Quia ergo Rex eſt, & noſter Rex eſt, idcircò, ad eum digne

dignè excipiendum, eique humiliter ſeruiendum, nos exci-
tans, & inuitans Euangeliſta Matthæus, ſimul cum Prophe-
Zach. 9. ta Zacharia inquit: *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit*
Matt. 21. *tibi manſuetus, &c.* Et vt omnis à nobis tollatur excu-
ſatio, modum, quo talem Regem recipere, eique famulari debemus, nos docet Matthæus in Euangelio, ea narrans, quæ in illius receptione, & in Regem Iſraël adoratione fecerunt Hebræi: Ramos namque palmarum illi geſtarunt, veſtimenta, arborumque frondes in via proſtrauerunt, & clamarunt: *Hoſanna, &c.* Quæ quidem ſpiritualiter à nobis facienda ſunt, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO
EST,

FIdeles, Deo ſeruientes, quidnam agere debeant, Aſino, de quo hodie in Euangelio, inſtrui. Nimirum, vt Apoſtolicis veſtimentis operiãtur, vt Chriſtum portent, vt mundanorum veſtimenta, frondesq; calcent, & à Bethſage Ieroſolymam pergant. Cùm enim veſtimenta, generaliter ſumpta, opera, ſiue bona, ſiue mala indiſcri-
Origenes. cum ſeqq. minatim ſignificent (Orig. ſuper Ioſu. Hom. 10. & ſuper Rom. 13. Hila. ſuper Matth. Can. 9. Greg. ſuper 1. Reg. 4. & in Mor. pluribus in locis, Ambr. ſuper Rom. 13. ſuper Luc. 5. & de Tob. 20.) veſtimenta Apoſtolica, non quælibet opera, ſed opera Sanctorum proculdubio ſignificabunt. De quibus Caſſi. lib. 10. cap. 21. Greg. ſuper Cant. 4. Aug. 2. Serm. Domi. in mon. Hieron. ſuper Matth. 22. Amb. ſuper Luc. 22. & 1. de pœnit. 6. & Orig. ſuper Matth. Hom. 20. *Aut, veſtis Apoſtolica, quæ iumento ſuperponitur,* inquit Hieron. *vel doctrina virtutum, vel diſcretio ſcripturarum intelligi poteſt, ſiue Eccleſiaſticorum dogmatum varietates. Quibus niſi anima inſtructa fuerit, & ornata, ſeſſorem habere Dominum non meretur.* Quibus fidelis indutus, Chriſtum vt portet, aptus, & idoneus redditur, ſed debet, veſtimentis cœleſtibus opertus, & Chriſti portitor effectus, mundana veſtimenta, frondesque calcare, reputans terrena cuncta, in comparatione cœleſtium, viliſſima, &, veluti ſtercora, vt Chriſtum, quem lucri-

lucrifecit hic per gratiam, lucrifaciat etiam in cœlo per gloriam. Eiuſmodi veſtimenta calcanda docent Greg. 8. Mor.39. 11. Mor. 25. & 9. Mor.38. Hieron. ſuper Eſa. 9. & 59. Amb. ſuper Luc.7. Hila. ſuper Matth. Can. 2. Rup. ſuper Sopho.1. & Amb. de Virgi.3. *Vel turba, quæ veſtimenta ſtrauit in via, ſignificat Martyres, qui veſtimenta ſua, id eſt, corpora, quæ tegumenta ſunt animarum, pro Chriſto ad martyrium tradiderunt*, inquit Remig. *quorum exemplo etiam nos ad idem parati eſſe debemus. Vel ſignificantur illi*, ait idem, *qui corpora ſua per abſtinentiam domant*. Et viride infructuoſum mundanarum diuitiarum, & cuiuſcunque oculis carnalibus delectabilis, vt quis affluat veris delitijs, & perennibus diuitijs fruatur, pro Chriſto ſpernendum docent Amb. ſuper Luc. 19. Hieron. ſuper Eſa. 18. & ſuper Iere.2.Greg. 11.Mor.24. Euch form. Spirit.4.& Rup. ſuper Oſe.9.Ac tandem hoc mite,& manſuetum animal, à Bethfage,quæ oris vallium,buccæ vallis, ficuum præcoquarum, & maxillarum domus interpretatur, & erat villa Sacerdotum,ad Ieruſalem,viſionem pacis, & viſionem perfectam, vel conſummatam pergere debet,&c. *Dominus enim*,inquit Remi. *ſuper aſellum ſedens, Ieroſolymam tendit, quia præſidens ſancta Eccleſia,vel anima fideli, & eam in hoc ſæculo regit, & poſt hanc vitam, ad viſionem cœleſtis patriæ introducit*.

Gregor. cum ſeqq.

Remigius.

Ibidem.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVemadmodum,in deſpectum,& irriſionem Aſinus accipi conſueuit,ita & in honorem.In deſpectũ quidem, tum ob naturales defectus(eſt enim animal rude,& pigrum, ſtolidum, & ad onera ferenda deſeruiens, vt ait Amb. 6. Exæm.3.) tum ob malas eius interpretationes(ſignificat enim animas ſtolidas,atque peruerſas;Hier.ſuper Zach.14. Orig.ſuper Leu.Hom.16.Motus beſtiales,ſuperbos,libidinoſos, ferum vitæ propoſitum, cupiditates temporalium, & in vniuerſum,animas peccatrices,& omnia in eis vitia, Greg. ſuper 1.Reg 8.& 11.1.Mor.16.& 30.Chrys.ſuper Gen.Hom. 12. Euch. for. ſpirt. 5. Beda ſuper Prou. 26. & Aug.q. in Euang.

Ambr. cum ſeqq.

Calui. Auct. Appi. Tertull. Minut. Ioſephus. Corn. Tac. Idē Plut. tom. 2. Opuſc. l. 4. q. 5. Tertull. Minut. Auth. lib. qq. ad Antioch.

Euang. 24.) tum, quia, ad criminandos, deridendoſque Chriſtianos aſino vtuntur Hæretici, vt Caluin. lib. de Reliquijs, & Auct. Apiarij 4. p. cap. 3. aſſerentes, Catholicos caudam aſini, cui Chriſtus inſedit, pro ſacris reliquijs venditaſſe, & populo honorandam propoſuiſſe; ab inferis excitantes veterem Ethnicorum calumniam, quorum aliqui mentiebantur, Chriſtianos, vt & Iudæos, aſinum pro Deo colere; alij aſini caput. Quare, & per ludibrium Chriſtiani appellabantur Aſinarij. *Et quidam in fruſtrandis beſtijs mercenarius noxius*, inquit Tert. in Apol. cap. 16. *picturam propoſuit cum eiuſmodi inſcriptione: Deus Chriſtianorum Ononychites. Erat*, inquit Tert. *auribus aſininis altero pede vngulatus, librum geſtans, & togatus. Riſimus, & nomen, & formã.* Hoc autem, quò ad Iudæos, meram eſſe impoſturam, probat Ioſeph. lib. 2. cont. Apio. & cont. Corn. Tac. qui Annal. lib. 21. effigiem aſini penetrali Iudæos ſacraſſe affirmat, eò quòd, illo monſtrante, ſitim depulerint. Qui tamen, paulò poſt, ſibi contradicit, ſcribens, Iudæos, ne dum templis, ſed neque vrbibus ſimulachra habuiſſe. At Corn. mendaciorum loquaciſſimus à Tert. vbi ſupra, appellatur. Contra Chriſtianos etiam impoſturam eſſe, probat Tert. vbi ſupra, & Minut. in Octa. qui ait: *Quis tam ſtultus eſt, vt hanc colat? quis ſtultior, vt hanc coli credat? Chriſtus*, inquit Author lib. qq. ad Antioch. Princip. apud S. Athan. *per aſinum non deuicit diabolum, neque in eo ſalutem operatus eſt, ſed in cruce. Vndè aſinum quidem, ſi videant dæmones, non horrent, neque metuunt, videntes verò crucem, terrentur, fugiunt, & euaneſcunt.*

Lyranus. cum ſeqq.

In honorem verò de illo loquuntur Lyra. ſuper Gen. 49. qui per aſinum religioſos intelligit; corpora, caſtitate ornata, Orig. ſuper Iud. Hom. 6. & Euch. for. ſpiritu mites, & patientes, Rup. 6. ſuper Gen. 32. Aug. ſuper Pſal. 31. & 33. obedientes, Greg. ſuper 1. Reg. 8. & 16. Mor. 22. & 35. Mor. 18. nec non Clem. Alex. 5. Strom. humilitatem, Amb. 1. de Cain, & Abel; ac tandem corpus ipſum Chriſti, Glo. int. ſuper Exo. 4. Hila. ſuper Matth. Can. 21. Aug. Serm. 71.

Non parum ergo abſoluent fideles (qui per aſinum intelliguntur à Greg. 1. Mor. 26. & 17. nec non 35. Mor. 18. Orig. ſuper Gen. Hom. 17. & ſuper Luc. Hom. 13. Ambr. 1. de Abra. 8. & ſuper Luc. 13.) laudabilis, & meritoriæ operationis.

rationis, ſi, quemadmodum aſinus, de quo in Euangelio, Apoſtolicis veſtimentis tegentur, Chriſtum ferent, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

QVia (*Hoſanna*) redemptio domus Dauid ab Hilario interpretatur; ab Origine redemptio, & ſalus; à Chryſoſtomo gloria filio Dauid; ab Auguſtino, & Gregorio nota, ſiue interiectio lætantis; & ab Hieronymo ſaluum fac, idcircò quomodo Chriſtus domus Dauid redemptio fuerit: Quomodo omnium ſalus: Quomodo gloria, Dei filio tribuenda: Quomodo in Chriſto lætandum: Et quomodo tandem quis per eum ſaluus fieri, & ad ſalutem peruenire poſſit, & debeat, pertractandum. *Hilar. cum ſeqq.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVi, appoſita habentes bona, & mala; ſpinam, & florem; venenum, & mel; ignem, & aquam; vitam, & mortem; mala, ſpinas, venenum, ignem, & mortem eligunt; bonis, flore, melle, aqua, & vita relictis, ducem primum omnium parentem habent, qui, cùm in terreſtri paradiſo lignum vitæ, & lignum mortis propoſita haberet, ligno vitæ relicto, ad lignum mortis manus extendit, eiuſque vetitu fructu comedens, mortis vinculis, ſe, ſuoſque miſerabiliter obſtrinxit. Cuius oppoſitū fecit ſponſa, quæ *aſcendit in Palmam, & apprehendit fructus eius*; et *Malum elegit inter omnia ligna ſyluarum*. Prioris ſtolidæ, & prauæ ſimul voluntatis ſunt omnes mali, omnes peccatores; qui iuſtorum vitam, & mores æqui bonique conſulere cùm poſſint, odio, & liuore in malam ſemper partem traxerunt, & interpretati ſunt. Quod, & Pontifices ſynagogæ, Scribas, & Phariſæos feciſſe, dum audirent pueros in templo, ad laudem, & gloriam Chriſti canentes: *Hoſanna, &c.* perſpicuum eſt. Dixerunt *Cant. 7. Cant. 2.*

enim, Chriſto nullatenus verba illa conuenire, vt pote, quæ filio Dei, & vero Meſſiæ competerent, qualem illum eſſe inficiabantur. Vndè dixerunt eidem Chriſto, quaſi arguentes eum, quòd non prohiberet, ſed ſibi applicari eiuſmodi
Matt. 21. laudes erroneè, & plauſibiliter pateretur: *Audis, quid iſti dicunt?*

Sed SS. PP. diuino afflati numine, & ſuperna luce illuſtrati, ſoli Chriſto domino noſtro illa congruere præconia, certiſſimis, & authoritatibus, & rationibus demonſtrant, illorumque varias afferunt, Chriſto quadrantes, expoſitiones. Hilarius enim inquit, &c. vt ſupra.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Ioan. 18. Egreſſus eſt Ieſus trans torrentẽ Cedron, &c. Ioan. 18.

PRIMA INVENTIO EST,

QVod Iob non conuenit (cùm vires illius omninò ſuperet) ingredi, ſcilicet, profunda maris, in nouiſſimis abyſſi deambulare, aperiri ſibi portas mortis, & oſtia tenebroſa videre, conſiderare latitudinem terræ, indicare, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit, vt duceret vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligeret ſemitas domus eius: Propterea enim
Iob 38. interrogatiuè ad illum Deus: *Nunquid ingreſſus es profunda maris, & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti? Nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti? Nunquid* conſide-

conſideraſti latitudinem terræ? Indica mihi, ſi noſti omnia. In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit, vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus eius, id Chriſto patienti conuenire.

Ipſe enim ingreſſus eſt, ne dum profundum, ſed profunda maris amaritudinum, & dolorum corporis ſui (Hila.ſuper Matth.Can.16. Rup.9. ſuper Apoc.Orig. ſuper Exo.Hom. 5.& ſuper Ioſu.Hom.15.Hieron.ſuper Eſa.16.& 50.ac ſuper Matth.7.Ric.de S.Vict.de extermi.mali 3.8.& 10.)Et in nouiſſimis abyſſi maiorum dolorum animæ (Pſal.103.& 105. Eccli.43.Ion.2.Eſa.51.& 63.Ezech.26.Abac.3.& Apoc.20. nec non Aug.ſuper Pſal.103.& Rup.ſuper Ion.2.exponens, tunc abyſſum vallaſſe Ionam,hoc eſt, Chriſtum, quando Iudas cum cohorte venit, ad comprehendendum Chriſtum) deambulauit. Apertæ ſunt ei portæ mortis,hoc eſt aduerſariæ poteſtates(Hieron.ſuper Iob 38.ideſt, ſuper hunc locũ, & ſuper Pſal.9.)quia dæmoni ſuper alios Sanctos data fuit poteſtas ad menſuram, & limitata, vt patet in eodem Iob, ſuper quem primò,& ſecundò data fuit à Deo ſatanæ limitata poteſtas: *Ecce, vniuerſa, quæ habet in manu tua ſunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam*, primò *Ecce in manu tua eſt, verùmtamen animam illius ſerua*, ſecundò.Ad vexandum autem Chriſtum tempore paſſionis, abſolutam, & plenariam accepit à Sanctiſſima Trinitate poteſtatem. Oſtia etiam tenebroſa ſenſuum humanorum, peccatis obnoxiorum (Hieron.ſuper hunc locum, ſuper Pſal.9. ſuper Nahum.3.ſuper Abdi.ſuper Iere.14.& ſuper Mich.1.) vidit, de quo,propter Dei offenſam,maximè triſtabatur.Conſiderauit latitudinem terræ, ad quam indifferenter eius paſſio extendebatur. *Extendit in paſſione manus ſuas, orbemque dimenſus eſt*, inquit eleganter, vt ſolet,Lact.lib.4.Inſtitu.c. 26.*vt iam tunc oſtenderet,ab ortu ſolis, vſque ad occaſum, magnum populum, ex omnibus linguis, & tribubus congregatum, ſub alas ſuas eſſe venturum, ſignumque illud maximum,atque ſublime frontibus ſuis ſuſcepturum*. Indicauit,in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit, dum bono latroni paradiſum aperuit, malum autem inferno, ob peccata ſua,addixit. *Tres cruces in vno loco erant* (inquit magnus ille Aug.Epi.48.ad Vincent. *In vna latro liberandus,in alia latro damnandus,in media Chriſtus, alterum*

Hilar. cum ſeqq.

Pſal. cum reli. de tex.

Iob 1.

Iob 2.

Hieron.

Lact.

Auguſt.

liberaturus, alterum damnaturus. Quid ſimilius iſtis crucibus, quid diſſimilius iſtis pendentibus? Quos duos latrones, ſicut & omnes alios homines, atque creata cuncta, duxit, & ducit ad terminos ſuos, vel miſericordia, vel iuſtitia, ipſeq; ſolus perfectè intelligi ſemitas domus eorum; *ſolus enim Deus ſcrutator eſt cordium, &c.*

Sap. 1.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVamuis innumeræ ſint rationes, quæ ad paſſionem Chriſti contemplandam homines inducere poſſunt, tres tamen præcipuæ ſunt: Tanti beneficij gratitudo, quæ, vt nunquàm illius obliuiſcamur, requirit. Vndè Ieremias: *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.*
Tren. 3.
Deſiderium ipſius Chriſti, qui cupit, vt ſuæ paſſionis, pro nobis exhibitæ, nunquàm ſimus immemores. Ait enim: *Recordare abſynthij mei, & fellis.* Ac deníque multiplex vtilitas, quæ de tali conſideratione percipitur. Quarum hæ inſigniores. Timor peccandi: *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ (aquæ multa populi multi) & timuerunt.* Si enim tot tormenta in viridi, quid in arido? *Et turbatæ ſunt abyſſi*, cordium peccatorum. Origo noſtræ conuerſionis: *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas*, filij tui in cruce, æterne Pater, *& conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ* infernalis, cui propter mea peccata deputatus eram, *iterum reduxiſti me*, inquit Dauid, in perſona peccatoris, Pſal. 70. Et Iob in perſona eiuſdem 42. cap. *Auditu auris audiui te*, paſſurum pro peccatoribus, *nunc autem oculus meus videt te*, in cruce pendentem, *propterea reprehendo me ipſum, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Erubeſcentia, non ſolùm degeneris noſtræ conuerſationis, ſed & negligentiæ in Dei ſeruitio: *Metientur*, inquit Ezech. 14. cap. *fabricam*, tormentorum, & pœnarum, ſuper Chriſtum fundatam, *& erubeſcent ex omnibus, quæ fecerunt.* Beatitudo in hac vita: *Si quid patimini propter iuſtitiam, beati: Si exprobamini in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam, quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcet:* ait Pet. 1. Can. 4. Pullulatio virtutum:

Ibidem. *Pſal. 76.* *Apoc. 17.* *Pſal. 70.* *Iob 42.* *Exech. 14.* *1. Pet. 4.*

Gloria-

Gloriamur in tribulationibus noſtris, ſcientes, quòd tribula- *Rom.5.*
tio patientiam operatur, &c. affirmat Paul. Rom.5. Emana-
tio gaudij ſpiritualis: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me-* *Pſal.22.*
conſolata ſunt, dicebat Dauid, Pſal. 22. Admiſſio ad myni-
ſterium, & famulatum Dei: *Ego oſtendam illi, quanta opor-*
teat eum pro nomine meo pati, dixit de Paulo ad Ananiam *Act.9.*
Dominus. Et 2. Cor. 6. idem Paul. *In omnibus exhibeamus* *2.Cor.6.*
noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribu-
lationibus, &c. Confirmatio in bono: *Vt modicum paſſos,* *1. Pet.5.*
inquit Pet.1.Can.5. *ipſe perficiat, confirmet, & ſolidet.* Con-
formatio cum Chriſto: *Configuratus morti eius;* et: *Chriſto* *Phil.3.*
crucifixus ſum cruci, de ſe dicebat Paul. Philip. 3 & Gala.2. *Gal.2.*
Ac tandem promiſſio beatitudinis: *Scio, quia hoc mihi pro-*
ueniet ad ſalutem, dicebat idem Paul. Philip. 1. *ſecundùm* *Phil.1.*
expectationem, & ſpem meam, quia in nullo confundar, ſed in
omni fiducia, ſicut ſemper, & nunc, magnificabitur Chriſtus
in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.

Vt ergo tot, tantorumque bonorum participes eſſe poſſimus, quæſo paſſionem Domini contemplemur, & pro illo quæcunque aduerſa forti, & libenti animo pati proponamus. Illam autem in præſentiarum contemplantes, audiamus quid de ea loquatur Iob, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

VT Chriſtus, & quò ad naturam, & quò ad omnes ſuas actiones Rex dicitur (quod ſupra, Inuentione prima præcedentis Dominicæ probatum eſt) ita & Regem tormentorum congruè dici poſſe. Sicut enim, qui in aliqua profeſſione alios excedit, Rex dici conſueuit, vt Rex pictorum, cantorum, paleſtritarum, &c. ſic etiam Chriſtus, cùm omnes in patiendo ſuperauerit, omnium dolores portauerit, omnia tormenta perpeſſus fuerit, tormentorum Rex congruè dici poteſt. Vndè, poſtquàm Pilatus illum flagellauit, & coronauit, ſecundò illum populo foras adducens, dixit eis: *Ecce Rex veſter.* Et ſupra crucem titulum ponens, *Ioan.19.*
ſcribi iuſſit: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Milites *cum ſeq.*

Matt. 27. Mar. 15. Ioan. 19. etiam illudentes ei, dixerunt: *Aue Rex Iudæorum.* Quod verum etiam erat de regno pœnarum, & dolorum, quod ipſi non intelligebant. Ac tandem Chriſtus ipſe, à Pilato in-
Ioan. 18. terrogatus: *Ergo Rex es tu?* reſpondit: *Tu dicis, quia Rex ſum ego.* Quod reſponſum, licèt principaliter de primario Chriſti regno intelligatur, tamen quod etiam de regno
Eſa 9. crucis intelligi poſſit, teſtatur Eſa. *Et factus eſt principatus*
Ioan. 19. *ſuper humerum eius. Baiulans enim ſibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus.*

Septem autem in conſecratione noui Regis conſiderantur. Primò namque probatur; an ille talis de vera regali ſtirpe ſit. Secundò, certitudine habita de hoc, vngitur. Tertiò à propria domo ad regale palatium ducitur. Quartò purpura induitur. Quintò accipit coronam, & ſceptrum. Sextò ſuper thronum regale aſcendit. Et ſeptimò, in ſignum acceptæ poteſtatis, & authoritatis Regiæ, pro diuerſitate meritorum, & gratias elargitur, & pœnas infligit.

Quæ quidem omnia in hoc Chriſti Regno habentur. Primò namque, eum de vera eſſe regali ſtirpe (non dico modò, aut diuina, aut dauidica, ſed pœnali & afflictiua) aſſerit Eſa.
Eſa. 53. vocans illum *virum dolorum, & ſcientem infirmitatem,* ac propterea nulli meliùs, quàm ipſi, immò ipſi ſoli, crucis regnum competere. Hac certitudine habita, vnctus fuit proprij ſanguinis vnctione in horto. Tertiò ab horto, quia propria illius domus dicitur, ea ratione, quòd ſicut primus homo in horto deliciarum peccauit, ſic ſecundus in horto dolorum, pro peccato illius, ſingulari modo ſatisfacere cœpit, ad Regale palatium Pontificum, & Pilati ducitur. Quartò purpura induitur. Quintò accipit coronam ſpineam, pro regio diademate, & arundinem pro ſceptro. Sextò ſuper thronum crucis aſcendit. Et ſeptimò paradiſum largitur bono latroni, ac malum (ſic peccatis ſuis exigentibus) æternis pœnis addicit.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Ioan. 19. CVr ſupra crucem Chriſti inſcriptio: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum,* poſita fuerit, cauſam reddentes SS. PP. quam-

PP. quamuis diuerſi in verbis, concordes tamen in ſenſu, huc
omnes ſpectant: Ideò, ſcilicet, in titulo ſupra crucem poſito,
de Chriſti regno mentionem fieri, quia ſupra id, quod in-
firmum, & mortale apparebat, diuina eius virtus impera-
bat. *Meritò ſupra crucem titulus* (inquit Amb. lib. 10. in Luc.) *Ambr.*
quia non humani corporis, ſed diuinæ poteſtatis eſt regnum,
quod habet Chriſtus. Meritò ſupra crucem titulus, quia licet
in cruce erat Dominus Ieſus, ſupra crucem tamen Regis ma-
ieſtate radiabat. Significat autem ſuperſcriptio (inquit Theo.) *Theoph.*
triplici ſermone figurata, Dominum eſſe Regem practicè, phy-
ſicè, nec non theologicè. Nam per Latinas literas figuratur
practica, eo quòd Romanorum imperium potentiſſimum, ſa-
tiſque officioſum in expeditionibus fuerit. Per Græcas verò li-
teras phyſica figuratur; Græci namque erga naturalium ſpe-
culationem inſudarunt. Demum per Hebraicas theologia
prætenditur, dum Iudæis eſt credita rerum diuinarum agni-
tio. In quo monſtratur (inquit Beda) *iam tunc regnum ipſius,* *Beda.*
non, vt ipſi putabant, deſtructum, ſed potiùs augmentatum.
Lego *titulum Regis Iudæorum*, inquit Amb. *cum lego: Regnũ* *Ambr.*
meum non eſt de hoc mundo. Lego cauſam Chriſti ſuper caput
eius ſcriptam, cùm lego. Et Deus erat Verbum; caput enim
Chriſti Deus. Titulus poſitus ſupra crucem illud oſtendit, in-
quit Beda, *quia nec occidendo potuerunt efficere, vt eum Re-* *Beda.*
gem non haberent, qui eis, ſecundùm ſua opera, redditurus eſt.
A quo nihil diuerſus Remi. *Diuinitùs autem procuratum* *Remig.*
fuit (inquit) *vt talis titulus ſuper caput eius poneretur, vt per*
hoc Iudæi agnoſcerent, quoniam, nec etiam occidendo facere
potuerunt, vt eum Regem non haberent. Per mortis enim pa-
tibulum non amiſit imperium, ſed potiùs corroborauit. Raba. *Raba.*
in eandem ſententiam ſcribens, ait: *Quia enim Rex ſimul,*
& Sacerdos eſt Chriſtus, cùm ſua carnis hoſtiam in altari
crucis offerat, Regis quoque dignitatem titulus prætendit, qui,
non infra, ſed ſupra crucem ponitur. Quia, licet in cruce pro
nobis hominis infirmitate dolebat, ſuper crucem tamen Re-
gis maieſtas fulgebat, quam per crucem non perdidit, ſed po-
tiùs confirmauit.

Nullus tamen eſt, qui à Chriſto Regnum crucis, dolo-
rum, & cruciatuum excludat, *Regem Salomonem in diadema-* *Cant. 3.*
te, quo coronauit eum mater ſua, illum non agnoſcat, &
Principatum, factum eſſe ſuper humerum eius, dum crucem *Eſa. 9.*
portauit,

Hieron. portauit,& dolores ſuſtinuit, non fateatur. Aſſerit id Hieron.ſuper Eſa.9.dicens, *Principatum illum, qui fuit in cruce,eſſe nunc in gloria.* Et Chryſ. per crucem Chriſtum regnaſſe,ac triumphaſſe,affirmat. *Sicut in trophæo(* ait ille*) literæ ponuntur,victoriam oſtendentes, ita Pilatus titulum cruci Chriſti inſcripſit.* Quòd verò regnum Chriſti, quod eſt in Eccleſia,aſſumpſerit in cruce, præter loca Pſal.44.92.& 144.Coloſ.1.& Apoc.5.eſt & authoritas Euch.q.in Pſal.Arnol ſuper Pſal.92.& Baſil.ſuper Pſal.44.

Chryſ. *Pſ.Coloſſ.* *Apoc.* *Euther.* *cum ſeqq.*

In hoc regno regnans Chriſtus,habet omnes illas principales conditiones,quæ requiruntur,vt aliquis ad Regiam dignitatem promoueri poſſit,&c.vt ſupra.

TERTIA INVENTIO

EST,

EAmdem charitatem, quæ Chriſtum humanitate,humaniſque veſtiuit, cœteraque incarnationem ſubſequentia, ei tribuit, tempore ſuæ paſſionis,iiſdem eum ſpoliaſſe,& priuaſſe. Accepit autem ille in incarnatione ſanguinem, corpus, animam, compoſitum, totum, veſtes, gloriam, & honorem, matrem, diſcipulos, & amicos; quæ quidem omnia in paſſione perdidit. Sanguinem perdidit,quia illũ pluribus in locis,multiſq; vicibus effudit. In horto: *Factus eſt ſudor eius,&c.* In flagellatione: *Apprehendit autem illum Pilatus, & flagellauit.* In coronatione ſpinea: *Et milites plectentes coronã de ſpinis, &c.* In crucifixione: *Exiuit in eum. qui dicitur Caluariæ, locum, &c.* Ac tandem in lateris vulnere: *Vnus militum lancea, &c.* Perdidit corpus; tum quò ad accidentalia: *Vidimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum. Non erat ei ſpecies, neque decor, &c.* tum,quò ad eſſentialia; perdidit enim formã ſuam ſubſtantialem, quæ eſt anima: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Perdidit etiam animam; tum, quò ad accidentalia: *Triſtis eſt anima mea, vſque ad mortem*; tum quò ad eſſentialem corporis informationem: *Vt viderunt eum iam mortuum, &c.* Perdidit compoſitum; nam, per communem Scholaſticorum ſententiam, in triduo non fuit homo. Perdidit ve-

Luc.22. *Ioan.19.* *cum ſeqq.* *Eſa.53.* *Ioan.19.* *Matt.26.* *Ioan.19.*

dit veſtes: *Milites ergo, cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, &c.* Perdidit gloriam, & honorem: *Expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. Et poſtquam illuxerunt ei, &c.* Perdidit matrem: *Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.* Perdidit diſcipulos: *Relicto eo omnes fugerunt.* Perdidit amicos: *Et non erat, qui cognoſceret me.* *4. Euang. Matt. 26. Mar. 14. Ioan. 19. Matt. 26. Pſal. 141.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

EXtraordinarius, & mirus modus, quo ſacri Euangeliſtæ paſſionem Domini deſcribunt, quemlibet noſtrûm, quamuis adamantini pectoris, & ſaxei cordis, ad compunctionem, & lachrymas inducit. Calami namque, quibus paſſionis ſcripturam formant, groſſiores ſpineæ coronæ ſpinæ ſunt. Atramentum, ſanguis Chriſti, eorum lachrymis admixtus. Charta, carnes immaculati, & innocentiſſimi agni. Ac tandem caracteres, largiores, & profundiores corporis illius plagæ. Nec mirum quidem, ſi hoc modo vtuntur, ad paſſionem Chriſti deſcribendam, quandoquidem, æternum Patrem, nudato gladio, diſtricto enſe, Filium ſuũ percutere cernunt: *Phramea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Tantùm in me vertit, & conuertit manum ſuam, tota die.* Et Spiritum Sanctum, aliàs paracletum, & conſolatorem, hodie Chriſtum, abſque vlla conſolatione in tormentis reliquiſſe vident: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Et in principio paſſionis: *Cœpit tedere, & pauere, & mæſtus eſſe.* Vndè meritò quidem, ad illi compatiendũ, & collachrymandum, hortatur nos Ieremias, dicens: *Deducant oculi tui lachrymas, & palpebræ tuæ defluant aquis, quia vox lamentationis audita eſt in Sion.* Et idem alibi: *Non quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, luctum, quaſi vnigeniti, fac tibi.* Pro morte Ioſiæ Regis, quolibet anno, *cantores, & cantatrices Iſraëlis in vnum conueniebãt, vt lamentationes ſuper illum replicarent, & hoc, quaſi lex obtinuit in Iſraël. David, vt dignè Saulis mors plangeretur, præcepit, vt docerent filios Iuda planctum.* *Zach. 13. Eſa. 43. Thren. 3. Pſal. 21. Matt. 26. Mar. 14. Iere. 9. Iere. 31. 2. Par. 35. 2. Reg. 1.*

Et pro morte Chriſti, filij eius illi, pro *quibus mortuus eſt, & pro* *Rom. 5. Eſa. 53.*

& pro quibus doluit, ſaltem hoc paſſionis die, mortem eius non plangent; & lachrymas, in memoriam dolorum eius

Ioël. 1. non fundent? *Plange, plange, quaſi virgo, a ccincta ſacco. N. ſuper virum pubertatis ſuæ.* Et eò magis, quia eadem charitate, qua pro te, & humanitate, & humanis, omnibusque incarnationem principaliter concomitantibus, veſtitus, ornatusque eſt ſponſus, in paſſione pro tui ſalute ſpoliatus, priuatusque remanſit. Accepit à nobis ſanguinem, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

QVæ Chriſtus in paſſione pro nobis pertulit, eleganti verſiculo Iob comprehendere, dicen-

Iob 15. do: *Tenebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum, ſicut Regem, qui præparatur ad prælium.* Chriſtus enim Rex, cùm præpararet ſe ad prælium vltimum cum omnibus inimicis ſuis in monte Caluariæ, tenuit eum tribulatio in corpore, & anguſtia vallauit eum in anima. Tribulatio corporis maxima fuit, non ſolùm ratione delicatiſſimæ complexionis, cùm non eſſet ex vili materia, ſed ex puriſsimis Virginis ſanguinibus formatum, & nihilominus, poſtquàm humanæ vires tolerare poſſint, afflictus eſt, verùm etiam, quia in multis cum illo diſpenſatum fuit, & naturalis ordo immutatus, vt ſupra naturalem curſum, pati poſſet. Diſpenſatum enim fuit primò in vſu rationis. Cum enim, non ſolùm vehemens delectatio

Auguſt. (dum eſt in ſummo) vſum rationis adimat, vt inquit Aug. 14. Trin. 15. ſed etiam maximus dolor, immò magis, vt inquit idem 83. qq. q. 36. ſecundùm naturalem curſum, in tot, tantisque tormentis rationis vſum perdere debebat. Sicut & Sancti Martyres ſi in ſummis cruciatibus illum non perdiderunt, ex particulari Dei gratia illis fuit reſeruatus. Diſpenſatum in recipiendis doloribus à diuerſis ſuæ paſſionis inſtrumentis. Vt, ſcilicet, dolor, cauſatus ab vno inſtrumento, non confunderet dolorem ab alio inſtrumento inflictum, cùm naturaliter ex multis tormentis partialibus vnum tormentum totale aggregari ſoleat, & vnum aliud confundere. Vndè Sancti Martyres in diuerſis corporis partibus patien-

patientes varia tormenta, non ita diſtinctè ea ſentiebant, cùm maior dolor minorem impediret, & vnum aliud confunderet. In Chriſto autem, vt plus pati poſſet, diſpenſatum eſt, & factum, vt omnia tormenta diſtinctiſſimè ille ſentiret, vnum aliud non impediret, & grauiora clauorum tormenta minimas ſpinarum punctiones non confunderent. Diſpenſatum fuit, quò ad ſenſum tactus. Qui quidem cùm deſtrui ſoleat in ſummis corporis cruciatibus, & eo deſtructo, nullus amplius dolor percipiatur, integer in Chriſto conſeruatus fuit, & ipſe vſque ad emiſſionem ſpiritus, in ſui pura, & viuaci ſenſatione remanſit. Diſpenſatum etiam in ſeparatione animæ à corpore. Vt, videlicet, tota ab omnibus corporis partibus ſimul, & ſemel, in vno inſtanti ſepararetur, cùm in alijs ſucceſſiuè ſeparari à corpore ſoleat, vt priùs, videlicet, ab vna parte, deindè ab alia ſeparetur. Diſpenſatum tandem in hoc, vt in tot, tantiſq; tormentis abſq; aliqua cõſolationis admixtione pateretur; vbi alij Martyres, præ cordis, & ſpiritus interiori gaudio, tamquàm ad epulas inuitati, ad agonem properarunt. Eleganter ergo Iob dicit: *Tenebit eum tribulatio*, maxima enim vis eſt in termino illo (*tenebit*) quando non ſimpliciter tribulationem paſſum eſſe, ſed tribulationem tenuiſſe illum exprimit, & preſſuram perualidam indicat.

Anguſtia etiam vallauit eum, qui terminus maximam quoque habet efficaciam, & pluſquàm dici poſſit, rei ſignificatiuus eſt. Quandoquidem, nedum in omnibus animæ ſuæ potentijs paſſus eſt (vndè Aug. ſuper verba Pſal. *Repleta eſt malis anima mea*, gloſſat: *Non vitijs, ſed pœnis*) verum etiã in vtraque portione paſſus eſt, inferiori, ſcilicet, & ſuperiori. In ſuperiori verò, accipiẽdo illã non ſtrictè pro vt reſpicit ſola æterna (quia, vt ſic ſolum Deum habet pro obiecto & ſi tali modo triſtatus fuiſſet, tantùm de eſſe Dei & de eius perfectionibus triſtatus eſſet, quomodo, nec fortè damnati, triſtantur, eſt enim omnium peccatorum grauiſſimum) ſed ſecundùm laxiorem ſignificatum; pro vt, ſcilicet, reſpicit temporalia, in ordine ad æterna. Et hoc modo accipit ſuperiorem portionem Aug. 12. Trin. Secundùm quam *cùm de tribus poſſit aliquis triſtari*, inquit Scotus, d. 15. 3. q. Vn. *ſcilicet, de carentia fruitionis, reſpectu obiecti æterni, de peccato ſuo, vel alterius, & de alijs malis, ſuo ſuppoſito, cæteriſque perſonis di-*

Pſal. 87.
Auguſt.
Idem.
Sco. d 15. 3. q. Vnica.

nis dilectis diſconuenientibus (*patet enim ordo, quia, ſicut ſuperior portio, largè ſumpta, primò vult ſuam fruitionem, reſpectu Dei, ſecundò iuſtitiam quamcunque, ad fruitionem ordinatam, & hoc in ſe, vel in alio, tertiò vult, ſecundùm regulas æternas, bona media, & minima, ſibi, & alijs, in ordine ad maxima, ita habet nolle, reſpectu oppoſitorum, & triſtitiam de illis, ſi accidant*) *De primo in paſſione ſua Chriſtus non triſtabatur*, inquit Scotus ibi: *Quò ad primum iſtorum. Quia non fruitio, vel non perfectio eius, quæ fuit nolita, non euenit in morte, quia non fuit congruum, vt per illud, quo meruit, alios fini coniungi, ipſe minus fini coniungeretur. Nec de peccato proprio triſtabatur, quia nullum habuit, ſed de alieno, puta, de peccato infidelitatis diſcipulorum dubitantium, & de incredulitate, et crudelitate Iudæorum perſequentium ipſum. De malis autem, ſuo ſuppoſito diſconuenientibus, & vt natura, & vt libera, per nolitionem conditionatam eius voluntas triſtabatur, &c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

COllectas, quibus in vnum fideles quolibet anno conueniunt, ad Chriſti paſſionem commemorandam, & piè, ſanctèque flendum, conſiderans Baruch, inquit 6. cap. *Inſpina horti omnes aues ſederunt*. Cùm enim hortus Domini ſit Eccleſia, vt exponunt Beda ſuper Gen. 2. Greg. ſuper Cant. 4. & Aug. 8. de Gen. ad lit. 5. & ſpina horti huius ſit paſſio Chriſti, ſi enim Martyrum paſſiones ſpinas vocant Greg. ſuper 1. Reg. 6. & Amb. ſuper Pſal. 118. Serm. 22. multò magis paſsio Chriſti ſpina dici poterit; in qua omnes aues ſpirituales ſedent, per contemplationem ad tantam celſitudinē eleuatæ. Iſych. ſuper Leu. 1. 11. & 17. Aug. 16. de ciuit. Dei, c. 24. & ſuper Pſal. 103. Greg. 11. Mor. 2. & 19. Mor. 11. Ric. de S. Vict. de ſecur. conſc. 17. Rup. 1. ſuper Apoc. Amb. de Abra. 8. Beda ſuper Gen. 5. Aret. ſuper Apoc. 19. Illud fortaſſe verentes, quod Leu. 23. ſcribitur: *Omnis anima, quæ non fuerit afflicta in die hac, delebitur de populis ſuis*. Rami namque, qui ad radicis offenſionem nihil patiuntur, de radice viuere non creduntur. Et meritò id quidem, quandoquidem, primo capite,

Baruch.

Beda. cum ſeqq.

Leu. 23.

pite,& viuifico omnium corde languente, & mœrente,congruum eſt,vt omne caput languidum ſit,& omne cor mœrẽs. *Dominus meus Ioab*,dicebat Vrias, *& ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam,vt comedam,& bibam,& dormiam cum vxore mea?* Et quilibet christianus intra ſe dicere debet: Dominus meus ſuper lignum crucis, tribus clauis ſuſpenſus manet, *à planta pedis, vſque ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas,non eſt dolor ſimilis,ſicut dolor eius,& ego affluam delicijs, & fruar bonis?* Et ego nõ compatiar illi,&,vel ſaltem paucula's lachrymas non effundam? *Dilexit me,& tradidit ſemetipſum pro me,non abijciam gratiam Dei.*

2.Reg.11. Eſa.1. Thren.1. Eccl.2. Gala.2.

Vt ergo. N. hodie, quemadmodum tenemur,Chriſti Domini noſtri paſſionem deuotè contemplemur, & lugeamus cum lugentibus, tum corporis, tum animæ illius cruciatus, quæſo,conſideremus. Quos quidem eleganter comprehendit Iob illis verbis, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO

EST,

IN verbis Dei ad Iob, hoc eſt, Patris ad filium patientem (Iob enim, vlceribus plenum, typum fuiſſe Chriſti patientis, teſtatur Greg. Prol. Mor. 11. Orig. ſuper Iob 1.) & Hebraica interpretatio nominis Iob illi quadrat; interpretatur enim, dolens: *Et pro nobis dolet*, inquit Eſa: Exoſus: *Grauis eſt nobis, etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius.* Patiens inimicitiam: *Ipſe enim eſt pax noſtra,qui fecit vtraque vnum*, inquit Paul. Ephe. 2. *& medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans,vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Ac tandem gemens, & vlulans: *Cum clamore valido, & lachrymis clamans, &c.*) *Circunda tibi decorem, & in ſublime erigere, & eſto glorioſus, & ſpecioſis induere veſtibus*, vniuerſa paſſionis Chriſti myſteria ad plenum exprimi. Circundans

Gregor. Origenes. Eſa.53. Sap.2. Ephe.2. Heb.5. Iob 40.

cundans enim ſemetipſum opprobrijs, illuſionibus, flagellis, contemptibili purpura, veſte alba, ſpinea corona, alapis, &c. decorem ſibi circũdedit. *Dominus enim per crucem regnans, decorem induit.* *Decorum pretium eius*, triginta ſcilicet, argenteorum, apud Zachariam legimus. *Decor vitæ eſt in illa*, ſcilicet, in ſapientia crucis, *Regem in decore ſuo*, dum, ſcilicet, erit in cruce, *videbunt oculi eius, cernent terram de longè*, ſcilicet, terram viuentium, per Chriſti paſſionem acquirendam, inquit Eccli. 6. Virgam tandem crucis, ne dum decoram, ſed & decorem ipſum appellat Zacharias, loquentem Chriſtum introducens: *Et paſcbam pecus occiſionis, propter hoc; ò pauperes gregis, & aſſumpſi mihi duas virgas, vnam vocaui Decorem, & alteram vocaui Funiculum, & paui gregem.*

Pſal.92. *Zach.11.* *Eccli.6.* *Zach.11.*

In ſublime erectus eſt, cùm exaltatus fuit in cruce, dirisſimoſque ibi cruciatus ſuſtulit. Fuit glorioſus, tum in miraculis, caſus retrorſum militum, qui ad eum comprehendendum venerant, ſanationis Malchi, conuerſionis latronis, & Centurionis, necnon vniuerſalis militum compunctionis, tum denique tot, tantorumque prodigiorum, Solis, ſcilicet deliquij, terræ motus, &c.

Speciosis tandem indutus eſt veſtibus, cùm veſtes ſuas ſanguine rubricauit, & veſtimentum corporis, quod à Maria accepit, effuſione ſanguinis rubrum factum eſt, &c. Vndè B. Agnes: *Et ſanguis eius ornauit genas meas, &c.*

B. Agnes.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVòd nullum ſufficientem mediatorem inter ſe, & mundum reperiret Deus, qui, & iram ſuam placaret, & mundum ſibi reconciliaret, conqueritur ipſe per Ezechielẽ Prophetam, dicens: *Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inueni.* Inter homines enim mediatorem talem non inueniebat, qui completè pro mundi peccatis ſatisfaceret ſuæ diuinæ iuſtitiæ, cùm nullus purus homo ad id idoneus, & ſufficiens eſſet. Duæ enim conditiones in mediatore requiſitæ, quòd poſſet, & quòd deberet ſatisfacere, debitum in.

Ezech.22.

tum in puro homine reperiebatur, potentia nequaquàm. Neceſſe ergo fuit, vt mediator, Deus,& homo eſſet: *Deus, qui poſſet,homo,qui deberet.* Conqueritur etiam Deus,ſe(cùm *de cœlo proſpexit ſuper filios hominum*)non inueniſſe virum talem,qui ſtaret oppoſitus furori ſuo,terram iam iam diſſipaturo, ſepem interponendo orationum, Hieron. ſuper Eſa.58.& ſuper Matth.21.talis virtutis, quæ Deum cum toto mundo reconciliare poſſent. Licèt enim, & Moſes,& Samuel,& Ioſue,& alij Eccleſiæ iuſti, quò ad aliquod particulare,& pro aliqua ſingulari perſona, vel populo, gratiam à Domino impetrauerint,& eius ſe furori oppoſuerint, nullus tamen vnquàm inuentus eſt,qui pro toti mundo Deo reconciliando,eiuſque furore placando, exauditus ſit. *Anſel.li.2. Cur Deus Hom.c.6. Pſal.52. Hier.ſup. Eſa.58.& ſup.Matt. 21.*

Soli Chriſto mundi reconciliatio, pro omnium peccatis ſatisfactio, iuſtificatio, ſanctificatio, &c.reſeruabatur. Solus ipſe hoc præſtare poterat, ſolus *Dei,& hominũ mediator,homo Chriſtus Ieſus.* Solus ipſe fuit,qui interpoſuit ſepem orationum (quibus in cruce clamans,*exauditus eſt pro ſua reuerentia*) & ſepem corporis ſui, quam gladius diuini furoris (quia interpoſuit ſe,& oppoſuit pro mundi ſalute diuinæ iuſtitiæ) laciniosum reddidit, & concidit. *1.Tim.2. Heb.5.*

Hoc ergo viro reperto,& querimoniæ diuinæ ſatis dato,quid ſibi iniunxerit Deus, vt furor ſuus placaretur, ſuæ iuſtitiæ ſatisfieret,& mundus redimeretur,explicat Iob 40.cap.dicens, ex perſona Patris, ad filium loquentis: *Circunda tibi decorem, &c.* vt ſupra. *Iob 40.*

Mar. 16.

Maria Magdalene,& Maria Iacobi,& Salome emerūt aromata, &c. Mar. 16.

PRIMA INVENTIO EST,

1. Cor. 5.

PAſcha Chriſtum (*Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus*) contemplandum. Cuius quidem duo Paſchata ſunt,vmbratile, & verum. De vero, quod immolatum eſt in cruce, locuti fuimus nudius tertius. De vmbratili,quod ad præſentem feſtiuitatem pertinet, hodie loquendum. Triplex autem eiuſmodi Paſcha reperimus, tribus diuerſis in locis celebratū. Primum celebratum fuit in Aegypto, ſecundum in deſerto, tertium in terra promiſſionis.

Beda.

Paſcha, in Aegypto celebratum, inquit Beda ſuper Exo. 11. *eſt Paſcha veteris teſtamenti. Paſcha in deſerto, poſt tranſitum maris Rubri, eſt Paſcha noui teſtamenti. Paſcha verò in terra promiſſionis,eſt Paſcha Beatorum in requie, & fœlicitatè.* Paſcha noui teſtamenti

Num. 9.
1. Eſdr. 6.
Gregor.
cum ſeqq.

celebratur ſecundo menſe, Num. 9. & 1. Eſdræ 6. atque in illius celebratione pluit manna de cœlo. Quod vel manna gratiæ (Greg. 27. Mor. 17.) ſignificat: Vel manna corporis Chriſti, in tali Paſchate, & incruentè, & cruentè ſacrificatum (Orig. ſuper Matth. Hom. 35. Aug. ſuper Pſal. 77. & Tract. 11. in Ioan. & Cyril. 3. ſuper Ioan. 34.) Vel diuinitatem Chriſti (Amb. Epi. 1. & 62. Orig. ſuper Num. Hom. 3. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4.) Vel ſacram doctrinam, quam tunc temporis dedit Chriſtus diſcipulis (doctrinam enim per manna intelligunt Philo 2. Alleg. Origin. ſuper Exo. Hom. 7. Aug. Serm. 91. Epipha. 2. cont. Hæreſ. tom. 1.)

Vel

Vel B. Virginem Mariam (Amb. Serm. 3.) Vel tandem bonitatem Dei, quam in nouo teſtamento fideles colligunt (Thom. 1. 2. q. 102. art. 4.) Dicitur autem Paſcha ſecundi menſis, quia eſt noui teſtamenti, & celebratur poſt biduum, hoc eſt, tertia die, in ſtatu, ſcilicet, gratiæ, qui tertius eſt, poſt duos præteritos. *D.Tho.*

Vel dicendum: Illos in Aegypto celebrare Paſcha, qui adhuc ſub ſeruitute ſunt myſtici Pharaonis. In deſerto verò, qui ſunt in gratia, viatores tamen. In terra deniq́ue promiſſionis, qui in gratia conſummata ſunt, iam deuictis inimicis, & de propria ſalute ſecuri.

Vel deniq́ue; Paſcha in Aegypto celebrant tribulati tribulationibus, ab hominibus immiſſis, vt erant filij Iſraël, à Pharaone vexati. Paſcha in deſerto, qui pœnitentiæ rigore ſe ipſos affligunt: Hæc.n. tribulatio non eſt ab hominibus principaliter immiſſa, ſed de conditione ſtatus, quem pœnitentes elegerunt, & loci, deſerti inquam, & ſolitudinis huius vitæ. Paſcha hoc dicitur ſecundi menſis, quia primum exercet primò corpus, & per accidens animam, hoc autem, & animam, & corpus, & principaliter animam. Et celebratur poſt biduum, quia (præſuppoſita bonitate cordis, & rectitudine oris) ſingulariter operibus celebratur. Habet, & ſuum Manna, vt ſupra. Paſcha tandem in terra promiſſionis celebrant qui de tribulationibus huius vitæ ad vera gaudia, à Chriſto nobis promiſſa, tranſierunt.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

NOui teſtamenti euentus, & ſtatus gratiæ veritates bifariam Dominus in veteri teſtaméto voluit eſſe prænunciatas, factis, nimirum, & verbis. Quemadmodum etiam antiqui Prophetæ, qui Synagogæ futuros euentu., & verbis, & aliqua corporali actione prophetabant. Eiuſmodi fuit Propheta Oſee, qui, ad ſignificandum ſpiritnalem fornicationem Synagogæ, accepit vxorem fornicationis, & fecit filios fornicationum. Eiuſmodi Ezechiel, qui, vt Iſraëlitas reprehenderet de duritia cordis eorum, non luxit, neq́ue dolorem aliquem oſtendit in morte vxoris ſuæ, quam vnicè *Oſe.1.*

Ezech.24. diligebat, & *deſiderabile erat oculorum eius.* Eiuſmodi Iere-
Iere.19. mias, qui figuli teſteum vas coram populo Iſraël fregit, vt
indicaret eis, eodem modo illos confringendos, nec vltra
Iere.27. reparandos eſſe. Qui & rurſus fecit ſibi catenas, & poſuit
eas in collo ſuo, vt Iudæorum captiuitatem ſignificaret.
Eſa.20. Eiuſmodi Eſaias Propheta, qui iuit nudus, & diſcalciatus, ad
ſignificandum ignominiam Hebræorum in captiuitate. Atq;
ita ſexcentæ eiuſdem generis actiones in ſacris litteris le-
guntur. Immò adeò talis conſuetudo antiquo tempore
inoleuerat, vt etiã falſi Prophetæ eiuſmodi actionibus pro-
phetare conarentur. Vndè Sedecias, falſus Propheta, filius
Chanaana, vt vana ſpe Regem Iſraël deluderet, cornua fer-
rea ſibi fecit, dixitque Regi, in expeditionem, contra Sy-
3.Reg.22. riam, profecturo: *His ventilabis Syriam, donec deleas eam.*
2.Par.18. Exempla autem veteris teſtamenti noui teſtamenti futura
Rom.15. præfigurantia, in medium non ſunt afferenda, quoniam *quæ-*
1.Cor.10. *cunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, &*
omnia in figura contingebant illis. Vndè, ſi inducerentur per
Ioan.vlt. ſingula, *nec mundum, arbitror, poſſe capere eos, qui ſcribendi*
eſſent, libros.
Hoc duplici prophetandi modo Chriſtianum Paſcha pro-
Act.10. phetatũ nouimus: *Chriſto enim,* pro mundi ſalute, vt Paſcha
noſtrum, immolando, *omnes Prophetæ teſtimonium perhibẽt.*
Et, inter præcipuas figuras, Agni paſchalis immolatio, &
Paſcha ipſum, ab Hebræis celebratum, illud præſignat. Quod
quidem, non ſine myſterio, triplex legitur, tribuſque in lo-
cis celebratum, ſcilicet, in Ægypto, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO
EST,

CHriſti reſurgentis, eiuſque reſurrectionis
conditiones in angelo, ad ſepulchrum il-
lius apparente, abſolutiſſimè deſcribi. Is
enim iuuenis, coopertus ſtola candida,
ſedens in dextris, & aſpectus, ſicut fulgu-
Mar.16. ris, deſcribitur. *Et introeuntes in monu-*
mentum, viderunt iuuenem, ecce primum.
Coopertum ſtola candida, ecce ſecundum. *Sedentem in dex-*
tris,

tris,ecce tertium. *Erat autem aſpectus eius,ſicut fulgur*,ecce quartum.R*enouabitur,vt aquilæ iuuentus tua*,ecce iuuentutem Chriſti reſurgentis,*qui reſurrexit in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis ſuæ . Dealbauerunt Sancti ſtolas ſuas in ſanguine agni*, ergo multò magis ipſe ſtolam propriam in ſanguine proprio dealbauit. Vndè Eſa.63.*Iſte formoſus in ſtola ſua*,ecce candorem Chriſti reſurgentis.*Satan ſtabat à dextris eius,vt aduerſaretur ei* in paſſione, ergo, illo deuicto per mortem,facta permutatione, debuit ſtare ad dextram eius. Et quid ni ad dextram Satanæ, qui ad dextram Patris reſurgendo aſcendit? Aſpectus etiam, ſicut fulguris, reſurgenti Chriſto conuenit, quia corruptibile induit incorruptionem, mortale immortalitatem, infirmum gloriam, &c.

Pſal.102. Ephe.4. Apoc.7. Eſa.63. Zach.3.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

AVguſtini verbis, ob conceptam hodierna die animi lætitiam,huic concioni initium facere cogor.N. *Poſt illuſiones, & verbera, poſt aceti,& fellis pocula mixta, poſt ſupplicia crucis, & vulnera, & poſtremò,poſt ipſam mortem, & inferos, ſurrexit de ſuo funere caro noua, redit ab occiduo latens vita,& in morte ſalus reſeruata reſurgit,pulchrior reditura poſt funus.* Hactenus Aug. *Hæc dies, quam fecit Dominus,exultemus,& lætemur in ea.* Maria,ſoror Moſis,poſtquàm vidit populum Dei tam inaudito miraculo ſicco pede profunda maris tranſiſſe, & inimicos eius demerſos eſſe in profundum,ſumens tympanum,læta,vnà cum mulieribus Iſraëlis cecinit: *Cantemus Domino,&c.*Et nos in hac die,in qua Chriſtus tranſacto mari Rubro ſuæ paſſionis,in quo inimicos demerſit, ad vitam reſurgit, cantemus Domino, & iubilemus ſpiritu. Sereniſsima Regina Heſter, ſuſpenſo in patibulo Aman, & liberato populo ſuo, voluit.vt lætarentur Hebræi, quibus *noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor,& tripudium.* Et nos,chirographo decreti cruci affixo, & liberato chriſtiano populo ab impij Aman perſecutione, exultemus, & lætemur in hac die, in qua tanti beneficij memoria recolitur. Arca Dei,cùm à regione Azotiorum ad fines

Auguſt. Pſal.117. Exo.15. Heſter.8. Coloſſ.2. 1.Reg.6.

Iudæorum ſecura, & integra peruenit, lætati ſunt vniuerſi.
Et nos, reuertente hodie arca myſtica Chriſto ad terminos
nouæ vitæ, & glorioſæ immortalitatis, poſtquàm captiua
fuit in manibus Hebræorum, & Gentiliū, exultemus, & læte-
Iudith 13. mur. Iudith, interfecto Olopherne, & Dauid, occiſo Goliath,
1.*Reg*.18. cùm reuerterentur, vox exultationis, & iubili audita eſt. Et
nos, ob victoriam, quam Chriſtus de Principe huius mundi
reuexit, læti ſpirituali lætitia, iubilemus, & pſallamus in
4.*Reg*. 7. cordibus noſtris Domino. *Dies boni nuncij eſt, ſceleris ar-
guemur, ſi tacuerimus. Poſt ſabbati triſtitiam fœlix irra-*
Hieron. *diat dies*, inquit Hieron. *quæ primatum in diebus tenet,
luce prima in eo luceſcente, & Domino in eo cum triumpho
reſurgente*.

Leo Serm. 1. de Nat. Dom. Vt ergo in hac die, in qua *omnibus lætitiæ communis eſt
ratio*, aliquid omnes in Dei laudem, & gloriam operemur,
mihi, ſolitò magis, ſpiritus feruore ex hoc Suggeſtu loquen-
dum, ſentio. N. quando tot in vnum, ad tanti muneris hilarē
executionem, me rationes impellunt. Veſtra iuſtificatio, &
ſanctificatio, ſpirituale omnium gaudium, dæmonis confuſio,
Angelorum, & Beatorum tripudium, diei ſolennitas, &, vel in
primis, Chriſti reſurgentis nouus ſtatus, nouum eſſe, nouā
conditio. De quo aliquid dicturus, in angelo, mulieribus ap-
parente, principalia ſacramenti huius myſteria mihi videre
videor, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

Reſurrectionis Chriſti tempus, locum, modum, & circumſtantias, præcedentia, & ſubſequentia ab Euangeliſtis completè enarrari. Tempus, quod quidem varium, non ſine Spiritus Sancti inſtinctu, à SS.PP. aſſignatur. Aliqui. n. media nocte illū ſurrexiſſe dicunt, vt eſt Hier.
Hieron. in qq. ad Hebdibiam. Quā ſententiam confirmat typus Do-
minicæ reſurrectionis, qui in Samſone præceſſit, vt interpre-
Gregor. tatur Greg. in Hom. Paſch. *Cùm. n. Samſon* (inquit ille) *Ga-
Iudith*.16. *zam ciuitatē Philiſtinorum, fuiſſet ingreſſus, Philiſthæi ingreſ-
ſu eius cognito, ciuitatem repentè obſidionibus circundederūt,*
cuſto-

cuſtodesque deputauerunt, Samſonem ſe ſe iam comprehendiſſe, putantes. At is media nocte portas ciuitatis abſtulit, & verticem montis aſcendit. Quo facto Redemptorem noſtrum Gregorius deſignatum intelligit, *qui, cùm, ſecundùm animã, infernum, ſecundùm corpus, ſepulchrum eſſet ingreſſus, Iudæi cuſtodes ſtatim deputauerunt, eúmque in inferni, ac ſepulchri clauſtris retentum, quaſi Samſonem in Gaza, ſe comprehendiſſe lætati. Samſon verò media nocte non ſolùm exijt, ſed etiam portas tulit; quia, videlicet, Redemptor noſter, antè lucem ſurgens, non ſolùm liber de inferno exijt, ſed & ipſa etiam inferni clauſtra deſtruxit. Portas tulit, & montis verticem ſubijt, quia reſurgendo clauſtra inferni abſtulit, & aſcendendo, cœlorum regna penetrauit.* Sic ferè D. Greg. In quo tamen obſeruandum, quòd, quamuis Dominum Samſoni comparet, non tamen dicit, eum media nocte ſurrexiſſe, ſed tantùm, quòd ante lucem ſurrexit. Non enim neceſſe eſt, exactè veritatem typo reſpondere. Aug. 4. de Trinit. ſentit, Dominum ſurrexiſſe primo diluculo, non ſolùm ob vaticinium: *Exurgã diluculo*, ſed etiam, quia id apertè videtur dicere Marcus illis verbis: *Surgens autem Ieſus mane prima ſabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ.* Omnes SS. PP. inquit Euthymius, *vnanimiter tempus reſurrectionis Chriſti fuiſſe dicunt circa primum gallicinium, qui iam Dominicæ diei lucem proferebat. Ideò quoque, poſt ſextam noctis horam virtutis ſectatores, ſoluto ieiunio, lætitiam auſpiciantur.* Eſt enim primum gallicinium non ita diu poſt medium noctis, hoc eſt ſextam noctis horam. Patet ergo incertum eſſe, quo præcisè tempore Dominus ſurrexerit. Omnium tamen ſententiâ, Dominum ſurrexiſſe poſt mediam noctem, & ante lucẽ, conſtat. Quod ſanè tempus reſurgenti maximè conueniebat. Sicut enim, Sole iam vergente ad occaſum, mortuus eſt, ita, Sole ad ortum properante, ſurrexit è ſepulchro verus iuſtitiæ Sol, nouum, ſua reſurrectione, lumen mœſtis Apoſtolis, totique mundo afferendo, fugatis procul mœroris, & ignorantiæ tenebris. Conuenit & hoc tempus reſurrectionis, quæ eſt noua quædam generatio (reſurrectionem namque regenerationem vocat Scriptura, & Paul. Act. 13. qui illud Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, in Chriſti reſurrectione interpretatur impletum) diuinæ, & maternæ Chriſti generationi, *quibus antè Luciferum genitus eſt.*

Auguſt. *Pſal. 56.* *Mar. 16.* *Euthym.* *Act. 13.* *Pſal. 2.* *Pſal. 109.*

Digitized by Google

Pſal.73. Locus reſurrectionis eſt medium orbis terræ: *Operatus eſt ſalutem in medio terræ*, & Ieruſalem, & extra portam ciuitatis locus,& hortus,& hortus iuſti, &c.

Ianſen. Modus, anima rurſus informante corpus, diuina virtute, cum terremotu(non,quòd, dum fieret terræmotus, ſurrexerit,quamuis id nonnulli affirment, vt inquit Ianſe. Concor. cap.145.)reuoluendo lapidem, linteamina, & ſudarium ſeparatim relinquendo,cuſtodes exterrendo,&c.

Circumſtantiæ ſunt,mulierum cum aromatibus ad ſepulchrum proceſſio, angeli apparitio,cuſtodum de reſurrectione fides,eorundem per pecuniam corruptio, corporum Sanctorum vnà cum Chriſto ſurrectio,& apparitio, &c.

Introductio ad Inuentionem,& ad totam ſimul Concionem.

CVm Salomon compleuiſſet ædificare auguſtiſſimum templum Domini,dedicationem illius agens, ſacrificium magnum obtulit Domino innumerabilium animaliũ, verbis ſuis conſolatus eſt populum,&,in fine,benedixit vni-
3.Reg.8. uerſæ Eccleſiæ Iſraël. Pater fidei noſtræ Abraham, poſtquàm generauit Iſmaël,adeò nouæ prolis fœcunditate deſperaue-
Rom. 4. rat,ob ſui ipſius,& vxoris ſenectutem,vt ad promiſſum Dei, adhuc,ſcilicet,vnum filium illos generaturos, riſerit Sara
Gen.18. dicens:*Poſtquàm conſenui(deſierant enim Saræ fieri muliebria)& Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo*. Tamen elapſo anno peperit ex Abraham Iſaac filium ſuum.
Gen.2. Primus omnium parens Adam,cùm obdormiſſet, tulit Dominus vnam de coſtis eius,& de illa vxorem eius formauit.
Gen.9. Vir iuſtus Noë,cùm de fructu vineæ ebrius iaceret,& pudẽda oſtenderet, Cham de nuditate illius riſit, reliquis eius filijs reuerenter, pallio (retrorſum incedendo)illum obnubentibus.Quibus ille benedixit,poſteris Cham maledicens.
Gen.37. Patriarcha Iacob,qui,viſa tunica filij ſui Ioſeph, ſanguine aſperſa,illum,tamquàm mortuum fleuit, poſt modum viuũ,
Gen.45. & dominantem in vniuerſa terra Ægypti iterum aſpexit. Homo ſimplex,& rectus,ac timens Deum,permanenſque in
Iob 1. & 42. innocentia ſua,Iob,poſtquàm plagatus fuit,& ad extremam humanæ cõditiouis miſeriam redactus,tandem honoratior, ditior,

ditior, & glorioſior, quàm priùs, apparuit. Cùm Dauid Propheta ab impio Saul ad necem quæreretur, milites, qui ad illum interficiendum venerant, illo effugiente, in cubili, loco eius, ſtatuam repererunt. *1.Reg.19.*

Et Chriſtus Dominus, templo Eccleſiæ fabricato, & ſe ipſo, in ſacrificium cruentum, Patri æterno oblato, verbis ſuis, reſurgendo, conſolatus eſt populum chriſtianum, & benedixit vniuerſæ Eccleſiæ Iſraël. Ipſe etiã, generato Iſmaële, hoc eſt Iudaico populo (Beda ſuper Gen.16. Amb. de Ioſeph 3. apud quem, odio habens interpretatur, & interpretatio Iudæis quadrat, & Aug Serm.81.) cùm ad mortem perueniſſet, vt ſterilis reputatus eſt, nec illum poſſe ampliùs aliũ populum generare. Vndè etiam duo ex diſcipuli eius: *Nos ſperabamus, &c.* Et tamen, à morte ad vitam reſurgens, fœcundior, quàm priùs, Iſaac, id eſt, chriſtianum populum (Clem. Alex. 1. Pæda. 5. Orig. ſuper Gen. Hom. 7. & ſuper Rom. 9. Amb. de Abra. 4. de Iſaac 1. Chryſ. ſuper Ioan. Hom. 25. & Hieron. ſuper Eſa. 63.) generauit. Super lignum crucis nimia charitate inebriatus, cum, non ſolùm nudatus, ſed & verenda oſtendens, obdormiſſet (Quòd autem in cruce planè nudus, atque etiam in ijs partibus, quas natura tegit, crucifixus fuerit, tenent communiter SS. PP. *Refert conſiderare,* inquit Amb. lib. 10 in Luc. *qualis aſcendat. Nudum video, talis aſcendit, quales nos, auctore Deo, natura formauit; talis in paradiſo homo primus habitauerat, talis ad paradiſum homo ſecundus intrauit.* Et rursùs in Pſal. 43. *Tota die,* inquit, *confuſio mea contra me eſt. Quæ autem confuſio, niſi crux, quòd nudus pependit in ea?* Idem videtur tenere Athan. Serm. de cruce & paſſ. *Exuebat veſtimenta ſua* (inquit) *decebat enim, cùm hominem introduceret in paradiſum, exuere tunicas, quas Adam accepit, cum è paradiſo eijceretur.* Eamdem ſententiã ſequuntur Bonau. & Ludolph. prior libro Medit. vit. Chri. poſterior 2. p. vit. Chri. nec non veteres illi PP. qui hanc Noë figuram de Chriſto exponunt, in cruce ſuſpenſo; vt eſt Cypr. Epi. ad Cæcil. Aug. 16. de ciuit. Dei cap. 2. & 12. cont. Fauſt. & alij) ſpurius, & degener eius filius Hebræus illum deſpexit: *Vah, qui deſtruis templum Dei, &c.* Bonus autem filius eius nuditatem operuit, & paſſionem, non ſtultitiam, ſed gloriam reputauit. Chriſtus etiam, ille Ioſeph eſt, qui corporis tunicam, ſanguine hædi

Beda. *Ambr.* *Auguſt.* *Luc.24.* *Cle. Alex. cum ſeqq.* *Matt.27.* *Mar.16.*

Origenes. cum ſeqq. ne hædi peccatoris (Orig. ſuper Exo.Hom.9. Clem. Alex. 7. Strom. Cyril. cont. Iul.9. & Epi.39. Rup. ſuper Zach.10. Amb. ſuper Luc.15. Hieron. ſuper Amos 7.) intinctam, Patri per fratres ſuos Hebræos oſtendit, & reſurgens, Dominus vniuerſæ terræ Aegypti, hoc eſt, mundi totius (Tert. aduer. Iud. Amb. ſuper Pſal.118. Serm.5. Orig. ſuper Rom. 2. Hieron. in Epi. Menſuram charit. Cyril. 3. ſuper Ioan.3. & 4. Rup.2. ſuper Matth.) conſtitutus eſt. Nec non myſticus Iob (Orig. ſuper Iob 2. & Greg. Prol. Mor.) qui, poſt vlcera, & calamitates paſſionis, ad gloriam reſurrectionis peruenit. Ac tandem verus Dauid, qui, auxilio diuinitatis, è manibus Iudæorum elapſus, tantummodo in lecto ſepulchri linteamina, & ſudarium reliquit.

Glorioſam, celebrē, myſterioſam Chriſti reſurrectionē N. quam non mirum ſi ita diligenter deſcribunt Euangeliſtæ, vt nihil, ad illam principaliter ſpectantium, omittant. Deſcribunt enim illius tempus, locum, &c. vt ſupra.

QVARTA INVENTIO EST,

Reſurgentis Chriſti ornatiſſimum, ſplendidiſſimumque triumphum deſcribendum. Dicatur ergo, in aurora, quæ hac die Poëticè (accepta venia) deſcribatur, iuuenem, candidiſſimis veſtibus, varijs aureis ſtellulis redimitis, veſtitum, facie, vt ſol, ſplēdentem, ex antro ſepulchri proceſſiſſe, gloria, & immortalitate coronatum. Cui ſic procedenti, innumera cœleſtium ſpirituum multitudo ſtatim affuit, illumque, poplite flexo, humiliter adorauit. Poſt quæ, ipſorum primores, nexu quodam artificiali, ad inuicem complexi, ſedem efformarunt, qua triumphantem Dominum proprijs veherent humeris, ac triumphum illius agerent. Viginti quatuor Cantores currum præcedebant, totidemque ſequebantur, laudes illius canentes, & dicentes: *Vicit leo de tribu*
Apoc.5. *Iuda, radix Dauid, &c. Deuictus eſt ille, qui habebat mortis*
Heb.2. *imperium. Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus*
1.Cor.15. *tuus? &c.* Ante currum dæmon, mors, & peccatum, principaliores

liores triumphantis hoſtes, vincti cernebantur. Poſt currum, horum arma, gladius, arcus, & ſcutum cum dedecore trahebantur. Arcus triumphales illi erecti ſunt, in quibus egregia eius opera ſculpta, & depicta erant, altiſſimi ſenſus inſcriptionibus appoſitis. Sic vectus, ita comitatus, ad Ieruſalem peruenit, ſed non priùs, quàm captiuos, quos, parta victoria liberauit, in vnum collegerit, &, vt currum ſuum præcederent, iuſſerit. Sanctos, inquam, Patres, quos ex inferni faucibus eripuit, & captiuos duxit. Hos binos præmiſit, & vt Sereniſſimam cœlorum Reginam Matrem ſuam proprijs, & diſtinctis ſalutationibus ſalutarent, præcepit. *Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus*, dixerunt primi parentes: *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël tu honorificentia populi noſtri*, Abraham, & Sara; atque ita reliqui proprijs, & conuenientibus eam titulis ſalutarunt. Hos ſecutus eſt Gabriel angelus, qui Reginam ſuam ſalutans dixit: *Regina cœli lætare, &c.* Ac tandem Dominus omnium ad illam perueniens, è curru feſtinus deſcendit, atque illam amplexus eſt, dicens: *Iam hyems tranſijt, imber abijt, &c.* *Iudith 13.* *Cant. 2.*

Sed, quæſo, non ita curſim hæc pertractentur, liceat nobis in tot, tantiſque myſterijs diutiùs immorari. Quæ ſupra tetigimus, explicentur, &c.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

HOdie, quando probroſa Chriſti crux in triumphalem currum conuerſa eſt, ſpinea corona in flores paradiſi, & terræ viuentium, arundo in regale ſceptrum, purpura in veſtem ſtelliferam, improperia in angelicas laudes, alapæ, & deriſoriæ genuflexiones in actus adorationis, & latriæ, flagella in glorioſas corporis dotes, triſtitia in lætitiam, tormentatores in angelos ſeruientes. Hodie inquam, quando *noua lux nobis oritur, gaudium, bonor, & tripudium*, cœlum, & terra lætantur, exultant angeli, iubilant homines, cuncta rident, & ſingularis lætitiæ ſigna oſtendunt, loquamur, quæſo, de Chriſto, non ampliùs, vt paſſibili, & mortali, ſed gloria, & immortalitate circundatum, honore, & decore *Heſter. 8.*

corona-

coronatum,&c.Surgit enim hodie deſtructor mortis, & inferni victor Principis huius mundi,& omnium contrariarum poteſtatum,ornatiſſimum,ampliſſimum, pretioſiſſimumque triumphum agens. Quem vobis me deſcribentem,precor, audiatis. N. &c.vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

Coloſſ.3. IN reſurrectione Chriſti *deponendum eſſe veterē hominem cum actibus ſuis, & nouum induendum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia,& ſanctitate veritatis.* Sunt autem quinque, quæ in viuentibus renouantur,ſcilicet,Serpens, Aquila,Accipiter,Ceruus,& Phœnix. Serpens n.cū ſenuerit, ſpolium eius adeò induratur,vt vix poſſit moueri. Vndè abſtinet ſe à victu per aliquod tempus,& deindè per arctum foramen tranſit,vbi antiquam pellem deponit. Aquila, cùm inueterauerit, roſtrum curuatur, atque adeò,vt cibum capere non poſſit. Vndè ad petram roſtrum collidens, frangit illud,& curuitatem amputans, cibum ſumit, & iuueneſcit.
Iob 39. Accipiter, ſingulis annis, *expandens alas ſuas ad auſtrum,* vt inquit Iob 39.cap.qui quidem calidus, gratuſque ventus eſt,mutat pennas,& renouatur.Ceruus, cùm ad ſenectam peruenerit,pilis & cornibus grauatur,& oculis caligare incipit.Quos defectus naturali inſtinctu animaduertens, è caverna ſerpentem naribus ſuis extrahit, & comedit. Ex tunc ex illlo veneno intumeſcens,& vehementer ſitiens,fontem deſiderat,illū inuenit,de eo bibit,& ſtatim pilos, & cornua proijcit,oculi eius clareſcunt,& innouatur. De Phœnice,fabuloſa,& fictitia nōnulli putant,quæ narrrantur,grauiſſimi tamen,tum Ethnici,tum Sacri Scriptores ea pro veris affir-
Corn.Tac. mant.Vt ſunt inter alios,Tacit.lib.6.Annal.Plin.lib.10.c.2.
Plinius. Ouid.lib.15.Metam. nec non Amb. lib.de fide Reſurrect.
Ouidius. cap.13.qui ita inquit:*Auis in regione Arabia,cui nomen eſt*
Ambroſ. *Phœnix,rediuiuo ſuæ carnis humore reparabiliter, cùm mortua fuerit,reuiuiſcit.Solos non credimus homines reſuſcitari? Atqui hoc relatione crebra, & Scripturarum authoritate cognouimus:Memoratam autem quingentorum annorum ſpatia*

tia

tia vitalia vſui habere præſcripta, eamque, cùm ſibi finem vitæ adeſſe, præſaga quadam naturæ ſuæ æſtimatione cognouerit, thecam ſibi de thure, & myrrha, & cæteris odoribus adornare, completoque opere pariter, ac tempore, intrare illam, atque emori: Ex cuius humore oriri vermem, paulatimque eum in auis eiuſdem figuram concreſcere, vſumque formari; ſubnixâ quoque remigio pennarum renouatæ vitæ officia munere pietatis ordiri: Nam thecam illam, vel tumulum corporis, vel incunabulum reſurgentis, in qua deficiens occidit, & occidens reſurrexit, ex Aethiopia in Lycaoniam vrbit: Atque ita reſurrectione auis huius locorum incolæ completum quingentorum annorum tempus intelligunt. Hæc ille.

Serpens, Aquila, Accipiter, Ceruus, & Phœnix homo eſt. De primo namque Chriſtus Matth. 10. *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes*. Et Aug. 13. Confeſ. 21. & 2. doct. chriſt. 16. Hila. ſuper Matth. Can. 10. & copioſiùs Orig. ſuper Exo. Hom. 4. De ſecundo Dauid: *Renouabitur, vt Aquila, iuuentus tua.* & Aug. ſuper Apoc. Hom. 6. Orig. ſuper Matth. Hom. 30. Hila. ſuper Matth. Can. 25. Amb. ſuper Luc. 17. &, de bono mortis, ac Baſil. ſuper Pſal. 32. fuſiùs. De tertio Iob, vbi ſupra: *Plumeſcit Accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum.* Et Greg. 31. Mor. 6. & 15. Mor. 32. Hieron. ſuper Iob 39. Orig. ſup. Luc. Hom. 7. Clem. Alex. 5. Strom. & Iſych. ſuper Leui. 11. pleniùs. De quarto Dauid: *Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum, &c.* Et Rup. 7. de diui. offi. 27. Euch. q. in Prou. Gregor. 30. Mor. 16. Bern. ſuper Can. Serm. 52. Aug. ſuper Pſal. 41. Hieron. ſuper Eſa. 34. & 35. & Baſil. ſuper Pſal. 28. Hom. 1. & 2. vberiùs. De quinto tandem Amb. loco ſupra cit. de fide reſurrect. vbi concludit: *Ergo iſti aui quingenteſimus reſurrectionis annus eſt, nobis milleſimus. Illi in hoc ſæculo, nobis in conſummatione mundi, &c.* Dicendum ergo ad hæc conſequenter, ſecundùm myſticam intelligentiam, &c.

Matt. 10. *Aug. cum rel. de text.* *Pſal. 102.* *Iob 39.* *Pſal. 41.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

NOn vna à SS. PP. ratio in medium affertur, cur Chriſtus ab inferis reſurgere voluerit. Reſurrexit enim, vt Scriptu-

Scripturæ implerentur. Ne illius anima apud inferos diutiùs detineretur, maximè, ſi D. Thomæ teneatur opinio; in Lymbo, ſcilicet, animam Chriſti aliquid paſſam ob locum, beatitudini, & gloriæ eius improportionatum. Ne corpus in ſepulchro corrumperetur. Vt ipſe Chriſtus eſſe hominem recuperaret. Vt qui paſſus fuerat, condignè in reſurrectione præmiaretur. Vt qui fuerat via, & veritas, eſſet etiã & vita; & qui agnus fuerat in paſſione, Leo eſſet in reſurrectione, & aquila in aſcenſione. Vt Patris, cui ab impijs Hæbræis impotentia tributa fuerat, infinita potentia in eius reſurrectione oſtenderetur. Dixerunt enim: *Confidit in Deo, liberet eum nunc de manibus noſtris.* Vt Spiritus Sanctus, qui in ſuis membris contriſtari poteſt: *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum,* inquit Paulus, & in Chriſto contriſtatus fuit, lætificaretur. Vt Eccleſia in fide, per reſurrectionis veritatem firmaretur. *Si enim Chriſtus non reſurrexit,* ait idẽ Paulus, *inanis eſt fides noſtra, inanis eſt prædicatio noſtra.* Vt Apoſtoli, altiùs ſolito, inſtruerentur, & in vnum ad euangelicum opus congregarentur. Vt dæmones è ſimulachris eijcerentur, idolatria ceſſaret, & vera Dei adoratio introduceretur. Atque infinitis ferè de cauſis.

(Margin: 3. p. q. 52. art. 4. — Matt. 27. — Ephe. 4. — 1. Cor. 15.)

Sed, vt noſtro deſeruit inſtituto, ideò ſurrexit, vt, qui *traditus eſt propter delicta noſtra, reſurgeret propter iuſtificationem noſtram, vt iam non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azimis ſynceritatis, & veritatis, atque in nouitate vitæ ambularemus. Deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, &c.* Vt autem hæc faciliùs præſtare poſſimus, quinque viuentium ſpecies, quæ in dies renouantur, nobis Dominus in Scripturis, & per Sanctos Doctores ſuos propoſuit. Nimirum, Serpentem, Aquilam, &c. vt ſupra.

(Margin: Rom. 4. — 1. Cor. 5. — Rom. 6. 7. & 12. — Coloſſ. 3.)

SECVN-

SECVNDA RESVR.

Duo ex diſcipulis Ieſu ibāt ipſa die in caſtellū, &c. Luc. 24.

Luc. 24. cum ſeqq.

PRIMA INVENTIO EST,

OMnia illa, quæ ex turbulentiſſima, & viliſſima morte Chriſti duo diſcipuli, qui ab Ieruſalem ibant in Emaus, ſpiritualia bona amiſerant, eis à Chriſto in itinere, appropinquādo illis, reſtituta eis fuiſſe. Carebāt fide: *O ſtulti, & tardi corde, ad credendū, &c.* Redditur iſta fides aperitione Scripturarum, & cognitione Chriſti in fractione panis. Amiſerant pacem cordis: *Et factum eſt, dum fabularentur, & ſecum quærerent, &c.* & verum obiectum amoris: *De Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, &c.* quod non eſt principale charitatis obiectum. Redditur pax cordis, & charitas: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, &c.* Amiſerant etiam corporalis proprij magiſtri notitiam: *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.* Et ſua culpa, inquit Greg. *Duobus diſcipulis ambulantibus in via, non quidem credentibus, ſed tantùm de ſe loquentibus, Dominus apparuit, ſed eis ſpeciem, quam recognoſcerent, non oſtendit. Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipſos agebatur intus in oculis cordis. Ipſi namque apud ſemetipſos intus, & amabant, & dubitabant, illis autem Dominus foris, & præſens aderat, & quis eſſet non oſtendebat. De ſe igitur loquentibus præſentiam exhibuit, ſed de ſe dubitantibus cognitionis ſuæ ſpeciem abſcondit.* Redditur eiuſmodi notitia in fractione panis: *Et cognouerunt eum in fractione panis.* Amiſerant tandem dulciſſimam B. Virginis, aliarum Sanctarum mulierum, cæterorumque Domini diſcipulorum ſocietatem: *Ibant ipſa die ab Ieru-*

Hom. 23.

ſalem in caſtellum,&c. Redditur tandem & hæc: *Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem,&c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

POſtquàm innumera recenſuit Ioſue filijs Iſraël, Dei in eos beneficia, plura etiam in poſterum eis conferenda, ex Dei bonitate repromiſit. Ea tamen conditione Deum illa præſtiturum dixit, ſi illi diuina eius præcepta ſeruaſſent:
Ioſu.23. *Multæ adhuc*, inquit Ioſue, *ſuperſunt nationes, Dominus Deus veſter diſperdet eas,& auferet à facie veſtra,& poſſidebitis terram, ſicut vobis pollicitus eſt. Tantùm confortamini,& eſtote ſolliciti, vt cuſtodiatis cuncta, quæ ſunt ſcripta in volumine legis.* Quaſi diceret, huc vſque Deus ſemper operatus eſt,& in veſtram profectò vtilitatem, nec vos quicquàm, pro tot, tantiſque beneficijs rependiſtis ei. Supereſt modò, ſi de acceptis grati eſſe vultis, & vos idoneos ad alia in dies percipienda reddere deſideratis, vt negotium Dei agatis, diuinæ eius voluntati obſequentes ſitis, & præcepta, quæ dedit vobis, diligenter obſeruetis.

Huius correſpondentiæ defectu fit, vt ingratiſſimi homines, ne dum vlterioribus beneficijs priuentur, ſed & acceptis
Bernar. ſpolientur: *Peremptoria namque res*, inquit Bern. de ingratitudine, *eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis. Dum enim nos*, inquit rurſus ille, *pro acceptis non ingratos Deo exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur. Quodammodo amiſſum reputans dator, quod ingratus accepit, cauet ſibi de cætero, ne tantò plura
Idem. amitteret, quantò plura conferret ingrato. Et hinc eſt*, inquit
Ioan.6. idem Serm.51. in Cant. *quòd iubemur colligere fragmenta, ne pereant, id eſt, nec minima beneficia obliuiſci.*

Multa quidem, & maiora, quàm credi poſſit, in diſcipulos ſuos beneficia viuens contulerat Chriſtus, & tamen tribula-
Matt.26. tionis tempore receſſerunt, *relicto eo, omnes fugerunt*; & de diuinitate illius malè ſenſerunt. Nam, cùm deuotæ mulieres illum reſurrexiſſe, ante eos narrarent, vt deliramentum eiuſmodi verba eis viſa ſunt: *Erat autem*, ait Lucas, *Maria*
Luc.24. *Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ*

cum

cum eis erant, dicebant ad Apoſtolos hæc, ſcilicet, *Dominum ſurrexiſſe, & ſe angelorum viſionem vidiſſe. Et viſa ſunt ante illos, ſicut deliramentum, verba iſta, & non crediderunt illis.* Vndè non mirum, ſi & fidem, & charitatem, cœteraſq́ue, his conſequentes, virtutes amiſerunt. Sed ſi in viridi, quid in arido? Si Apoſtoli defecerunt, quid mirum, ſi Septuaginta duo etiam ceciderunt, ex quorum numero erant duo illi, qui ipſa die reſurrectionis ibant in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emaus? Et ſi propter hoc amiſerunt fidem, pacem cordis, &c. At pientiſſimus Dominus ea omnia eis reddidit, quæ illi, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO EST,

POſt ſæuum prælium, ac truce bellum, in quo, in horrenda confuſione, pallidæ mortis feræ imagines viſæ ſunt, & plena omnia, mixtaque cuncta doloribus, gemitibus, impietatibus. Quando (inquam) humani ſanguinis riui inundarunt, mortuorum, tum hominum, tum æquorum acerui, monteſq́ue effecti ſunt; & implacabilem furorem, horribili facie, circumquaq́ue graſſantem, & victores, & victi, ſquallentes, admiranteſq́ue viderunt. Cùm iam receptui cecinerunt tibicines, & intra ſepta, aut vallum, iuſſu ſupremi Ducis, ſeſe milites receperunt; animaduertens ille, non paucos ex ſuis deeſſe, paululùm recreatus, vix vulneribus circumligatus, rurſus equum aſcendit, hinc inde diſcurrit, diſperſos colligit, mœſtos conſolatur, vulneratos curari præcipit, & mortuos ſepeliri mandat. Vltima, ſupremaq́ue pugna cum omnibus inimicis ſuis nudius tertius pugnauit Dominus, in ſuæ paſſionis conflictu. N. atq́ue adeò ingrauatum eſt bellum, vt inimici eius omnes dextera ſua proſtrati, deuictiq; fuerint, ipſe tamẽ à ſuis commilitonibus derelictus, crudeliter interemptus, occiderit: *Fortis enim impegit in fortem, & ambo pariter ceciderunt.* *Iere. 46.* Quo expleto, finitoq́ue certamine, & à vulneribus paſſionis ille curatus,

animaduertens, quàm plurimos ex ſuis deeſſe, cœpit, ſtatim poſt reſurrectionẽ, hinc inde diſcurrere, & optimi Ducis offi-
Matt. 28. ciũ implere. Conſolatus eſt ſuos: *Auete*. n. dixit mulieribus, illum in ſepulchro quærentibus: *Pax vobis, ego ſum, nolite*
Luc. 24. *timere*, alijs diſcipulis. Vulneratos incredulitatis vulneribus
cum ſeqq. proprijs manibus, poſt adhibitos medicos angelos, qui apparentes, eum reſurrexiſſe teſtati ſunt, curauit. Mortuos in peccato, latronem, & Iudam à dœmonibus in inferno ſepeliri fecit. Diſperſos vndecim congregauit, & etiam ex Septuaginta duobus aliquos, diſperſos, & vulneratos ſimul illos agnoſcens, quæſiuit, vt eos reduceret, & à vulneribus pariter curaret. Quorum præcipuè *illi duo erant, qui ipſa die reſurrectionis ibant in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorũ ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emaus*. Quos à vulneribus infedelitatis, Scripturarum interpretatione curauit, oſtendens, *oportuiſſe pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuã*, & in miraculoſa panis fractione ſe eis oſtendens, ad Ieruſalem, vbi erant vndecim congregati, reduxit: *Et ſurgentes eadem hora, regreſſi ſunt in Ieruſalem, &c.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

CVm hoſtibus ſuis diuerſimodè ſe Dominum geſſiſſe, ex Scripturis colligimus. Principiò enim eorum audaciam videns, & mala, quæ in membra ſua inferebant, introſpiciens, comminatus eſt eis è ſupremo cœlorum habita-
Oſe. 13. culo: *O mors, ero mors tua, morſus tuus ero, inferne*. Poſtmodum, aliquibus in occaſionibus, cum illis manum contulit, & vulnera aliqua eis inflixit; vt, cùm dœmones ab obſeſſis corporibus eiecit, & mortuos ad vitam reuocauit.

Tandem, ad extremum, vltimumque cum eis certamen, temporæ ſuæ paſſionis, deſcendens, eos totaliter contriuit, penitùſque deuicit. Sed quia cruentiſſimum, ſæuiſſimumque bellum tunc commiſſum eſt, moltos ex ſuis perdidit, &c. vt ſupra.

TERTIA

TERTIA INVENTIO EST,

Benignum, pientiſſimumque Chriſtum, cùm videret, duos illos diſcipulos ſuos, qui ipſa die reſurrectionis ibant in caſtellum Emaus, in maxima ſpirituali neceſſitate conſtitutos, eis ſuccurrere voluiſſe. Quòd autem in animæ periculo eſſent, ex quatuor potiſſimùm patet. Primò, quia erant duo, non ſolùm dualitate perſonarum: *Duo ex diſcipulis Ieſu*, ſed etiam dualitate opinionum: *Factum eſt autẽ, dum fabularentur, & ſecum quærerent: Cor autem ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus*. Secundò, quia *ab Ieruſalem diſcedebant*, vbi erat magiſtra veritatis, Maria Virgo; & vbi principaliter fiebant apparitiones: *Sed, & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ, ante lucem, fuerunt ad monumentum, &, non inuento corpore eius, venerunt, dicentes, ſe etiam viſionem angelorum vidiſſe, qui dicunt, eum viuere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita inuenerunt, ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non inuenerunt.* Et antequàm de his certiores fierent, & reſurrectionis veritas magis clareſceret, diſceſſerunt. Tertiò, quia *ibant in caſtellum, nomine Emaus*, quod, indigentia conſilij, interpretatur, & ſignificat, apud ipſos verum conſilium non fuiſſe. Et quartò, quia *ibant in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem*, hoc eſt, ad caſtellum, quod ad perfectionem octauæ non peruenit. Cùm enim ſtadium menſura ſit Herculis curſus, conſtans ex centum viginti quinque paſſibus, ſexaginta ſtadia ſeptem Italica milliaria, cum dimidio reddunt, & ad octauum non perueniunt. Sed adiuuit eos Dominus:

Luc.24. *Eccli.3.* *Luc.24. cum ſeqq.*

Duobus.n.reddidit vnitatem; itinerantibus domum Ieruſalem; indigentiæ conſilij ſe ipſum ſapientiam, habitantem in conſilio; & deficientiæ numeri octaui ſpei noſtræ perfectionem, Pſalmos pro octaua, & ſummam virtutum. Quæ tria contemplatur Ambroſius in octaua. *Prou.8.* *Lib.5. in Luc.c.6.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Pſal. 48. AVthoritas Dauid in Pſal. 48. *Simul in vnum diues, & pauper,* quamuis variè à DD. exponatur. Aliqui enim dicunt, in incarnatione Verbi fuiſſe ſimul in vnum, hoc eſt, in vna perſona, diuitem Deum, & pauperem hominem: 2. Cor. 8. *Deus enim, cùm diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt, vt inopia eius omnes ditaremur,* ait Paul. 2. Cor. 8. Aliqui, in Eccleſia, maxima Dei diſpenſatione, eſſe ſimul in vnum diuitem, & pauperem rebus temporalibus, vt, præter alias cauſas, pauperes corporales diuitias à diuitibus reciperent, diuites verò à pauperibus ſpiritualibus ditarentur Auguſt. theſauris. Ait enim Aug. Ioan. 6. *Da panem terrenum, & pete à Deo cœleſtem; Dominus enim ait: Ego ſum panis vitæ, & hunc tibi dabit, ſi das egenti. Eget ad te alter, eges tu ad alterum; il-* Pſal. 15. *le ad egentem eget, fac quod circa te fiat. Ille bonorum non eget, ideo Deus eſt, ſed vt dicere poſſes, quod alteri amico: Da mihi hoc, quia ego dedi tibi illud: Voluit Dominus egere in paupere, vt illi dando, repetere poſſes, quæ Deo in paupere dediſti.* Atque alij aliter: Tamen, ad rem noſtram, ſimul in vnũ fuerunt diues, & pauper, cùm ſimul fuerunt diues Chriſtus, & pauperes Apoſtoli, diues ille, Coloſſ. 2. *ſapientiæ, & ſcientiæ Dei theſauris,* pauperes Apoſtoli, quia nec rudes parabolas Matt. 13. intelligebant: *E diſſere nobis parabolam iſtam*; & increduli adeò, vt aliquando ad ſanctam indignationem magiſtrum Matt. 17. ſuum induxerint: *o generatio incredula, & peruerſa, quò vſque ero vobiſcum, vſque quò patiar vos?*

Et ſingulariſſimè, tunc ſimul in vnum fuerunt diues Chriſtus, & pauperes Apoſtoli, cùm illi, paſſione Magiſtri exterriti, in fide dubitauerunt, & diuitijs gratiæ Dei maximè Luc. 24. caruerunt. Veluti erant cum alijs *duo ex diſcipulis eius, qui ibant ipſa die in caſtellum, &c.* In quo itinere tunc fuerunt ſimul in vnum diues, & pauperes, cùm *Ieſus, appropinquans, ibat cum illis.* Quòd vero hi duo pauperes diſcipuli in maxima neceſſitate eſſent, ex quatuor potiſſimum patet, &c. vt ſupra.

QVAR-

QVARTA INVENTIO EST.

Itineris duorum diſcipulorum ab Ieruſalem in Emaus varia accidentia conſideranda, diuerſum namque illud mirum in modum fuit. Principium etenim illius mœſtum extitit,& triſte, quoniam *loquebantur, ſecum quærentes, fabulabantur ad inuicem,conferebant, & erant triſtes.* Medium clarum,& ardens: *Non ne cor noſtrum ardens erat in nobis,dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Terminus mirabilis,& ſtupore plenus: *Cognouerunt eum in fractione panis.* Reditus ad principium motus hilaris,incredibili ſpirituali lætitia,& corporali etiam gaudio exuberãs: *Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem, & inuenerunt congregatos vndecim,& eos, qui cum ipſis erant, dicentes: Quia ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni,& ipſi narrabant,quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.* Luc.24. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem,& ad totam ſimul Concionem.

Tanti fecerunt olim Philoſophi,& Theologi principij,& finis conſiderationem,vt, de altiſſimis, maximèque abſtruſis vtriuſque naturæ miraculis loqui,abſque principij, & finis ſpeculatione,auſi non fuerint. Ariſtoteles, vt phyſicus,ait: *Naturam eſſe principium motus,&c. Et in vnoquoque ente naturali dari principia, cauſas, & elementa.* Vt animaſticus, ait: *Animam principium eſſe motus eius, cuius eſt forma.* Vt Aſtrologus, *à dextera parte mundi motum incipere affirmat.* Vt metaphyſicus, *primum principium abſtractiſſimè inueſtigat.* Atque his correſpondentes fines aſſignat. Et quia à principio ad finem non contingit tranſire,niſi per media, principijs, & finibus conuenientia media interijcit. Theologi autem, non ſolùm Chriſtum rerum om- Ariſt.2. Phyſ.t.c.3. Procem. Phyſic. 1.de an.t. c.83.2.cœ. t.c.8. 5. Meta. et deinceps. Vide Scot. lib. de primo princ.

nium principium,& finem fatentur, à prima veritate edocti: *Ego ſum α, & ω, principium, & finis*, ſed in omnibus fidei myſterijs particularia principia, & fines, cùm medijs, de natura extremorum, contemplantur: *Quæcunque enim à Deo ſunt, ordinata ſunt, & quæ Deus ad deſtinatos fines conducit, non niſi per conuenientia media perducit.*

Apoc.22. *Rom.13.* *Theol. communiter.*

Quæ, cùm ita ſint, rectè facturum me intellexi, ſi itineris, & peregrinationis duorum diſcipulorum, ab Ieruſalem in Emaus euntium, principium, medium, ac finem, variaſque his correſpondentia, accidentia, conſiderauerim, vobiſque explicuerim. N. Dicam ergo huius itineris principium fuiſſe mœſtum, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

Peregrinos duos diſcipulos, qui ab Ieruſalem in Emaus ibant, omnia, quæ peregrinis, cunctiſque iter agentibus, vt fœliciter ad terminum viæ perueniant, neceſſaria ſunt, in via habuiſſe. Peregrinis autem, & itinerantibus omnibus quinque potiſſimùm comparanda ſunt, vt incolumes, hilareſque viam ſuam perficiant. Deuoti ſermones, bona ſocietas, diuitiæ, ſanitas, & amor mutuus inter eos: *Factum eſt autem, dum fabularentur, & ſecum quærerent*, ſcilicet, de vita, & morte Chriſti, ecce primum. *Et Ieſus, appropinquans, ibat cum illis*, ecce ſecundum. *Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant*, ecce tertium. *Non ne cor noſtrum ardens erat in nobis, &c.* ecce quartum. *Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et intrauit cum illis, &c.* ecce quintum.

Luc.24. cum ſeqq.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Quòd nos omnes ſimus viatores in hac præſenti vita, eſt communis Scholaſticorum ſententia. Quòd ſimus

aduenæ,

aduenæ,& peregrini, teſtatur Paulus: *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus*, quia *peregrinamur à Domino.* Quòd verò hæc omnia, ſcilicet, deuoti ſermones, bona ſocietas, diuitiæ ſpirituales, animæ ſanitas, & amor mutuus nobis comparãda ſint, vt fœliciter iter noſtrũ compleamus, Sacris Scripturis, Sanctorumque Patrum doctrina intelligimus. Quòd enim in hac peregrinatione deuotos ad inuicem debeamus miſcere ſermones, ait Pet. 1. Can. 4. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei, &c.* Quòd bonam debeamus quærere ſocietatem, præter vulgatum Dauidis prouerbium: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris*, eſt & diuinum exemplum: *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea*. Quod quidem exemplum ſequi debemus, ratione, quam affert Paulus: *Eſtis ciues Sanctorum, et domeſtici Dei.* Quòd ſpirituales diuitiæ nobis perquirendæ ſint, hortatur Greg. dicens: *Si verè, fratres, diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate*. Quæ quidem ſunt, vt inquit Eſa. 33. cap. ſapientia, ſcientia, timor Domini: *Diuitiæ ſalutis*, inquit ille, *ſapientia, & ſcientia, timor Domini, ipſe eſt theſaurus eius.* Quòd ſpiritualis ſanitas neceſſaria ſit, fidem faciunt deprecationes illæ, toto cordis affectu expreſſæ: *Sana me Domine, & ſanabor, &c. Clamaui ad te, ſaluum me fac, &c. Non eſt ſanitas in carne mea, &c.* Quam, tamquàm neceſſariam ad ſalutem, curſumque viæ perficiendum, promittit illam Deus hominibus, dicens per Eſa. 58. c. *Et ſanitas tua citiùs orietur.* Quòd tandem amor mutuus inter nos eſſe debeat, iubet Chriſtus: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*, & millies hoc repetebat Ioannes diſcipulis ſuis: *Filioli, diligite alterutrum, quia præceptũ Domini eſt, &, ſi hoc ſolum fiat, ſufficit.*

Heb. 13. 2. Cor. 5. 1. Pet. 4. Pſal. 17. Eccli. 24. Ephes. 2. Hom. 15. in Euang. Eſai. 33. Ier. 17. Pſal. 118. Pſal. 37. Eſa. 58. Ioan. 15. Ex Comment. Hier. in Epi. ad Gala. lib. 3. cap. 6.

Speciali gratia, & ſingulari beneficio duobus diſcipulis, ab Ieruſalem in Emaus euntibus, hæc omnia, vt eorum iter fœliciſſimum eſſet, largitus eſt Deus. Dedit namq; primò bonos ſermones in os eorum, &c. vt ſup.

TERTIA RESVRRECT.

Luc. vlt. cum ſeqq.

Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorũ, & dixit eis: Pax vobis, &c. Luc. vlt.

PRIMA INVENTIO EST,

QVia per aduentum Chriſti in mundum, paſſionem eius, & mortem non ſolùm homines redimendi erãt, ſed etiam per Apoſtolos ſuos conuertendi, idcircò illos Dominum elegiſſe, tamquàm fideles nuncios, vt epiſtolas ſalutis, & gratiæ, cunctis Gentibus miſſas, diligenter portarent. Et quia in eiuſmodi miſſione quatuor præcipuè requirebantur; videlicet, epiſtolæ, earum intelligentia, obfirmatio, nec non plena mittentis cognitio, idcircò, vt ad tantum munus idonei eſſent Apoſtoli, Euangelij Epiſtolas, per totum mundum diuulgandas, à Chriſto acceperunt, cuius compendium, & ſummarium ponitur hodie in Euangelio: *Prædicari*, ſcilicet, *in nomine eius pœnitentiam, & remiſſione peccatorum in omnes Gentes*. Earum intelligentiam habuerunt, cùm *aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas*. Sigillum, quo tales Epiſtolæ obſignatæ erant, acceperunt, cùm *oſtendit eis manus, & pedes*, Ac tandem mittentis plenam notitiam conſecuti ſunt, cùm intellexerunt illa, *quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de Chriſto*.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVam plurimas afferunt SS. PP. rationes, cur Chriſtus, poſt reſurrectionem ſuam, ſacrorum vulnerum cicatrices

trices in ſuo corpore retinere voluerit. Aliqui enim dicunt idcircò illas reſeruaſſe, vt Deo Patri noſtræ pretia libertatis exhiberet, &, ſe optimè legationis ſuæ munus impleuiſſe, fide bonæ ſeruitutis obſignata, oſtenderet. Aliqui, eas illum reſeruaſſe dicunt, vt maiorem gloriam ſuam declararet; cùm illius Ducis maior ſit gloria, qui ad ſuum Principẽ lacerato, quàm eius, qui integro vexillo, poſt bellum reuertitur. Signat enim, ſe non ſolùm vexillum non amiſiſſe, ſed etiam ſtrenuè decertaſſe. Aliqui, vt inferiores angelos, qui incarnationis myſterium in particulari ignorabant (propterea enim Aſcenſionis die admirantes dixerunt: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Bosra?*) de mundi redemptione certiores redderet. Aliqui, vt iiſdem angelis, à peregrinatione ſanctorum locorum rediens, quemadmodũ fieri conſueuit, aliquas ſacras imagines afferret. Aliqui, vt Eccleſiæ oſtenderet, ſe eius memorem eſſe, nec illius in Aſcenſione ad dexteram Patris eſſe oblitum. Sicut enim ſponſi ſponſæ ſuæ dextrariola, quæ fauores vocant, in brachijs geſtare ſolent, ad continuam donatricis memoriam, ita & Chriſtus, ne Eccleſiæ, ſponſæ ſuæ, vnquàm obliuiſci videretur, *in manibus ſuis deſcripſit eam*. Aliqui, vt diſcipulos in fide ſolidaret, & ipſum eſſe, & non alium, qui ſurrexit, cicatricum medio, comprobaret. Aliqui, vt viatores fideles ad reſipiſcendum à peccato incitarentur, ſcientes ſub capite ſuo, dum iacent in peccato, manum Domini plagatam, quaſi puluinum, habere: *Cùm enim cadunt, Dominus ſupponit manum ſuam*. Aliqui, vt in bonis operibus laborantes ad perſeuerantiam excitaret, ſpe præmij, & retributionis. Ante paſſionem namque Chriſti, velut in crumena, erat pretium Chriſti, poſt paſſionem verò in manibus eius eſt, omnibus in bono perſeuerantibus citò exſoluendum. Aliqui, vt peccantes à peccando temperarentur, in imagine Chriſti crucifixi pro eis accepta, & reſeruata vulnera aſpicientes. Aliqui, vt in agone chriſtiano pugnantes, ad pugnã, & victoriam conſequendam accenderentur; veluti Elephantes, qui, viſo ſanguine, in bello ferociores euadunt. Aliqui, vt Patris iram contra peccatores placaret, oſtendens illi quæ, & quanta pro eis paſſus eſt. Aliqui, vt Hebræis, malis Chriſtianis, ceteriſque damnatis, in die iudicij, exprobrare poſſit ingratitudinem eorum, & duritiam cordis. Aliqui, vt corpo-

Eſa. 63.

Eſa. 49.

Pſal. 36.

vt corporum maior gloria in cœlo appareat. Sicut enim indumenta conſciſſa, aurotextum ſubtegmen oſtendentia, pulchriora, & ornatiora ſunt, ſic & Beatorum corpora, reſeruatis, cicatricum veſtigijs. Apparet enim per illas clarior, ſplendidiorque animæ gloria. Atque ita diuerſi diuerſimodè.

Sed, vt noſtro deſeruit inſtituto, idcircò dicimus Dominum ſigna paſſionis ſuæ ſibi reſeruaſſe, vt Euangelicæ literæ, per Apoſtolos in omnibus nationibus euulgandæ, illis veluti ſigillo, ad ampliorem earum fidem, & dignitatem, obſignarentur. Sed quoniam Epiſtolæ, etiam obſignatæ, non ſatis erant, ſed earum quoque intelligentia, & mittentis plena cognitio euulgatoribus Apoſtolis neceſſaria erat, ideò Epiſtolarum, ad iuuandam memoriam, compendium, & ſummarium hodie à Domino recipiunt, eorum intelligentiam obtinent, ſigillum, quibus obſirmatæ ſunt, vident, & plenam mittentis Principis notitiam acquirunt, &c. vt ſupra.

SECVNDA INVENTIO

EST,

SVfficienter Dominum reſurrectionem ſuam coram diſcipulis, ijs, quæ geſſit, & dixit, probaſſe. Poſitione: *Stetit in medio diſcipulorum ſuorum*, tamquàm perfectus mediator Dei, & hominum. Salutatione: *Pax vobis*, Si enim pacem eis annunciat poſt mortem ſuam, vtique ſignum, *pacificaſſe per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt*. Certificatione ſenſuali, quinque eorum ſenſus de veritate ſui corporis certiores reddendo. Viſum quidem, oſtendendo eis manus, & pedes: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum.* Tactum, carnem ſuam eis palpandam, & contrectandam offerens: *Palpate, & videte, &c.* Guſtum: *Et, cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias, dedit eis*. Auditum, notam vocem auribus eorum obijciendo: *Ego ſum, nolite timere*. Odoratū: *Inſufflauit, &c.* Operatione etiam triplicis vitæ, vegetatiuæ, ſcilicet, ſenſitiuæ, & rationalis. Vegetatiuæ, quia manducauit coram eis, & cibum ſumptum in ſe ipſum trāſubſtan-

Luc. vlt. cum ſeq.

Coloſſ. 1.

Luc. vlt. cum ſeqq.

Ioan. 20.

ſubſtantiauit, non enim eſt hoc inconueniens, inquit Euthymius, & quàm plures alij Patres, nec non inter Scholaſticos Scot. d. 8. 2. q. Vni. nihil enim repugnat, glorioſum corpus nutriri, & cibum in ſui ſubſtantiam conuertere. Senſitiuæ, quia coram diſcipulis ambulauit, locutus eſt, &c. Rationalis denique, quia allegauit Scripturas, deditque illis ſenſum, vt eas intelligerent. *Euthym.* *Scotus.*

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

QVia totius chriſtianæ religionis fundamentum eſt mortuorum reſurrectio, & præcipuè reſurrectio Chriſti, tamquàm mortuorum primogeniti: *Si enim Chriſtus non reſurrexit, &c.* idcircò maxima vſus eſt Chriſtus ſapientia, & prouidentia, vt hanc veritatem Apoſtolis perſuaderet. Vndè noluit ipſe primò, poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis apparere. Quoniam ſi ipſi, primò apparenti, non credidiſſent (quod & vehementer dubitandum, tum propter duritiam cordis eorum, quam poſtea illis exprobauit, tum propter rei nouitatem, & humano ſenſu vix perceptibile, vt quis, ſcilicet, propria virtute à mortuis ſurgere poſſit), nullum poſtea maius remedium, & magis efficax medium inuenire potuiſſet, ad eorum incredulitatem reuincendam, & tantæ dignitatis ſacramentum eorum cordibus infigendum. Quemadmodum ergo ad diſponendos homines, vt baptiſmi Sacramentum reciperent, Ioannem Baptiſtam præmiſit Chriſtus baptizantem, ita ad diſponendos Apoſtolos, vt reſurrectionis ſuæ veritatem crederent, aliquos, & aliqua etiam præmiſit, hanc ipſam reſurrectionem aſtruentia. Præmiſit angelos, dicentes, eum ſurrexiſſe: *Surrexit non eſt hic.* Præmiſit mulieres, quæ dicebant Apoſtolis, *ſe angelorum viſiones vidiſſe, qui dicebāt, eum viuere.* Præmiſit milites cuſtodes ſepulchri, qui dixerunt, eum ſurrexiſſe: *Quidam de cuſtodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant.* Præmiſit mortuorum reſurrectionem, *qui venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* De quorum reſurrectione Chryſ. Hom. 24. in Ioan. Aug. Amb. Greg. Tert. 2. contra Marcio. & fuſius

Apoc. 1. 1. *Cor.* 15. *Mar.* 16. *Luc.* 24. *Matt.* 28. *Matt.* 27. *Chryſ. cum ſeqq.*

& fuſius Euang. Nazaræorum. His ergo licèt non credentibus, aliqua tamen ex parte diſpoſitis diſcipulis, conuenienter, & oportunè apparere potuit Chriſtus, eos incredulitatis arguere, *& exprobare illis incredulitatem eorum, et duritiam cordis*. Et poſt hæc, abſque reſurrectionis periculo veritatis, eis ſe præſentem exhibere, ac reſurrectionem ſuam multis argumentis, per ea, quæ geſſit, ac dixit, probare, &c. vt ſupra.

TERTIA INVENTIO EST,

Pſal. 18. *Rom.* 10. Apoſtolis, Spiritus Sancti tibicinibus, vt perfectè *in omnem terram eorum ſonus exire poſſet*, omnia ad id neceſſaria, Dominum, poſt reſurrectionem ſuam, largitum fuiſſe. Indigebāt autem illi, vt perfecti eſſent, inſignijs, flatu, vigore, & ſonandi peritia. *Luc.* 24. *Oſtendit eis manus, & pedes*, ecce primum. *Ioan.* 20. *Inſufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum*, ecce ſecundum. *Luc.* 24. *Donec induamini virtute ex alto*, ecce tertium. *Ibidem.* *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas*, ecce quartum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Apoſtolorum fœlicitatem, qui tam familiariter cum Domino conuerſati ſunt, hominum nullus dignè exprimere poteſt. Si enim de Salomone ait Regina Saba, *3. Reg.* 10. *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui aſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam*, quid dicendum de Apoſtolis, qui coram terræ, cœlique Imperatore aſtabant, & diuinam eius ſapientiam audiebant? De Elia loquens Eccleſiaſticus 48. c. ait: *Eccli.* 48. *Beati ſunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt*, ſed multò beatiores Apoſtoli, qui Dominum viderunt, & amici Dei ore ipſius appellati ſunt. *Ioan.* 15. Baalam, cùm prædixiſſet aduentum Chriſti in carne, ſub ſtellæ figura: *Num.* 24. *Orietur ſtella ex Iacob, &c.* deſiderio eum videndi vehementer

menter ardens, & ſancta inuidentia illius temporis hominibus,quo Chriſtus victurus erat,inuidens,inquit:*Heu,quis victurus eſt,quando iſta faciet Deus?* Malachias etiam,eodē deſiderio flagrans,exclamauit aliquando, & dixit:*Quis ſtabit ad videndum eum?*Meritò ergo dixit Apoſtolis Chriſtus: *Beati oculi,qui vident,quæ vos videtis, &c.* Talis, ac tanta erat iſta beatitudo, vt ſupernæ in patria beatitudini valdè ſimilis dici poſſit.Exſuperabat enim omne mundi gaudium, omnemque humanam fœlicitatem. *Mala. 3.* *Matt.13.*

Sed,cùm tanta eſſet,parua vtique fuiſſet,ſi ſolùm corpore, non etiam mente Chriſtum vidiſſent. Paul. enim, nomine omnium Apoſtolorum,ait:*Et ſi cognouimus ſecundùm carnē Chriſtum,ſed iam non nouimus*. Sicut enim,ex doctrina Auguſtini,dato, per poſſibile, vel impoſſibile, quòd Maria ſolū corpore,& non mente quoque filium Dei concepiſſet,& alia mulier mente concepiſſet, & non corpore, beatior hæc Mariā fuiſſet. Si enim beatior Maria, per dictum Auguſtini, Chriſtum mente concipiendo, quàm corpore,propoſitum ſtat. Viderant Dominum Apoſtoli corpore, viderant & mente, dixit enim ei aliquando Petrus, & ex perſona om Apoſtolorum, inquit Hieronymus: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Sed ſuperueniente perſecutione, paſſione, & morte eius, *obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, & corpore, & mente illum videre deſierunt. Quia tamen diligebat illos Dominus, & per eos mundum illuminare decreuerat, reſurgens, non modo corporali ſua glorioſa præſentia eos dignos effecit, verùm etiam *aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas*, &,vt ſpirituali quoque illum cernerent obtutu,conceſſit. Atque ita clarè, vt fidei myſteria per totum orbem prædicare potentes efficerentur. Quod vt congruè præſtare valerent, ſuos eos creauit tibicines, quorum *in omnem terram*, ad homines conuertendos, *exiret ſonus*, et *Euangelium omni creaturæ innoteſceret*. Ad quod officium exequendum, quia quattuor indigebant; inſignijs, videlicèt, &c. vt ſupra. *2.Cor.5.* *De perpet. virg. Matris Dei.* *Matt.16.* *Lib.3.Comment. in c. 16.Matt.* *Rom.1.* *Luc.24.* *Pſal.18.et Rom.10.* *Mar.16.*

QVAR-

QVARTA INVENTIO EST,

Luc. 24. cum ſeqq. TRibus quæ dicit Chriſtus hodie diſcipulis, oportuiſſe fieri per ipſum, & circa ipſum: *Pati, reſurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes*, etiam alia tria correſpondentia, præſtare illum in medio eorum. *Oportebat Chriſtum pati*, hoc eſt primum: *Oſtendit eis manus, & pedes*, ecce huic ſuum correſpondens. *Et reſurgere à mortuis die tertia*, hoc eſt ſecundum: *Palpate, & videte, &c. Et cùm manducaſſet, &c.* ecce duo argumenta hanc reſurrectionem probantia, & huic ſecundo correſpondentia. *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes*, hoc eſt tertium: *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas*, ecce huic tertio ſuum correſpondens.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

Ioan. 10. ILlorum Chriſti verborum, fœlicitatem ouium ſuarum exprimentium: *Ingredientur, & egredientur, & paſcua inuenient*, varius extat apud SS.PP. intellectus. Aliqui enim dicunt, per ingreſſum intelligi introitum in Eccleſiam militantem, per egreſſum intelligi exitum per mortem, per quā tamen patet aditus in regnum Dei ouibus illis, quæ Chriſtum ſecutæ ſunt. Aliqui, per ingreſſum intelligi conuerſionem ad interiora animæ munia, per egreſſum conuerſionem ad corporis officia. Aliqui, per ingreſſum intelligi Scripturarum notitiam, per egreſſum creaturas, Deum nobis loquentes. Aliqui, per ingreſſum intelligi ſpeculationem diuinitatis Chriſti, per egreſſum conſiderationem humanitatis eiuſdem. Aliqui, per ingreſſum intelligi introitum ad ſecretam mentis contemplationem, per egreſſum exitum ad opera miſericordiæ, & pietatis erga proximum. Aliqu, per

ingreſ-

ingreſſum intelligi conſiderationem, quam habent Beati interioris ſuæ beatitudinis, per egreſſum conſiderationem corporalium dotum, & gloriæ corporis. Aliqui, per ingreſſum intelligi beatitudinem in primario obiecto, per egreſſum beatitudinem in ſecundario. Atque ita varij variè.

Sed, vt noſtræ congruit intentioni, dicimus, ingrediendo,
& egrediendo oues Chriſti paſcua inuenire, dum in dictis, &
factis eius ſpirituale pabulum ſibi comparant. Pauit enim
nos Dominus verbis, & factis, vt abundè ſupra Dominica *Introd.4.*
prima demonſtrauimus. Quo duplici pabulo, vt ſemper, *Inuent.*
etiam hodie nos paſcit, facitque, vt ingredientes, & egredientes paſcua inueniamus. Tres enim veritates, quas verbis
docuit, ſcilicet, *oportuiſſe pati Chriſtum, & reſurgere à mor-* *Luc.24.*
tuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes, etiam factis corroborat, & confirmat, &c. vt ſupra.

QVINTA INVENTIO EST,

VItis Chriſti palmites Apoſtolos, qui, vrente vento paſſionis flante, ferè aruerant, ea, quibus indigebant, vt poſt reſurrectionem præfinitos fructus afferre poſſent, à Deo recepiſſe. Indigent autem palmites, aëris tempeſtate perculſi, virtute ſolis, vigoroſo ad radicem nutrimento, ferri
miniſterio, & competenti, ad ſe recuperandum, ſpatio. *Ste-* *Luc.24.*
tit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum, &c. ecce primum. *cum ſeqq.*
Videte manus meas, & pedes meos: Palpate, & videte: Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas, ecce ſecundum. *Quid*
turbati eſtis, et cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Expro- *Mar.16.*
brauit illis incredulitatem eorum, & duritiã cordis, &c. ecce *Act.1.*
tertium. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*, ecce quartum.

Introductio ad Inuentionem, & ad totam ſimul Concionem.

SOphonias Propheta, in ſpiritu videns magnam, ac vehementem perſecutionem, quæ, tempore paſſionis Chriſti,

ſuper

ſuper nouella germina ſanctitatis,& tenellos palmites Apoſtolos ventura erat, ex intimo cordis illis compatiens,& eorū tribulationem,ac perturbatos animos,futurorum ſpe,ſedare, doloremque,ſubſequente Chriſti reſurrectione, minuere
Soph. 3. deſiderans, ait 3.cap. *Noli timere Sion, non diſſoluantur manus tuæ, Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit.* Quaſi diceret(accipiendo continens pro contento,&,
Eſa. 2. ad domum Sion, à qua exiuit lex, ſermonem dirigendo) O Sion,ò habitatores Sion,qui,vt tenelli palmites,magnam in paſſione Domini veſtri tempeſtatem paſſuri eſtis,dum illa ſuper nos veniet, nolite, nolite timere, ne perterreamini, non diſſoluantur manus veſtræ, ab incœpto Apoſtolatus officio,& inchoata Redemptoris mundi ſequela ne deſiſtatis, charitatis priuatione arentes, atque ita totam Eccleſiam vberrimo fructu veſtro priuantes, nam poſt tempeſtatem ſerenitas, poſt tribulationes proſperitas, poſt perturbationem conſolatio, Dominus Deus veſter in medio veſtri erit poſt reſurrectionem,ſtabit in medio veſtri,& ſuæ lucis radijs timorem à vobis excutiet, in fide confirmabit, ad charitatem incendet, & omnia illa,quæ ſæua tempeſtas vobis,eius tenellis palemitibus abſtulerit,reddet.

Luc. 24. Fideliſſimum certè Prophetæ vaticinium. N. *Stetit namque Ieſus* poſt tempeſtatem *in medio diſcipulorum ſuorum*, conſolatus eſt eos; vt verſus ſol, virtute ſua influxit in illos; & damna cuncta, quæ tempeſtas eis intulerat, pro ſua in eos clementia, & bonitate reſarciuit. Cùm enim palmites,poſt tempeſtatem, vt rurſus ad priſtinum ſtatum reſtituantur, & fructificare valeant, quatuor potiſſimum indigeant, &c. vt ſupra.

FINIS.

Omnia,& ſingula,in hoc Opere contenta,iudicio, & cenſuræ S. R. E. humillimè, & ex animo ſubijciuntur.

INDEX

INDEX
RERVM, SCITV
DIGNIORVM.

A

ASe, & ab alio miracula, pag. 77
Aaron quid interpretetur. 58. *eius virga floreus quid ſignificet.* 410
Abraham quàm humilis. 299
Abyſſum mortis Chriſtus intrauit. 437
Academia Chriſtiana Princeps. 71
Accidioſus cæco animilatur. 308
Adam nominis litera conſiderantur 279. *Ada peccatum.* 326
ipſe & Eua quaſi palmites. 183
Aduentus Chriſti duo, & differentia ipſorum. 57
Adultera, & plura de ea. 256. *& ſeqq.*
ab Aegyptijs ſcientia manarunt. 87. *& ſeq. & pag.* 120
Aedificare in ſcriptura quid ſignificet. 3
Aetas hominis quomodo diuidatur. 27
Agger Ezechielis quid ſignificet. 3
Amana quid ſignificet. 34
Ambitio quam deteſtabilis. 164. *opponitur paſſioni Chriſti.* 163. *eius effectus.* 165
Amicitia, & lite mundus an benè conſtet. 77
Anathema quotupliciter conſideretur, & quid ſignificet. 35
Angeli aliter, quàm homo eruditi. 79. *ſignificantur per mare.* 33. *&* 42. *figurantur per calos.* 25. *priùs ſcientes, quàm pugnantes.* 12. *eorum ſtatus.* 139. *nobis quomodo maiores.* 353. *eorum auerſio quàm grauis.* 207. *mouentur localiter.* 210. *eorum culpa grauior, quàm hominis.* 346. *quis eorum dicatur diſcoopertens.* 148. *eorum ciuitatis conditiones.* 73
Anguſtia Chriſti. 445
Anima mouetur localiter. 210. *eius membra metaphorica.* 16.

eius potentiæ quibus comparentur. 101. eius immortalitas. 172. per quid ſignificetur. 21. dicitur domus Dei. 283
Animalia, & rotæ Ezech. variè intellecta. 100
Antichriſtus, & quædam de ipſo. 242
Antonius Abbas cæcum conſolatur. 304
Anulus in ſcripturis quid ſignificet. 11. & 195
Aod quorum ſit typus. 75
Apollonius Tyaneus quid ſenſerit de muſica mundi. 6
Apoſtaſia quid ſit. 167
Apoſtoli ſtellis comparati. 87. ut nuncij Euangelij, qualibus inſigniti. 471. tibicines Spiritus ſancti. 476. eorum felicitas. ibidem. quomodo palmites. 478
Aqua, & plura de ea. 362. & ſeqq.
Aquilæ renouatio. 460
Arbitrij libertas. 21
Argentum quid ſignificet. 241
Arithmetica in transfiguratione Chriſti. 119
Arma exercent Deus, Angelus, & Homo. 12. eorum nobilitas, ibidem. an litteris præferenda? 11. quomodo neceſſaria ad vitam æternam. 93
Arundini comparatur hypocriſis. 229
Aſinus in honorem, et in contemptum acceptus. 434. illi quomodo aſſimilatur Homo. 426
Aſpis quid ſignificet. 199
Aſſur quid ſibi velit. 203
Aſtrologia, & quædam de ea. 88
Aſtronomia in transfiguratione Chriſti. 119
Attila manſueſcit. 123
Auaritia, & plura de ea. 286
Auarus cæco aſſimilatus. 308
Auditores rudes quomodo inſtruendi. 75. Sapientibus qualiter loquendum. 161. quomodo beneuolentia inclinandi. 13
Auerſio, & conuerſio. 397. & 206.
Aues quando ceſſent à volatu. 214. eis comparatur Chriſtus. ibidem.
Auguſtus tripliciter triumphauit. 428
Aurum in ſcripturis quid ſignificet. 241

B

Balthaſſar iudicatur. 63
Baptiſmus nauis quadam eſt. 272. per Piſcinam figuratur. 97
Beatificatio hominis. 97
Beatitudinem tribulatio præcedit. 38
Behemoth, ſub vmbra dormiens, quid ſignificet. 254
Bellum Eccleſiæ contra ſuos hoſtes iuſtiſſimum. 40
Benedictio Moſis ſuper Tribus Iſraël. 23
Beneficium Dei præcipuum, quodnam ſit. 191
Bethlehem quid ſignificet. 404
Bethphage quid importet. 433
Birretum quid denotet. 11
Blaſphemia, & quædam de ea. 345. Blaſphemi ſunt ſuperbi. 117
Bonum quomodo vertatur in malum. 162
Bonitate voluntas trahitur. 22
Boues ab Eccleſia eijciendi. 277

C

Cæci nati conſiderationes. 301. & ſeqq.
Cæci ſeptem in ſcripturis. 307
Cæcitas quibuſdam placuit. 304
Cæci tres, & quid ſignificent. 302
Cædrus quid figuret. 379
Calciamentorum ſignificatio. 11. & 195
Calix in manu Dei. 159
Caluinus Chriſtianos vocat aſinos. 434
Cambyſis ad Cyrum inſigne documentum. 388
Canticum nouum quid ſignificet. 26
Canticorum liber ad quid editus. 211
Captura Chriſti, quæ fuerit bona. 365
Caput Principem inſinuat 17. & peccatum ex ignorantia. 18
Caro Chriſti florens, arens, & refloreus. 398
Carnis concupiſcentia ieiunio tollitur. 9
Carnis merces. 283
Carnalis peccati proprietates, & confectaria. 188. & ſeqq.

Cauſæ prima virtus, vt manifeſtatur. 312

Centurio recipit inſignia doctoratus. 11. *Armis pro litteris renunciat.* 13. *eius charitas, & pietas.* 14. *ſerui illius ſtemma eſt infirmus Eſaiæ.* 18. *quatuor mala habuit.* 16. *in Euang. de eis, quatuor perſonæ introducuntur.* 18. & 19

Cælidonius, qui fuit cæcus à natiuitate, cum Magdalena Maſſiliam venit. 395

Cellæ vinariæ diuerſæ expoſitiones. 160. *et ſeqq.*

Cæremonia velandi Chriſtum. 349. *et ſeqq.*

Ceruo Chriſtus comparatur. 314

Chananæa per lunam oſtenditur. 87. *rotæ Ezech. comparatur.* 90. *benè armata occurrit Chriſto.* 91. & *ſeq. de pluribus triumphat.* 94. *quid interpretetur.* 94

Charitas per veſtem denotatur. 11. *vt pertinet ad iuſtificationem.* 7. *Charitatis Dei epiteton inſolitum.* 134

Chirurgus qualiter ſe habere debeat. 221

Chriſtus, cui conformari debemus. 9. *medicus apud Centurionem.* 15. *per iuuenem denotatus.* 26. *inueteratum hominem renouauit.* 28. *in Elia figuratus.* 30. *per ignem repreſentatus.* 31. *ſub triplici ænegmitate ſe dæmons opponit* 45. *in virga conſideratus.* 47. *de eo promiſſio facta, & repetita.* 48. *tripliciter docuit.* 50. *omnibus modis tentatus.* 52. *cur voluerit tentari.* 53. *in Moyſe orante figuratus.* 58. *ſtella vocatur.* 65. *probatur eſſe Meſſias.* 76. & 8 . *ad quid fecit miracula.* 77. *eius præcipua officia.* 81. *ſol dicitur.* 87. & 337. *quot modis gloriam habuerit.* 111. *cur transfiguratus.* 124. *an probauerit ſe Deum.* 126. *quotupliciter traditus.* 161. *paruulus deſcribitur.* 299. *præcipitari non potuit.* 209. *imitatus eſt Chirurgos.* 221. *Sardio comparatus.* 234. *eius poteſtas ſuper homines temporalis, & ſpiritualis.* 247. *qua arte Gentiles lucrifecerit.* 252. *eius inclinationes ſalutiferæ.* 260. *per oleum ſignificatur.* 261. *Dei manus eſt dictus.* 284. *libro comparatus.* 290. *Ceruo aſſimilatus* 314. *in miraculis, à minoribus ad maiora proceſſit, & quare.* 319. *quomodo ſit lux.* 331. *eius innocentia.* 344. *et ſeq. fonti comparatur.* 364. *eius captura bona, quæ.* 365. *eius fratres, qui,* 370. *in Dauid figuratus.* 404. *indutus eſt lineis.* 411. *ipſum incolumem dimittere, quibus rationibus malum viſum ſit Iudæis.* 407. *eius triumphus.* 428. *quid amiſit in paſſione.* 434

Chri-

Chriſtiani à Caluino aſini vocati. 434
Cibus Chriſti poſt reſurrectionem. 474
Cicatrices Chriſti, & plura de eis. 473
Cinerum recordatio contraria ſuperbiæ. 9
Circumciſionis tempora quot, & qualia. 142
Ciuitates quotupliciter obſidentur. 1. quælibet ciuitas Chriſtiana quando ſimilis eſt ciuitati rebelli. 2. ciuitas multiplex in ſcripturis. 72. ciuitas benè inſtituta quot requirat. 72. ciuitates contrariæ. 198
Ciuium ſeditio quam oportuna hoſtibus. 408
Cleopatra in triumpho Auguſti. 428
Coëleth Salomon dictus. 89
Cæli Angelos figurant. 25. eorum aſpectus quot, & quales. 235 & ſeq. eorum ratio cognitu difficilis. 192. quomodo dicantur dormire. 193
Cælum myſticè Euangelium. 87
Cogitationes Dei operibus, & dictis eius digniores. 67
Cognitio per birretum ſignificatur. 11. duplex eſt, intuitiua, & abſtractiua. 132
Collatio, & meditatio ſpiritualis. 116
Columba ab Eccleſia eijcienda. 277
Comicorum conſuetudo. 128
Conceptio B. V. cui comparetur. 41. eius feſtum Luthero exoſum. 42
Conceptio humana quot diebus perficiatur. 279
Conceptio mentis quàm beata. 477
Conciliorum vtilitas. 406
Concil. Trid. quomodo ordinat iuſtificationem. 7
Concilium quoddam faciunt omnes creaturæ. 414
Concionatores comparantur militibus. 1. vtantur inuentione, congrua loco, & perſonis. 13. iuxta conditionem auditorij loquantur. 75. luci comparantur. 264. in Aod figurantur. 76
Concupiſcentia carnis ieiunio tollitur. 9
Congregationes oppoſitæ. 192
Conſecratio Eccleſiarum propter quæ. 384
Conſecrationi Regum quæ debeantur. 440
Conſeruatio, & creatio. 353
Conſilia prauorum. 410
Conſilij Caiphæ tropologia. 405

Conſiliandum cur. 412
Conſiliario quæ conueniant. 413
Conſilium bonum quibus conſtare debeat. 401
Conſonantia noui, & veteris teſtamenti. 4
Conſperſio noua quid ſignificet. 26
Conſultatio circa quæ ſit. 401
Contritio in qua dilectione includatur. 7
Conuerſio, & auerſio. 397
Conuerſio peccatoris, per ea, quæ naturaliter inſunt ei. 4
Conuiuio abſolutiſſimo, quæ conueniant. 265
Cor inſinuat religioſum. 17. *& peccatum ex malitia.* 18
Cornelius Tacitus mendaciſſimus. 434
Corpus populum inſinuat. 17. *& fragilitatem.* 18
Correctio fraterna, & multa de ipſa. 221
Coruus renouatur. 406
Creatio, & conſeruatio. 353
Creationis, & recreationis præclara. 107
Creationis opus quæ complectatur. 107
Creator à creatura manifeſtatur. 19. *in quibus imitandus à creatura.* 83
Creatura non poteſt eſſe, & non agere. 19
Creaturarum metamorphoſis. 205
Creaturas diuerſimodè Deus trahit. 20. *omnes contra hominem fuerunt, poſt peccatum.* 260. *omnes obediunt Deo, præter hominem.* 295. *habent eſſe nobilius in Deo.* 358. *omnibus datum fuit præceptum.* 179
Crux qualiter decora, & decor. 130. *eſt nauigium quoddam.* 273. *tactu Chriſti virtutes accepit.* 318. *qualiter adoranda; quæ illis communicauerit Chriſtus, quæ ipſa communicauerit Chriſto, & alia plura.* 318. *& ſeqq.*
Cruces tres. 437
Cultus Dei quàm rationabilis. 375
Curſus quid ſignificet. 270
Cyri Regis pietas. 388

D

Dæmon ſub triplici ratione tentat. 45. *eum ſuperandi modus abſolutiſſimus.* 51. *per Saturnum exprimitur* 87. *an cognouerit Chriſtum eſſe Meſſiam.* 127. *Semper eijcitur*

citur à Ieſu. 197. qualiter ingreditur ad homines. 201. eius potentia. 204. eius reſpectus ad Deum. 205. eius opera ad quæ capita reducantur. 208. cui comparetur in ſcriptura. 208
Dæmoniaci miſeriæ. 202
Danielis viſio, Iudicium manifeſtans. 59. Daniel commendatur. 60
Dauid ſingulariter prophetauit. 158. idem typus Chriſti. 404
Deambulationis Chriſti myſteria. 376
Definitiones Dei. 140. & ſeq.
Defuncti quot à Chriſto ſuſcitati. 323
Defuncti adoleſcentis myſteria. 317
Defunctorum, à Chriſto ſuſcitatorum, lazarus vltimus deſcribitur. 323
Delectatio vehemens rationem obruit. 444
Democritus quare ſe occæcauit. 304
Deus cur voluit incarnari. 8. diuerſimodè creaturas trahit. 20. & 110
Deus antiquiſſimus, nouitate delectatur, 25. ſummè verax. 28. fidelis. 29. Diabolo oppoſitus; & ab homine diuerſus. 29. ſignificatus per mare. 33. & 42. de ipſo quàm difficile loqui. 43. diuerſimodè nominatur. 46. eius cogitatio eiuſdem eſt natura. 67. in cogitationibus mirabilior, quàm in dictis, & factis. 67. diuerſimodè Angelos erudit. 79. eius miſericordia quomodo multa. 89. quomodo ſit Piſcina. 98. quomodo hic cognoſcatur. 132. an ſit definibilis. 140. pictorem ſe, ſculptoremque oſtendit. 154. deſcribitur, vt Architectus. 155. localiter eſt immobilis. 209. miſericors oſtenditur. 285. vtitur abiectis ad eximia praſtanda. 310. multifariè tranſformatus. 329. ad quid velit ſeruiri. 353
Dei cultus rationabilis. 375. à priſcis magnificatus. 387
Dei operum duo ſunt compendia. 4
Diaboli opera in quadrageſima diſſoluenda. 8. Diabolus mendacij pater. 29. dicitur percuſſus. 148. tentando Chriſtum non peruenit ad eius interiores ſenſus. 52. eius potentia, 204 eius merces. 283
Diaconis non licet prædicare ſuper ſuggeſtum. 350
Dictis, & factis Dei digniores cogitationes illius. 67
Didymum cæcum conſolatur D. Hieron. 304
Dies in ſcriptura quid ſignificet. 239

Digitus Chriſti quid. 200
Digiti manus myſtycè expoſitti. 275
Dilectio inimicorum mandatum nouum. 24
Dilectione quomodo iuſtificamur. 7
Dilectio, quæ contritionem includat. 7
Diligere inimicos iuuenibus præcipitur. 26
Diſpenſatione Chriſtus aliqua paſſus eſt. 445
Diues epulo, & pauper Lazarus in Euang. pugnantes. 169
Diues cur anonymus. 174
Diues, & pauper cur ſimul in vnum. 468
Diuina ciuitas quæ. 72
Diuinitatis inueſtigatio ad quid proſit. 132
Doctoris inſignia. 11. *eius præcipua per quid deſignentur.* 342
Doctrina Chriſti, & multa de ea. 289. *& ſeqq.*
Dolor de peccatis. 7. *dolor vehemens mentem obruit.* 444
Dolor Chriſti vndè acerbus. *ibidem.*
Dominium paſſionum, & motuum ſenſualium. 16
Donamus libentiùs, & gratis plura. 135
Dormire concentum cæli, quid ſit. 193
Dormire, quàm periculorum Chriſtiano. 327
Dubia inſignia enodata. 171. *& ſeqq.*
Ducis conſuetudo poſt conflictum. 465

E

ECho nympha quid ſignificet. 6. *quæ ſit eius allegoria.* 230
Eccleſia molitur proſternere peccatum muſica ſpirituali. 5. *eius ſcopus in principio Quadrag.* 7. *per nauem figuratur.* 32. *eius labores.* 34. *&* 36. *iuſtiſſimè bellat contra ſuos hoſtes.* 40. *eius inſtitutio.* 185. *auroræ comparatur.* 277. *hortus Dei dicitur.* 446. *militans continet etiam reprobos.* 373
Eccleſiæ Patriarchales quot, & quæ. 100
Eccleſiarum dedicationis ratio. 384
Egreſſio, & ingreſſio Chriſti, & illarum expoſitio. 478
Electio circa quæ ſit. 401
Electionis diuinæ ſigna. 194
Elementa concilium faciunt. 414
Elias quid interpretetur. 31. *et* 229. *Chriſtum figurauit, & Ioan.*

Ioan.30.plures Prophetas,& quemlibet iuſtum repreſentat. 31
Eliſæus quid interpretetur. 219
Emaus quid,& plura, etc. 467
Emblemata,hieroglyphici,hierographiæ, ſtemmata,& toreumata, in quo differant. 178
Encœnia,et quædam de illis.384. quid ſignificent. 386
Eſaiæ laudes.69. quaſi Euangeliſta. 182
E S T, proprium nomen Dei. 141
Eua, et Adam quaſi palmites. 183
Eucbariſtia panis robuſtorum.267.et ſeqq.plura de ea.Eſt compendium operum Dei. 4
Euangelium lex ignea.22. mons. 161. calum.87.Piſcina. 99
Euangeliſtis quæ animalia tribuantur. 101
Exceſſus Chriſti varij. 133.et 135
Excuſatio in peccatis. 231
Exemplar præcedit facta; eoque diuerſi diuerſimodè vtuntur. 114
Exercitus duo pulchrè deſcribuntur. 199
Expoſitiones ſacræ Scripturæ plures. 116
Ezelinus tyrannus terretur. 123

F

Facies Chriſto in Cruce. 112. ad quid velatur. 349
Facies hominis laudatur.122. cur ipſam maximè curemus. ibid.
Familiæ Dei quot. 187
Faſcinum ſpirituale. 355
Feſta ad quid inſtituta.389. quæ præcipua Hebrais.379. quæ à nobis celebranda.374. quæ à Lutheranis ſpreta. 42
Fides per annulum inſinuatur. 11
Fidelis Deus. 29
Figuræ Eucbariſtiæ. 268
Filios eſſe Dei,quàm ſit bonum. 191
Finis,& ſcopus differunt. 14
Finis,& principium obſeruanda. 469
Finis mortis Chriſti. 10
Flagella tribulationes ſignificant. 284
Fons Chriſtum ſignificans. 364

For-

Fortitudo in ſtatu innocentiæ qualis. 104
Fratres Chriſti, qui. 370

G

Gabriel exponit promiſſionem de Chriſto. 49
Galilææ variæ conſiderationes. 69. et 376
Geminorum myſtica expoſitio. 342
Geneſareth quantùm diſtet à Ieroſolymis. 229
Gentilitas per ſocrum Simonis figurata. 244
Gloriam quot modis Chriſtus habuerit. 115
Gloriam ſignificauit Piſcina. 97
Guloſus cæco aſſimilatur. 308

H

Hadar apud Hebræos quid ſignificet. 378
Hæreſis, & hæreticus. 346. *per leones ſignificantur.* 35.
Hæretici, hypochritæ, Principes, & Philoſophi Eccleſiæ contrariantur. 33
Hermon quid ſignificet. 35
Hieroglyphici, Emblemata, Hierographiæ, Stemmata, & Toreumata quomodo differant. 178
Hieroglyphicis ſtuduit Moyſes. 120
Homerus ab infantia cæcus. 304
Homicidium cum blaſphemia confertur. 346
Homo eſt omnis creatura. 4. *ſculptus, & pictus.* 155. *compendium operum Dei.* 161. *priùs cognouit, poſtea pugnauit.* 12. *eius ætates quot.* 27. *eius inſtabilitas.* 29. *eius dignitas.* 41. & 201. et 353. *qualiter perfectus.* 89. *eſt quid diuinum.* 121. *Tria complectitur ſecundùm Plotinum.* 44. *quibus maximè expaueat.* 35. *aliter, quàm Angelus eruditur.* 79. *eius ſtatus, & ſtatuum diuerſitas.* 240. et 139. & 80. *in ſtatu innocentiæ quid habuerit.* 103. *ordinatur ad plura.* 96. *qualiter claudicet.* 148. *eſt animalis, & ſpiritualis.* 227. & *ſeq. rebus tranſeuntibus comparatur.* 386. *indiget renouari.* 386 *Aſino aſſimilatur, & quare.* 426. *vide plura de eo.* 388
Honores eccleſiaſtici, & ſæculares qualiter differant. 164
Hortus Dei Eccleſia. 446
Hoſanna quomodo interpretetur. 435

Hoſpitalitas, & quædam de ea. 400
Humilitas celebratur. 299. per calceamentum figuratur. 11
Hur quid interpretetur. 58
Hypochriſis, quàm deteſtabilis. 151. eius nomen vndè ſumptum. ibid. et ſeq.
Hypochritæ quibus ſimiles. 35. et 229. Eccleſiæ contrarij. 33

I

Iacob filijs ſuis benedicit. 313
Iacobus quid ſignificet. 165. Chriſtum imitatus eſt in veſtibus. 111
Idæa in mente diuina. 352
Idida quid. 84
Idiomatum diuerſitas. 118
Idola portantes qui. 319
Idolatria per vmbram ſignificatur. 254
Iehoua nomen Dei. 211
Ieiunium canonizatur. 3. tollit concupiſcentiam carnis. 9
Iericho proſternitur muſica. 5
Ieruſalem ciuitas optima ſecundùm coſmographos. 75. crudeliter vaſtatur. 60
Ieſus ſemper eijcit dæmonium. 197. Eius proprium officium. 67
Ieſus Sirach panegyris pro Chriſto. 431
Ignis Chriſtum repreſentat. 31
Ignobilibus cur vtitur Deus, ad eximia præſtanda. 312
Ignorantia eſt vulnus in capite. 27
Ignorantes ab Eccleſia eijciendi. 277
Ignorare Deum, quàm graue. 132
Imago Chriſti cur velatur. 349. Imaginum adoratio. 359
Imaginatio an diſtincta à phantaſia. 230
Immortalitas qualis infuiſſet homini, ſi non peccaſſet. 103. & ſeqq.
Immunitas Eccleſiæ. 385
Incarnatio Verbi. 8
Inclinationes Chriſti ſalutiferæ. 260
Indicorum Regum inſignis conſuetudo. 389
Indulgentiæ quomodo ſint Piſcina. 98

Inſi-

Infideles quotuplices. 80. diuerſimodè malè ſentiunt de Deo. 292
Infernus quomodo ſit Piſcina. 97
Infirmi cuiuſdam deſcriptio, ſecundùm Eſaiam. 17
Infirmitas ſpiritualis. 16
Ingratus, & quædam de ipſo. 352
Ingreſſio, & egreſſio ouium Chriſti, & earum intellectus. 478
Inimicos diligendi, lex data iuuenibus. 26
Inimicum eſſe diligendum, eſt mandatum nouum. 24
Inimicorum differentia. 14
Innocentia Chriſti. 344. & ſeq.
Innocentis mors compatibilis. 345
Inobedientia homini exprobratur. 295
Inobedientia erga Romanum Pont. propinquitatem Iudicij teſtatur. 57
Inſtabilitas hominis. 29
Intellectus humani excellentia. 40. et ſeq.
Inuentoribus primis gratiæ habendæ. 187
Inuidus cœco aſſimilatur. 308
Ioannes Baptiſta Elias. 30. & 475. quid interpretetur. 165
Ioannes Euangeliſta. 69. & 103. & 418
Iob quid interpretetur. 447. eius ſtatus ante tribulationem. 321
Ionatæ virga quid præfiguret. 110
Iracundus cœco aſſimilatur. 308
Iſidori Clarij, Epiſcopi Fulginat: pulchra annotatio. 141
Iſraël quid. 457
Iudæi prædilecti à Deo. 85. an cognouerint Chriſtum eſſe Meſſiam. 127. amant ſigna. 86. deſcribuntur peruicaces. 85
Iudicium generale, & eius requiſita. 55. de ipſo aliqua difficultates. 57. à Daniele deſcribitur. 59. eius præcipua ſunt tria. 61. eius terror. 56. de tempore coniecturæ. 57
Iudicium Dei contra Balthaſſar. 62
Iudicij recti conditiones. 296
Iudicum conditiones. 296
Iuriſperiti ad quæ leges reducant. 224
Iuſtificatio, & ſanctificatio. 454. in ipſa quis ordo ſit. 7. quid conferat peccatori. 194
Iuſtitia in Chriſto quotuplex. 396
Iuſtitia, & plura de ea. 297

Iuſto-

Iuſtorum proprietates. 190
Iuſtus quilibet in Elia figuratur. 31
Iuuenes triplici proprietate pollent. 30. *quæ præceperit eis Chriſtus.* ibid.

L

LAban quid interpretetur, & quid ſignificet. 38
Lacbryma Chriſti. 328
Lapis legem mortis notat. 260
Later Ezechielis. 2
Laudari vndè quis poſſit. 66
Lazarus, & plura de ipſo. 322. *quid interpretetur.* 174. *mox vt reſurrexit, Chriſtum interrogauit.* 419. *nunquàm riſit poſt reſurrectionem.* 419. *eius ſuſcitatio, quàm illuſtris.* 415
Leo Papa Attilam fugat. 123
Leones hæreticos ſignificant. 35
Lex ignea Euangelium. 22
Lex amoris, & timoris. 211. *Lex Moyſis, Piſcina.* 99. *Lex mortis per lapidem ſignificata.* 260. *Legis obſeruantia, & præmium.* 24
Legum præſtantia. 225. *ipſis diſtinguuntur ſectæ.* 181. *ad quæ reducantur à Iuriſperitis.* 224
Lenitate Deus trahit rationalia. 21
Lepra quid. 218
Lia, & Rachel quid. 38
Liberum arbitrium. 426. & 21. & 88
Libro Chriſtus comparatur. 290
Linguarum diuerſitas. 117
Lite, & amicitia an mundus benè conſtet. 77
Litteræ armis præferendæ. 12
Loqui an ſilere ſit difficilius. 393
Luna dicta eſt Cleopatra. 418
Luna comparatur Chananæa. 87
Luſtrationis vſus perantiquus. 363
Lutherus odit feſtum Corporis Chriſti, et Concept. B.V. 42
Lux repræſentat Prædicatorem. 264. *eius proprietates præcipuæ.* 331. *eius myſteria.* 334
Luxuria, et plura de ea. 286
Luxurioſus cœco aſſimilatus. 308

Magda-

M

MAgdalena plena vitijs.348. tenetur communiter fuiſſe meretrix.397, iuſtificatio eius.7.multa de eadem.391
Magnificentia,et plura de ea. 217
Malum quomodò vertatur in bonum. 162
Mala ad quid permiſſa. 175
Manna doctrinam ſignificat. 450
Manſuetudo,et plura de ipſa. 256.et ſeq.
Manus Dei. 284.et 427.et 58
Manus Chriſti quid. 200.et 208.et 245
Manus ſuper faciem Moyſis. 284
Mare multiplex. 33.et 37. 271.42
Maria immunis à peccato per gratiam.42.et 272.à multis ſalutata in reſurrectione Chriſti.459. eius caro calciamentum Chriſti.43. de ea difficilius eſt loqui,quàm de Deo.43. in manna figurata.450. ciuitas dicitur.74. eius conceptio. 41.et ſeq. eius humilitas. 300. quomodo concepit Chriſtum. 477
Martyres per quid ſignificentur. 433
Materia prima. 184
Mathematica in transfiguratione Chriſti. 119
Matrimonium ſpirituale Chriſti cum Cruce. 358
Medi quid interpretentur. 64
Mediator inter Deum, et nos. 448
Medicinæ partes. 222. arte medicinæ contra vitia vtendum. 10
Medicos imitatus eſt Chriſtus. 222
Meditatio,et collatio declarantur. 116
Mendacium quomomo accidat.152. Diabolo conuenit. 29. reperitur aliquando in operibus. 198
Mens per caput intelligitur.18. eius conceptus tripliciter poteſt exprimi. 50
Menſurantur diuerſa diuerſimodè. 82
Mercatores tres,& eorum merces. 283
Mercurius triſmegyſt. laudatur.120. quid ſenſerit de muſica mundi. 6
Meſſiæ nomen.301. Futurus erat Rex.409. tripliciter docuit. 50
Michaël animas ponderans. 64

Mili-

Milites poſt bellum qualiter congregentur. 465. *comparantur Concionatoribus.* 1
Militantium conſuetudo. 92
Miracula Chriſti, & plura de ipſis. 215. *& ſeq. ad quid facta.* 50. *&* 77. *primum miraculum eius qua mente editum.* 280. *ſua, & ſanctorum in quibus differant.* 77. *ab infimis ad maiora proceſſit.* 319. *duo præcipua in Piſcina.* 102
Miſericordia Dei, & plura de ipſa. 259. *&* 89. *&* 285
Miſericordiæ opera. 321
Moab peccatores ſignificat. 203
Modi expugnandi ciuitates quinque. 1
Modi vincendi tres. 49
Modus, & circumſtantiæ reſurrectionis Chriſti. 456
Mons Euangelium. 22
Mors, & plura de ea. 314. *eius portæ à Chriſto apertæ.* 437. *eius memoria.* 7. *eius meditatio.* 7
Mortui à Chriſto ſuſcitati. 323
Mortuos à Chriſto ſuſcitatos, fuiſſe tantùm tres, temerarium eſt, dicere. 324
Mortuorum reſurrectio. 475
Moyſes fuit diſcipulus Mercurij triſmeg. 120. *hieroglyphicis ſtuduit.* 120. *indefeſſè contra Amalech orat.* 58. *eius manus leproſa quid.* 284. *eædem manus ad quid graues.* 58. *idem benedicit Tribubus.* 23. *fuit Sacerdos, & Dux.* 153
Mulier quædam à Ioan. deſcripta. 348
Mulieribus antiquitùs vinum interdictum. 160
Mundus qualiter conſtet harmonia, ſecundùm ethnicos, & ſecundùm Theol. 4. *& ſeqq. quomodo ſit multiplex.* 223. *&* 333. *&* 131. *ad quid ſit creatus vnicus.* 82. *eius ſtructura ſculpturæ comparata.* 155. *ei an conferant lis, & amicitia.* 77. *eius conditiones.* 74. *contemptum illius docuit Chriſtus.* 51. *eius merces.* 283
Muſica, à quo ſit cauſata. 6. *an ſit in cælo. ibidem. qualiter in mundo.* 191. *qualiter in transfiguratione Chriſti.* 119. *ipſâ Iericho proſtrata fuit.* 5. *quæ ſit ſpiritualis muſica.* 5. *& plura ibidem.*
Myrtus quid. 379
Myſticus ſenſus quotuplex, & ad quid datus. 95

Naaman

N

Naaman Syrus, & eius myſtici ſenſus. 218
Nabuchodonoſor crudelis contra Ieruſal. 60. *quatuor facies quomodo habuerit.* 100
Naturalis ſcientia quomodo fuerit in transfiguratione Chriſti. 119
Nauis multa ſignificat. 32. *Eccleſiæ typus.* ibidem.
Nauium tria genera. 39
Nazarænorum peccatum. 211. *quales fuerunt Nazareni cum Chriſto, & qualis Chriſtus cum eis.* 212
Nazareth interpretatur ſanctificata. 69
Nazaræus quid. 67
Nephtalim qualiter benedicitur. 313. et ſeq.
Nihilum, fuit ſubiectum diuinæ potentiæ. 106
Niniue quid. 83
Niniuitæ quorum typus. 83
Nomina Chriſti plura. 416
Nomina Dei multa. 46
Nomina Dei diuerſa. 211
Noua quædam myſticè expoſita. 26
Nox quid. 37
Numerus ſeptenarius. 348
Nuncij Euangelij Apoſtoli, & qualibus propter hoc inſigniti. 472

O

Obduratio in peccato. 144. & ſeqq.
Obſcuritas Scripturæ ſacræ unde. 186
Obſeſſio ciuitatum quibus potiſſimum fiat. 1
Ocio creaturarum mundus interiret. 20
Oculorum concupiſcentia quo tollitur. 9
Officia Chriſti præcipua quot, & quæ. 81
Oleum cum ſuis proprietatibus Chriſtum ſignificat. 261 & ſequenti.
Onychinus lapis, & multa de eo. 234
Opera Dei præcipua quæ. 305. *illis digniores cogitationes eius.* 67

Operum Dei compendia duo. 4
Opera miſericordiæ. 321
Operandum benè indefinenter. 371
Operum fructus. 372
Oppoſitio via ad cognoſcendum. 340
Oratio ſepes. 449
Oratio quædam Pauli maximè feruens. 168
Ordo in iuſtificatione. 7
Ordo in peccato. 326
Originale peccatum. 141. *ſecundùm Theodoretum quid ſit.* 326
Oues eijcienda. 276
Oues myſtica. 381

P

PAn apud Archades. 250
Pan,& Echo allegoria. 6
Panegyris Ieſus Sirach pro Chriſto. 431
Panis robuſtorum quis. 167
Panes quinque quid. 266
Parabolis ad quid Chriſtus ſit vſus. 180. *quæ earum genera.* ibidem.
Paradiſus terreſtris ciuitas quædam. 73. *eius ſitus. ibidem. habuit tria genera lignorum.* 74
Pardus hypochritam denotat. 35
Partes ad totum qualiter ſe habeant. 113
Paſcha quotuplex. 450
Paſſio Chriſti. 436. *& ſeqq. vnr contemplanda.* 438. *eius acerbitas.* 159. *quomodo decora,& decor.* 130. *extraordinario modo ab Euangeliſtis deſcripta.* 443. *voluntaria vndequaque.* 136. *habuit locum, tempus,& modum.* 210. *imitabilis eſſe debuit.* 210. *ambitioni diſcipulorum fuit oppoſita.* 163. *& ſeq. quomodo ſit Piſcina.* 99
Paſtoris propria. 361
Patria,& ad eam reuerti quibus præcipuè inducamur. 368
Patriarchia prima quot, et quæ. 100
Pauli oratio quædam feruens. 168
Pauper,& diues. 468
Pauperis cum diuite pugna. 169
Peccantium proprietates. 190
Peccator dæmoniaco, et dæmonio ſimilis. 202. *et ſeq. inueteratus*

tus in peccato. 322. de ipſo maxima quæſtio inter Scholaſticos. 144. conuertitur per ea, quæ illi naturaliter inſunt. Aliquot eum arguant. 351. Moab ſignificatur. 203. quo ordine iuſtificetur. 7. quid acquirat in iuſtificatione. 194. quo ordine peccet. [illegible]

Peccatum Antonomaſtice quid ſit. 141. in Spiritum ſanctum quid ſit. 142. eius grauitatem quæ nam arguant. 397. peccati carnalis proprietates. 188. peccata numerantur. 64. peccatum ex malitia. 18. peccati malignitas. 325. peccati vinculum. 427. peccata in vniuerſum ad quæ reducuntur. 9. peccatorum diuiſio multiplex. 344. peccatum Originis. 140. et 143. et 326. peccatum Angeli grauius peccato Hominis. 346

Peregrini euntes in Emaus. 467

Peregrinis quæ conueniant. 47

Perfectio duplex in qualibet re. 11

Perſa quid. [illegible]

Perſonarum diuinarum conſideratio. [illegible]

Petitio aliqua vndè ſit incongrua. 81

Petra dictus eſt Chriſtus ratione ſtabilitatis. [illegible]

Phantaſia, & imaginatio an diſtinctæ. [illegible]

Pharan acceptiones. [illegible]

Pharao binomius, & quid. 147

Phariſæi ethimologia. [illegible]

Phœnicia ſignificatio. 9

Phœnix renouatur. 4

Philoſophi, Principes, Hæretici, & Hypocritæ Eccleſiæ contrariantur. 33

Pictura, & ſculptura ſpiritualis. 55

Pierius Valerian. quid intelligat per Pan. 6

Piſcina multifariè. 96. eiuſdem duo miracula præcipua. 102

Piſces duo quid. 266

Planetæ ſecundum Gentiles. 251. eorum ordo. 396. quid conferant homini in generatione, ſecundum Aſtrol. 233. eorum differentia. ibid. concilium faciunt. 414

Plotinus tria in homine contemplatur. 44

Pœnitentia iterabilis. 146. quomodo ſit Piſcina. 98

Pœnitentes per turturem ſignificantur. 392

Poma noua quid. [illegible]

Pompeij magni triumphus. [illegible]

Popu-

Populus per corpus inſinuatur. 17
Poſitiones corporales,& ſpirituales. 269
Potentia Dei ſuauitati coniuncta. 110
Potentia Chriſti,eijcientis templi Dei prophanatores. 277
Potentia,& vi Deus trahit irrationabilia. 21
Poteſtas Chriſti ſuper homines,temporalis,& ſpiritualis. 247
Præcepta omnibus creaturis data. 179
Præcipitium Chriſto diſconuenit. 210
Prædeſtinatio,& quædam de ea. 382
Prædicare ſuper ſuggeſtum ſacerdoti competit. 350
Prædicator. 242. *quot modis ciuitates peccatorum expugnet.* 1. *luci cur comparetur.* 264
Prælatis conuenit habere quatuor facies. 100. *eorum peccata.* 150
Prærogatiua præcipua Chriſti. 217
Praxes duæ contrariæ. 163
Princeps per caput ſignificatur. 17. *item per rete.* 35
Principes huius ſaeculi, Philoſophi, hæretici, & hypochritæ Eccleſiæ contrarij. 33
Principium,& finis obſeruanda. 469
Principium in diuinis ad quid referatur. 138
Prophetæ multi in Elia figurati. 31
Prophetia factis inſinuans. 450
Prophetiæ gradus. 61
Proprietates iuuenum. 30
Prouidentia Dei. 172
Pueri Centurionis mala. 16
Puritas Deo placet. 195
Pythagoras quid ſentiat de muſica mundi. 6

Q

Quadrageſima ad quid inſtituta. 9
Quatuor mala pueri Centurionis. 16
Quotupliciter obſidentur ciuitates. 1

R

Rachelis, & Lia myſteria. 38
Recreationis,& Creationis præclara. 107

Redemptionis opus tria opera complectitur. 105
Refugium confugere ad Eccleſias. 385
Rei à Romanis audiebantur. 403
Religio ſemper conſpicabilis. 387
Religioſus per Aſinum ſignificatus. 434. *item per cor.* 17
Remigatio diſcipulorum quid. 36
Renouatio quibus conueniat. 460
Renouatione indiget homo. 386
Reprobi, & electi ad quid commixti in Eccleſia. 373
Res omnes duplici perfectione præditæ ſunt. 112
Reſurrectio Chriſti. 451. *eius tempus varium deſcribitur.* 454. *eius figura.* 456. *eius locus.* 456. *eius cauſa.* 461. *quibus argumentis probetur.* 474
Reſurrectio mortuorum. 475
Rete Principes. 35
Reuerſio ad patriam quibus perſuadeatur. 368. & *ſeqq.*
Reges oppoſiti, & eorum regna. 198
Regis ad conſecrationem quæ requirantur. 440
Regno quot, & quæ conueniant. 123
Regnum Chriſti. 429
Regum Indicorum inſignis conſuetudo. 389
Regulæ ad ſuperandas tentationes. 52
Rex tormentorum Chriſtus. 439
Romani reos audiebant. 403
Rotarum Ezech. allegoria. 91

S

SAba quid ſignificet. 84
Sabaoth, nomen Dei. 211
Sacerdos ſolus ſuper ſuggeſtum prædicare poteſt. 350. *eius dignitas.* 147. *eius peccata.* 150. *eius prærogatiuæ.* 148
Sacrario ſeruientes. 226
Sacrificium nouum. 26
Sadai, nomen Dei. 211
Salomon trinomius. 84
Samaritana, & multa de ea. 246
Samſon figurat Chriſtum. 454. *eius Leo quid ſignificet.* 110
Sancti, & concionatores in Aod figurati. 75
Sanguinem pluriès fudit Chriſtus. 442

Sahir quid. 33
Sanitas ſtatus innocentiæ. 104
Sardius impedit malignitates onycis. 234
Sarepta quid. 239
Saturnus dæmone exprimit. 87. *et maligni effectus varij.* 232
Saulo, & Sauli cor immutatum fuit diuerſimodè. 335
Scenopegia, & plura de ea. 378
Schiſma quàm noceat. 408
Scopus, & finis differunt. 14
Scribæ onychino comparantur. 234
Scriptura ſacra, videtur impoſſibilia dicere. 186. *eius obſcuritas vtilis. ibidem. eius nomina plura.* 238. *eius varij ſenſus.* 94. *diuerſæ expoſitiones.* 115. *et* 116
Sculpturæ, & Picturæ ſpirituales. 155
Scientia eſt antiquior pugna. 12
Sedere quid ſignificet. 270
Seditio ciuium hoſtibus oportuna. 408
Seir quid. 23
Semen myſticè expoſitum. 232
Senectus damnata. 27
Senſibilia quomodo ducunt ad intelligentiam. 230
Senſus compoſitus, & diuiſus. 145
Sententia mortis in Dauid, & in Chriſto. 405
Sententia Caiphæ iuſta, & iniuſta. 402
Sepes in Scriptura quid. 181. & 183. & 449. & 179
Septenario tempus omne comprehenditur. 348
Sequenti Chriſtum quæ neceſſaria. 421
Serpens qualiter renouetur. 460
Sibilla Eritbræa littera ab Auguſtino obſeruata. 266
Sidon quid interpretetur. 94
Signa electionis diuinæ. 194
Signa à Chriſto Iudæis data. 78
Signa quibus conueniant. 80
Silere an difficilius quàm loqui. 393
Silex dicitur Chriſtus. 213
Sinagoga repudianda. 245
Sinai quid interpretetur. 23
Sitis quotuplex in homine. 361. & 362
Societatum vſus antiquiſſimus. 171
Socrus Simonis. 239. & ſeqq.

Sol,& plura de eo. 336.& *ſeq. eius proprietates.* 238. *Chriſtum oſtendit.* 87. *ſol dictus eſt Alexander.* 418
Soliloquia in transfiguratione Chriſti. 115
Spes veniæ in iuſtificatione. 7
Spiritus ſanctus cur datus in figura linguarum. 384
Sponſa, inuitata ad cellam vinariam, varia myſteria. 140
Sponſa in Canticis, typus animæ. 21
Stadium quantum ſit. 467
Stare quid ſignificet. 269
Status Angelorum duo. 139
Status Hominum arguuntur. 294
Status humani diuerſi. 139
Stella Chriſtum ſignat. 65
Stellis Apoſtoli comparati. 87
Stemmata, Emblemata, Hieroglyphici, Hierographia, & Toreumata differunt. 178
Stola prima quid ſit. 195
Superbia. 9.& 166.& 156. et 286
Superbi blaſphemant. 157
Superbus cæco aſſimilatur. 308
Symbola Chriſti omnibus præferenda. 149
Syria quid. 218

T

Templum Ieroſolymitanum mirabili arte, & materia conſtructum. 281. *fuit figura Corporis Chriſti:* 278. *eius reædificatio.* 282
Tempus omne ſeptenario comprehenditur. 348
Tenebræ,& quædam de ipſis. 263.& 340. et ſeq.
Tentari quare voluerit Chriſtus. 53
Tentatio,& quædam de ea. 49. et 51. et 52
Terribilis cur dicitur Deus. 418
Teſtamenti noui, et veteris conſonantia. 4
Theologia, et quædā de ea. 243. *ei omnes artes famulantur.* 168
Timor Dei. 7. *Timor gehennæ.* 7
Titulus Crucis Chriſti. 409. et 441
Torcular in Scriptura quid ſignificet. 179. et 182. et 184
Toreumatum antiquitas, et ſymbolum. 177
Totum qualiter ſe habeat ad partes. 113

Tra-

Trahit Deus diuerſimodè 10
Transfiguratio Chriſti. 121. *et* 125. *nomina illi aſtantium cur non prædixerit Chriſtus.* 125. *quòd miraculum non fuerit.* 120. *omnes ſcientias practicè oſtendit.* 119. *Repreſentationi comparatur.* 119
Tribulatio, et quædam de ea. 172. *et ſeq.* 306. *et ſeq.*
Tribus Iſraël à Moyſe benedictæ. 23
Trilogium in transfiguratione. 115
Trinitatis myſterium. 82
Triſtitia de quibus eſſe poſſit. 445
Triumphus Chriſti. 428
Triumphus ornatiſſimus. 428. *et* 458
Turris in Scriptura quid ſignificet. 179. & 181. & 184
Turtur pœnitentes ſignificat. 390
Tyrus quid interpretetur. 94

V

Vanagloria, & quædam de ea. 298
Vanitas quid propriè dicatur. 311
Varietas in vniuerſo. 390
Velantur imagines Crucis Chriſti, & quare. 349
Velocitas Chriſti in ſuis operibus. 302
Venti contrarij Eccleſiæ qui, & quot. 33. *tentationes oſtendunt.* 37
Veritas Deo peculiaris. 29. *diuina, & humana quantùm diſtent.* 29
Veſtis quid ſignificet. 11. & 432
Veſtes Chriſti fuiſſe lineas, oſtenditur. 111
Victoria tuta erit, ſi ſcopus teneatur. 15
Vidua Naim, & plura de ea. 313. & *ſeqq.*
Viduæ caueant à vino. 160
Vigilantia commendatur. 328
Vincendi tres modi. 49
Vinculum peccati. 427
Vinea Euangelica. 181. & 182. & 184. & 185
Vinum nouum in vtres nouos quid innuat. 26
Vinum virginibus non dandum. 160. *ab illo mulieres antiquitùs abſtinebunt.* ibid.
Virga Chriſtum figurans. 47

Vir-

Virgines, & Viduæ à vino abſtineant. 160
Viſio quædam Ezech. mira deſcribitur. 287
Vita actiua, & contemplatiua. 38
Vitæ duæ. 273
Vitia, maximè capitalia, quæ, & à quibus præfigurata. 286
Vitiis tribus capitalibus quæ remedia. 18
Vmbra Idolatriam ſignificat. 254
Vniuerſum amat concentum. 6
Vox Chriſti beatificat. 316

X

XEnophontis doctrina de cultu, & veneratione Deorum. 388. eiuſdem inſtitutio perfecti Principis. ibid.

Z

ZEbedæi interpretatio. 31. et 165
Zelus Dei quando potiſſimè exercendus. 583
Zizaniorum myſteria. 293

FINIS.

AD LECTOREM.

SPICE (benigne Lector) quot Impreſſoris, & Correctoris vitio, atque oſcitantia (præter multos, quos intelligentiæ tuæ relinquimus) irrepſerunt errores. Nec dixiſſe, nec interfuiſſe profuit. Sortem ergo noſtram nobiſcum doleas, & compatiaris; atque hanc in nos humanitatem oſtendas, vt errata iſta conſulas, vbi conſuleris, corrigas, & correcta vnà cum pagella è libro præcidas, & aboleas. Quia autem multùm fidimus, plura non adijcimus. Vale.

Primus numerus Paginas, ſecundus Verſus indicat. In Verſuum autem ſupputatione, præter Dominicarum, & Feriarum titulos, omnes comprehendimus.

Pag. 6. Verſ 2. Boëthus l. de Muſica Boethus l. 1. de Muſica cap. 2. Ibid. 4. Ariſt. Ariſt. 2. de Cæl. t. 52. 12. 25. appræhenſio apprehenſio 18. 35. inquit, Lucas inquis Lucas 27. 2. ad Cooncionem ſimul Concionem 35. 17. per n enim verò per n verò 36. 18. ventibus ventis 37. 30. quod nox eſt quod etiam nox eſt 38. 19. io elegaoti ineleganti 39. 28. 5. ff. 45. 21. quia quò 60. 26. dixiſſe duxiſſe 61. 16 à Daniele à Dauide 65. 27. prætendat portendat 66. 6. (cùm fuerit cùm fuerit ibid. 26. protendit portendis 75. 2. foerit fuit 101. 18 Ioannem, & Lucam Lucam, & Ioannem 104 13. ſymphathia ſympathia 105. 28. ei eis 112. 5 fuerint fuerunt 114. 17. ſuſcribit ſubſcribit ibid. in deuer. in diuer. 115. 16 & illud vt illud 116. 21. ſpeciales ſpecies 120. 29. lib. 99. lib. qq. 122. 18. contingerit contigerit 127. 34. quod factum, eſt, quod factum eſt, 130. 25. &c. &c.) 137. 22. peccatis veſtris in peccatis veſtris 149. 28. chathedræ cathedræ 167. 4. art. 2. art. 2.) 173. 27. ſolui ſoluuntur 190. penult. omniom omnem 195 4. 10 bonorum bonorum 203. 18. conculeatione conculcationem 216. 20. enim, enim 217. 23. quod, quod 224. 16. corripientes corripiēdo 227 19. tamen tantum 235. 11. cœleſtis cœleſtis, 239 8. 9. in Exo. q. in Exo. ibid. 17. 9. in Pſal. q. in Pſal. 240. 16. Tertiò tertiò 245. 16. ſunt ſnāt 247. 17. non habere non exercere 254. 29. produnt protegūt ibid. antepen. Hanc tamē Hanc ibid. penult. alias alias 257. 10. .Dti Dei 258 29 non ego nec ego ibid. penult. miſericordiam miſericordem 259. 13 & ſanctiſſimus vt ſanctiſſimus 260. 21 deordinatæ, deordinatæ fuerint, 261. 7. Aug. 9. Aug. q. a 167. *vſque* 273. Dominica quartæ Dominica quarta in *titulo* 264. 30. ſolùm certe 268. 8. offerens, efferens 271. 19. ſolitudinis ſolitudinis, ibidem 29. ſonant ſonans, ibidem vltimo operibus eius operibus ſuis 273. 23. Chriſtus quidem Chriſto quidā 283. 10. To qua poteſtate In qua poteſtate 288. 15. Mera mira 292. *in margine* Boeth. lib. Boeth. lib. 1. 291. 3. tantùm tam 295. 19. inueſtigabimus inueſtigauimus 305. penult. liniuit oculos liniuit ſuper oculos 315. 22. obſeruauerant obſtruauerunt 323. antepen. Tayrl Iayri 324 11. Tayri Iayri 330. 4. formidoloſus formidabilis 337. 25. ; *poſt* accepimus *ponatur*, *non poſt* eſt 347. 31. , *poſt* emendabantur *ponatur*, *non poſt* in morte 352. penult. Quod factum eſt in ipſo, Quod factum eſt, in ipſo 353. 10 ſuum illorū 361. 7 autē ergo ibid. 22. , *poſt* hic *ponatur*, *non poſt* temperatur ibid. 23 reuelationem reuelationem, ibid. 24. , ſitis rationalis .Sitis rationalis 363. 12. , *poſt* Troianus *ponatur*, *non poſt* pietate 368. 22. à conſanguineis conſanguineis 370. 16. (inqoit Aug.) , inquit Aug. 374. 29. publicè publicæ 377. 32. quo quod 383. 23. incurioſitatis curioſitatis 390. penult. omnium omnem 391. 13. turturæ turturis de quo de qua 403. 19 (vt enim .Vt enim ibid. 22. (inquit ,inquit ibid. 23. narrationem) narrationem, ibid. 34. textis teſtis 410. vlt. deperiret. deperiret? 413. 8 monitor, monitor 414. 14. nexumque nexuque 415. 3. interficeret interficerent 437. penult. ad Vincent. ad Vincent.) 439. 12. crucifixus confixus ibid. 27. Inuentione prima Inuentione ſecunda 440. 8. . Baiulans . Et Ioan. Baiulans ibid. 24. quia qoi 442 15. eamdem eandem 444. 21. poſtquàm pluſquam 446. 5. ordine, ordine ibid. 30. eleuatæ. eleuatæ, 448. 12. propter hoc; propter hoc, 457 32. eamdem eandem 459. 19. hyens hyems 463. 10. reſtituta eis fuiſſe reſtituta fuiſſe 467. 25. ad caſtellum in caſtellum ibid. 27. ſtaſtium ſtadium 474. 15. corum caſum,

Regeſtum

a b c A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii.

Omnes ſunt Quaterniones præter a, b, c, quæ ſunt Duerniones.

R O M Æ,

Apud Hæredes Aloyſii Zannetti.

M. DC. VI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7 _ 2 _ 2

Digitized by Google